Q. HORATIVS FLACCVS.

AD CODICES SAECVLI NONI DECIMIQVE EXACTVM

COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO

ILLVSTRATVM

EDIDIT

FRANCISCVS RITTER.

ADIECTI SVNT INDICES VERBORVM ET ANNOTATIONIS.

VOLVMEN PRIVS.

MDCCCLVI.

LIPSIAE: W. ENGELMANN.

HORATII

CARMINA ET EPODI.

AD CODICES SAECVLI NONI DECIMIQVE EXACTA

COMMENTARIO CRITICO ET EXEGETICO

ILLVSTRATA

EDIDIT

FRANCISCVS RITTER.

MDCCCLVI.

LIPSIAE: W. ENGELMANN.

PROLEGOMENA.

I.

DE VITA HORATII A SVETONIO NARRATA.

Vitam Horatii qui est traditurus egregium operis adiumentum habet libellum a Suetonio conscriptum. Nam Suetonius cum in libro quem de uiris in litteris illustribus edidit, etiam Horatium cura sua dignum existimasset, huius laboris bona pars in nonnullis Horatii codicibus ad nostram memoriam perlata est. Quam uitam a Suetonio scriptam esse quamuis non proditum sit ab illo qui negotium excerpendi suscepit, tamen de uero fonte nulla dubitatio iusta relinquitur. Primum enim ingenium eius opusculi plane conuenit illi, quod in uitis imperatorum, grammaticorum, rhetorum, quorum facta moresque Suetonius posteris tradidit, magni facere solemus, quo pertinet quod fidis fontibus et saepe reconditis diligenter utitur, quod in magna breuitate de praecipuis rebus plane refert, sano iudicio uera segregat a falsis, leuia a solidis, uirtutem merita laude celebrat, quod uitia seuerius notare, interdum supra modum accumulare solet. Haec scribendi uirtus in uita Horatiana cum agnoscitur, tum manum Suetonii indicauit testis non leuis, ad cuius uerba ante tria saecula animum primus aduertit Petrvs Nannivs (Miscellan. III 2 extr.) ac ueram rei rationem prompte perspexit. Nam Porphyrion scholiasta Horatii ad epistulam Augusto Caesari

inscriptam (Epl. II 1) haec annotauit: *apparet hunc librum, ut supra diximus, hortatu Caesaris scriptum esse, cuius rei etiam Suetonius auctor est. Nam apud eum epistola inuenitur Augusti increpantis Horatium, quod non ad se quoque plurima scribat.* Atqui epistula quam significauit Porphyrion tota legitur in uita Horatiana. Accedit alter testis. Commentator Cruquianus ad Carm. IIII 1 haec scribit: *statuerat Horatius ad tertium usque librum complere opus carminum: uerum tribus libris iam editis ex maximo interuallo hunc quartum scribere compulsus est ab Augusto, ut refert Suetonius in uita Horatii, in laudem priuigni sui Drusi Neronis, qui uictor de Raetis Vindelicis fuerat reuersus.* Idem hoc refertur in uita Horatii, nisi quod scholiasta pro *longo interuallo* 'maximum' non bene substituit. Etiam Hieronymus, quem in suis ad chronicon Eusebianum additamentis Suetonio usum esse constat, non ex alio fonte ad Olymp. 178 4 sic rettulit: *Horatius Flaccus satiricus et lyricus poeta libertino patre Venusi(no) nascitur.* Hoc Hieronymus ex principio et fine libelli Suetoniani transcripsit. Suetonii uita tamen non commiscenda est cum illa, quam Porphyrion concinnauit, quod ab eo proditum legimus ad Serm. I 6 41: *patre libertino natum esse Horatium et in narratione, quam de uita ipsius habui, ostendi.* Haec Porphyrionis 'narratio' si Suetonii opusculum fuisset, Suetonium pro fide sua ac more bonus scholiasta, non propriam scriptionem, memoraturus erat. Immo Porphyrionis narratio talis fere uidetur fuisse, quales in principio codicum Horatianorum circumferuntur, breues ac steriles et prae Suetonianis opibus plane contemnendae, quarum una opusculo meliori a me (p. XII) subiecta est.

Suetonii uita Horatiana ex uetere codice Blandinio primum edita, mox etiam in aliis nonnullis libris manu scriptis reperta est. Ipsius Blandinii nunc perditi tria exempla typis expressa ad nostra tempora delata sunt. Primum eorum a Petro Nannio Alcmariano descriptum et in Miscellaneorum libro III c. 2 editum est. Nannius hoc descripsit Gandaui, cum ob caedem fratri obiectam illuc profectus adiit 'bibliothecam S. Petri in monte Blandinio' inuenitque 'antiquissimum Horatium'. Ipse de reperto suo (III c. 1) narrat: *in ea bibliotheca inueni uitas Horatii plurifariam conscriptas,*

sed indoctissime, inter quas tamen una eximia fuit, quae tametsi nullo titulo auctorem suum praeferebat, styli tamen genio satis declarabat, se unum ex libris Suetonii esse. Nannii Miscellaneorum libri decem editi sunt Lugduni Batauorum apud Beringos fr. a. 1548, recepti in Lampadem Gruteri t. I p. 1223—1386. Septem annis post ANTONIVS MVRETVS in Horatio Venetiis a. 1555 edito eandem uitam publicauit atque a se primum euulgari credidit. Mureto dederat Bernardinus Lauredanus, ad hunc transmissam e Flandria usque ab Antonio Morillono, antiquorum monumentorum homine studioso, qui eam descripserat *ex antiquissimo uolumine, quod Gandaui asseruatur*. Tertium exemplum in lucem prompsit IACOBVS CRVQVIVS in postremis paginis Horatii a se Antverpiae a. 1579 editi cum hac inscriptione: *Q. Horatii Flacci uita e uetusto codice Bland. descripta.* Haec tria exemplaria in notis criticis *edd* significaui, dissensum sub nomine auctorum indicaui. Dissentiunt enim in nonnullis, non tantum tamen ut uariis fontibus usi esse dicantur, sed quantum accidit illis qui suum exemplum intentiore cura non descripserunt. Ad eandem uitam Ianus Rutgersius in lectionibus Venusinis (Traiecti Batau. 1699) ex codice Puteani filii et ex Regio Parisiensi nonnullas scripturae discrepantias notauit p. 407—413, paucas protulit Carolus Fea ex libro Vaticano reginae Christinae, quem ipse *H*, ego *R* nominaui, alias communicauit C. Vanderbourg ex libris Parisinis t. I p. XLVIII sqq., quos litteris ab illo positis (*E*, *φ*, *P*), omnes signo ς indicaui. Duobus in locis quartum addidit Vanderbourg (*I*). Ad haec subsidia accedit *H*, h. e. Hispaniensis siue Heinianus noster, qui uitam Suetonii in ultima pagina, sed non sine lacunis, ascriptam habet. In principio idem breuem uitam exhibuit, tum post insertam disputationem de metris Horatianis tertiam suppeditat, illam quam Cruquius tertio loco ex tribus Blandiniis posuit.

II.

SVETONII TRANQVILLI VITA HORATII FLACCI.

Horatius Flaccus Venusinus, patre, ut ipse tradit, libertino et exactionum coactore, ut uero creditum est, salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset *quotiens ego uidi patrem tuum brachio se emungentem!* bello Philippensi excitus a Marco Bruto imperatore tribunus militum meruit; uictisque partibus, uenia impetrata scriptum quaestorium comparauit. ac primo

1. Horatius *H Nannius Muretus*, *etiam Hieronymus:* Quintus Horatius *Cruquius*, *quae ipsius est interpolatio.* ipse *H Nannius Muretus:* ipse quidem *Cruquius.* tradidit *HR.* 2. exactionum] exauctionum *Gesnerus,* auctionum *R.* uero *Cruquius et Muretus:* uere *H Nannius* '*legitur et* uere' *Rutgersius*, fere *Casaubonus.* est *om H.* 3. in altercatione exprobrasset *H Nannius Muretus:* exprobrasset in alterc. *Cruquius.* quotiens *Nannius et Muretus,* quociens *H:* quoties *Cruquius.* 4. brachio] cubito *Nannius per errorem.* se emungentem *H Muretus Cruquius:* emungentem *Nannius;* '*et pro eo*, brachio se immungentem' (emungentem?), '*legitur* emungentem' *Rutgersius.* philipense *H.* exitus *H,* exercitus *Puteaneus.* 5. tribunatus *HR.* partibus bruti *H.* 6. questorium *H.*

1. *patre, ut ipse tradit, libertino:* Serm. I 6 6 et 45 et 46, Epl. I 20 20. Particulam *quidem* Cruquius ab interpolando non alienus uidetur inseruisse: si tenetur, Suetonius contrario uanoque rumori aliquid tribuit.

2. *exactionum:* h. e. pecuniarum exigendarum. Rerum significationem (concretam, ut dicunt nostrates) numerus multitudinis praebet. Asinius Pollio ad Ciceronem (ad Famil. X 32): *Balbus quaestor — maiore argenti* (pondere) *coacto de publicis exactionibus*, quae uerba Forcellinius laudauit. Horatius patrem breuiter *coactorem* (*Einnehmer*) nominat Serm. I 6 86, Suetonius *exactionum* addidit, ut magistratibus officia praestitisse patrem Horatii indicaret. Ego *quaestoribus* operam dedisse illum existimauerim, et hoc ipsum effecisse conicio, cur Horatius scriptum *quaestorium* compararet. Gesneri coniectura *exauctionum* profert uocabulum aliunde non cognitum nec praesenti nota commendatum. Gesnerus ad firmandum repertum suum nihil proferre potest praeter nomen *exaedificatio:* uerum adest uerbum *exaedificare,* non adest *exaugere.*

2—4. *salsamentario — se emungentem:* cf. auctor ad Herennium IIII 54: *ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu* (*halte du den Rand*), *cuius pater cubito se emungere solebat.* Diogenis Laert. IIII § 46, ubi Bion Borysthenita ad Antigonum dicit: *ἐμοῦ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος — διεδήλου δὲ τὸν ταριχέμπορον —, γένος Βορυσθενίτης.* Salsamentarius pisces sale conditos uendit.

4—5. *excitus a Marco Bruto imperatore:* uerbum *excitus* (*aufgeboten*) et nomen *imperator* indicant potestate imperatoria Brutum egisse, quod Horatius quoque significauit Epl. II 2 46.

5. *tribunus militum meruit:* cf. Serm. I 6 48.

6. *scriptum quaestorium:* officium scribae quaestorii, quod obeun-

Maecenati, mox Augusto insinuatus non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis demonstratur illo epigrammate:

ni te uisceribus meis, Horati,
plus iam diligo, tu tuum sodalem
Ninnio uideas strigosiorem.

sed multo magis extremis iudiciis tali ad Augustum elogio: *Horati Flacci, ut mei, esto memor.* Augustus epistularum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: *ante ipse sufficiebam scribendis epistulis amicorum: nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum a te cupio abducere. ueniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistulis scribendis adiuuabit.* ac ne recusanti quidem aut succensuit quicquam aut amicitiam suam ingerere desiit. extant epistulae, e quibus

1. mecenati *H ut solet.* mox *H Muretus Cruquius:* deinde *Nannius.* insinuatus *HR Nannius Muretus:* in gratiam insinuatus *Cruquius.* 1—2. in amborum amicitia (amicicia *H*) locum *H Muretus Cruquius:* locum in amb. amic. *Nannius.* 3. demonstratur *Cruquius,* monstratur *Nannius et Muretus:* testatur *Hς Puteaneus.* epigramate. Vbi inquit *Nannius.* 5—7. plus — Horati *om H, oculis ab uno* Horati *ad alterum aberrantibus.* 5. tu tuum] tutum ς, Titum *Nannius.* 6. Ninnio *G. J. Vossius:* Ninio φ, Ninno *P,* Nimio *E Muretus,* Minio *Parisinus I et Nannius:* Hinno me *Cruquius.* 7. extremis iudiciis *Rς Rutgersii Regius:* extremis Esquiliis *Cruquius*, extremis *Nannius Muretus.* Augustam *codex Puteani.* Horati *H Nannius Muretus:* Horatii *Cruquius.* 8. esto memor *H Muretus Cruquius:* memor esto *Nannius.* 8 — p. x 22. Augustus — Caesar *om H.* 8. epistolarum, *mox* epistolis *edd.* epistolarum quoque ei *Muretus Cruquius:* ei epistolarum *Nannius.* 9. ut *om Nannius Muretus.* 10. sufficiebam scribendis ep̄am. *Muretus Cruquius:* scribendis ep. am. sufficiebam *Nannius.* 11. a te cupio abducere φ *Nannius:* te cupio adducere *Muretus Cruquius.* ueniat *Parisinus P.* igitur] ergo *Nannius.* 12—13. epistolis scrib. *Muretus Cruquius:* scribendis ep. *Nannius.* 14. ingerere *R Regius Rutgersii Nannius Muretus:* suggerere *Cruquius.* e *Muretus Cruquius:* ex *Nannius.*

tes *scriptum facere* dicuntur (u. Liuii VIIII 46, Gellii VI 9). Conf. Liuii XXXX 29: *scribam eum quaestor Q. Petillius in decuriam legerat.* Primus casus in hac potestate nominis est *scriptus*, non *scriptum*, ut ostendit Gellianum (VI 9) *scriptu sese abdicasse*, et hoc Frontonis ad Amicos II 11: *fueruntne omnes et sunt ad hoc locorum, quibus umquam scriptus publicus Concordiae latus est* (corrige *collatus est*), *decuriones?* Horatius scriptum fecit ab anno urbis 713 (41 a. Chr.) usque ad initium anni 717. Conf. cap. III.

6. *Ninnio:* cogita hominem macie tunc insignem.

8 — 9. *Augustus — obtulit:* cf. Prooem. Carm. III 16.

12. *ab ista parasitica mensa ad hanc regiam:* coram amico iocatur Augustus et ueram animi sententiam non celat, quod non intellexit Rutgersius scribens: *qui id Augustum scripsisse credat* (credit), *et diuinam eius principis moderationem ignorat, et quantopere Romani inuidiam Regii nominis refugerint.*

argumenti gratia pauca subieci. *sume tibi aliquid iuris apud me, tamquam si conuictor mihi fueris: recte enim et non temere feceris, quoniam id usus mihi tecum esse uolui, si per ualetudinem tuam fieri possit.* et rursus: *tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire: nam incidit ut illo coram fieret a me tui mentio. neque enim si tu superbus amicitiam nostram spreuisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.* praeterea saepe eum inter alios iocos *putissimum penem* et *homuncionem lepidissimum* appellat, unaque et altera liberalitate locupletauit. scripta quidem eius usque adeo probauit mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare carmen componendum iniunxerit, sed et Vindelicam uictoriam Tiberii Drusique priuignorum suorum, eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo interuallo quartum addere, post sermones uero lectos quosdam nullam sui mentionem habitam ita sit questus: *irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. an uereris, ne apud posteros infame tibi sit quod uidearis familiaris nobis esse?* expressitque eclogam cuius initium est:

cum tot sustineas et tanta negotia solus,
res Italas armis tuteris, moribus ornes,
legibus emendes, in publica commoda peccem,
si longo sermone morer tua tempora, Caesar.

2. uictor *Nannius.* 3. uoluit φ *Nannius.* 4. habeam] habeo *Cruquius.* 5. Septimo *Nannius.* 6. enim *om Nannius.* 7. ἀνθυπερφρονοῦμεν *Muretus Cruquius:* ἀντιφάνουμεν *Nannius*, ἀνθυπερηφανοῦμεν ς. 8. eum *om Nannius.* putissimum *Cruquius:* purissimum ς *Nannius Muretus.* poenae *Nannius.* 10—11. opinatus est *Rutgersii Regius: om Cruquius*, credidit *Muretus.* 12. suorum *Muretus Cruquius: om Nannius.* 14. uero *Muretus Cruquius:* quoque *Nannius.* quosdam *om Nannius Muretus.* 15. scio *Nannius.* 17. infame tibi *Muretus Cruquius:* tibi inf. *Nannius.* 18. eclogam cuius initium est] quasi Epinicium *Codex Puteani.* 19. negotia] pericula *Muretus.*

3—4. *si — fieri possit:* forma temporis praesentis (*possit*) argumento est, hanc epistulam paulo post recusationem Horatii subsecutam esse, quod moneo, ut benignus animus optimi principis in Horatium magis appareat. Proximum *uolui* positum est pro consuetudine epistularum.

5. *ex Septimio:* conf. Carm. II 6, Epl. I 9.

8. *putissimum penem* (*das sauberste Kerlchen*)*: penem* appellauit ob breuem staturam, *putissimum* propter carminum castitatem, mox *homuncionem lepidissimum* (*das artigste Wichtlein*) ob facetias satirarum et epistularum.

9. *unaque et altera liberalitate locupletauit:* conf. Prooem. Epl. I 15.

14. *post sermones uero lectos* cet.: de his dictum ad Epl. I 4 et 13.

18. *expressitque — initium est:* Suetonium opinio fefellit; cf. Prooem. Epl. I 13.

habitu corporis breuis fuit atque obesus: qualis et a semet ipso in satiris describitur, et ab Augusto hac epistula: *pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ut ne accusem breuitatem, quantuluscumque est, boni consulo. uereri autem mihi uideris, ne maiores libelli tui sint quam ipse es. sed si tibi statura deest, corpusculum non deest. itaque licebit in sextariolo scribas, ut circuitus uoluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est uentriculi tui.* uixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini; domusque

1. habitu *H Cruquius:* habitus *Muretus,* Horatius habitu *Nannius.* et a semet ipso *H Muretus Cruquius:* a se ipso et *Nannius.* 2. ab *om H.* epla *H,* epistola *edd, perinde paulo post.* Protulit *Nannius.* 3. Dionysius *Muretus Cruquius:* onisius *H Parisinus E*, Onysius *Nannius et tres Parisini.* ut ne accusem breuitatem] ut accusantem *H quattuor Parisini Nannius Muretus,* accusantem *R*, ne accusem breuitatem *Cruquius per tacitam coniecturam,* ut non accusem breuitatem *coniecit Nannius.* 4. quantulusque *Muretus.* est] es *φ.* boni consilio *H,* boni consilii *R.* 5. si *om Parisini, non H.* 6. corpusculum non deest *H Muretus Cruquius:* . . . unde est *Nannius.* ut *HR Parisinus I:* cum *edd et ceteri Parisini.* 7. ὀγκωδέστατος] ΟΤΚΩΔΗϹΤΑΤΟ *H,* ὀτηκωάντατος *Nannius,* οἰκολήτατος *Muretus:* ὀγκωδέστατος *coniectura restituit Nannius, unde tacite recepit et in contextu uerborum posuit Cruquius.* 8. *addunt libri ante* uixit: ad res uenereas intemperantior traditur: nam speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita (scortũ — dispositũ *H*), ut quocumque respexisset, ibi (ibi *om H*) ei imago coitus referretur (obuiaret *H*). Tiburtini] *reliqua in libro H erasa sunt.*

1. *habitu corporis:* ante haec nonnulla uidetur omisisse qui primus Suetonii librum transcripsit. In codice Blandinio interuallum quoddam fuisse produnt uerba Nannii qui sic pergit:

Item.

Horatius habitu corporis cet.

obesus: pinguescere coepit per hiemem anni 733—734. Conf. Prooem. Epl. I 4 et ad u. 15 eiusdem epistulae.

1—2. *in satiris:* Serm. II 3 sub finem.

6. *in sextariolo:* sextarioli longitudo parua est, ambitus maior. Membrana aut cera sextariolo circumdata multas litteras potest recipere.

7. *uentriculi tui:* uerba in codicibus post haec sequentia a nobis in annotationem crit. relegata non ex Suetonio sed alio fonte infido et mendace ascita sunt. Suetonii non esse uel hoc prodit: *ad res uenereas intemperantior traditur;* nam diligentis uiri est in tam atroci fama auctorem nominare, quod Suetonius in uitis suis religiose obseruauit. Neque dicendi genus Suetonium sapit; cf. eius Iul. Caesar. 45: *fuisse traditur excelsa statura;* Tiber. 3: *traditur — rettulisse aurum.* Lessingius (Oper. t. IIII p. 9 sqq. ed. Lachmann.) haec ex Senecae Natur. Quaest. I 16 hausta et pro *Hostio,* cuius libidinem Seneca descripsit, inprudenter *Horatii* nomen suppositum esse eleganti coniectura demonstrare conatus est. Verum Horatius his uerbis, siquid uideo, non ultra oculos dicitur peccasse: in Hostio inmanis libido et maculosum nefas notatur.

8. *ruris sui Sabini aut Tiburtini:* Sabinum Maecenas dedit a. 722 uel 723 (conf. ad Epod. 1 31), Tiburtinum senior Horatius accepit anno 737; lege notata ad Carm. IIII 3 10—11, et IIII 2 30—31. Plures editores et interpretes de praedio *Tiburtino* perperam dubitant.

eius ostenditur circa Tiburni luculum. uenerunt in manus meas et elegi sub eius titulo, et epistula prosa oratione, quasi commendantis se Maecenati: sed utraque falsa puto. nam elegi uulgares, epistula etiam obscura; quo uitio minime tenebatur. natus est sexto idus Decembres Lucio Cotta et Lucio Torquato consulibus. decessit quinto kalendas Decembres Gaio Marcio Censorino et Gaio Asinio Gallo consulibus, post nonum et quinquagesimum annum, herede Augusto palam nuncupato, cum urgente ui ualetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. humatus et conditus est extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum.

HORATII FLACCI
VITA
EX LIBRIS *AH* ET VETERE BLANDINIO DESCRIPTA.

Q. Horatius Flaccus libertino patre natus in Apulia cum parente in Sabinos commigrauit. Quem cum pater puerum Romam misisset in ludum litterarum, parcissimis eruditus impensis angustias patris uicit ingenio; coluitque adolescens Brutum, sub quo tribunus militum ciuili bello militauit. Captusque est a Caesare. Post multum tempus beneficio Maecenatis non solum seruatus sed

1. Tiburni *Muretus Cruquius:* Tiburtini *Nannius.* meas *Muretus Cruquius: om Nannius.* 2. sub eius titulo *Muretus Cruquius:* sub titulo eius *Nannius.* 2—3. commendans *Nannius.* 4. etiam *Nannius Muretus: om Cruquius.* 5. sexto] *III. Puteaneus.* 6. Mario *edd.* 7. nonum] septimum *Wolfius.* 10. aesquiliis *Nannius.*

In A praepositum est VITA HORATII· P̄Q̄, *ubi* Q̄ *uidetur esse pro* Q. (*Quintus*).
11. Q. *om H.* 11—12. parente *A Cruquius:* patre *H.* 12. puerum *om H.* 13. litterarum *AH:* litterarium *Cruquius.* 14. adolescens *A Cruquius:* adulescens *H.* 15. est *AH: om Cruquius.* acesare *H.* 16. multum] magnum *A.* mecenatis *H, mox* męcenati.

5. *L. Torquato:* hinc Torquatum suum consulem dicit Epod. 13 3; cf. Carm. III 21 1.

7. *post nonum et quinquagesimum annum:* ratio non recte subducta est: colliguntur ab anno urbis 689 usque ad 746 quinquaginta septem anni.

8. *herede Augusto palam nuncupato:* cf. ad Serm. II 3 308.

10. *iuxta Maecenatis tumulum:* Maecenas eodem anno decesserat (cf. Dionis LV 7) ante uatem suum, ut haec uerba ostendunt.

etiam in amicitiam receptus est. Quapropter Maecenati et Augusto in omnibus scriptis suis uenerabiliter assurgit. Scripsit autem Carminum libros IIII, Epodon I, Carmen saeculare, de Arte poetica librum I, Sermonum libros II, Epistularum libros II. Commentati sunt in illum Porphyrion Modestus et Helenius Acron, melius Acron omnibus.

III.

DE HORATII PVERITIA ET DOCTORIBVS ROMANIS.

Praecipua uitae Horatianae tempora ac rerum momenta persecutus est Suetonius. Nos complere nonnulla conabimur quae sint idonea ad noscendos uiri mores et ingenium recte aestimandum. Infantiae annos Venusiae degit. Matrem pridem ibi mortuam esse ex silentio pii filii de patre multa narrantis colligere licet. Infantis audaciam et promptum animum Venusiae ciues eorumque locorum coloni saepe mirati sunt, ut rari ingenii scintillae quaedam per primam aetatem in magnis hominibus solent emicare. Hoc ipse iucunde narrauit (Carm. III 4 9—20). Idem infantiae in oppido Venusino actae breuem mentionem iniecit in Sermonibus (II 2 112): *puer hunc ego paruus Ofellum integris opibus noui non latius usum quam nunc accisis*. Recte scribit *puer paruus*, non *puer*. Nam simulatque ad eos annos prouectus est, quibus puerorum animi artibus honestis erudiri et ad humanitatem informari solent, pater bonis praeceptoribus, quos in oppido patrio frustra requirebat, filium traditurus Romam transmigrauit. In urbe pater paruas mercedes coactor secutus est, ut sibi uictum et filio necessaria pararet. Lege dulcem narrationem in Sermon. I 6 65—88. In scholis Romanis puer poetas Latinos et Graecos rite legere et prae ceteris Homerum admirari didicit; Epl. II 2 42—43,

1. amiciciam *H*. 3. Epodon I, Carmen saeculare] Epodon carmen sclare *H*, Carmen . Saeculare . Epodon *A*, Epodon I. Carmen seculare *Cruquius*. 3—4. de Arte poetica I. *Cruquius, qui transtulit in locum postremum*, de arte poetica libri (*uoluit* lib I.) *A*, de arte poetica *H*. 4. Epistolarum lib. II Sermonum lib. ·II· *A*, Sermonum libros ·IIII· Eplarum quoque libros ·II· *H*, Sermonum lib. II. Epistolarum II. *Cruquius*. 5. in om *H*. Porphyrion Modestus] Porphirion Modestus *A*, porphirion · Modestus *H*, Porphyrion, Modestus *Cruquius*. 5—6. et Hel. — omnibus] > (= et) Helenius · acron · omnibus melius *A*, helen' · et acron . melius acron . omnibus *H*, Helenius Acron, omnium autem optime Acron *Cruquius*.

II 1 70—71. Maius quid et melius patris diligentia praestitit. Ille circa magistros erat, pudicum puerum seruauit, ille uiua recti prauique exempla monstrabat, reuerentiam erga deos patrios animo cereo indidit (cf. Prooem. Carm. I 34). Adeo sapientiae praecepta a doctioribus magistris olim discenda patrem filio promittentem accepimus (Serm. I 4 115): *sapiens uitatu quidque petitu sit melius causas reddet tibi.* Nimium igitur non erit, si his uerbis freti colligamus, iam patrem Horatii destinasse ut filius a grammaticis urbis Romanae satis institutus et in Graeciam translatus sapientiae professores Athenis audiret. Sed quoniam Horatius de sua cum patre consuetudine Romana satis multa, de eiusdem Attico quodam commercio nihil nobiscum communicauit, credere licet patrem in urbe mortuum esse, filium tanto praesidio orbatum Athenas solum sese contulisse.

IIII.

DE HORATII STVDIIS ATTICIS ET GRAECIS VERSICVLIS.

Quid agitans animo Athenas philosophorum sedem adierit Horatius, ipse professus est (Epl. II 2 43): *adiecere bonae paulo plus artis Athenae, scilicet ut possem curuo dinoscere rectum atque inter siluas Academi quaerere uerum.* Frequentauit igitur *Academicorum* scholas in illis spatiis, quibus Platonis uestigia primum impressa sunt, dein successores auctoris sui placita uarie immutata docuerunt. Legit Platonis, doctoris in moribus hominum recte notandis ingeniosissimi, sermones (*διαλόγους*), ad cuius exemplum ipse olim *sermones* scripturus erat; hausit suaues illas chartas Socraticas (AP. 310), unde uerum disceret, mores hominum nosceret; adfuit disputationibus sapientium de causis rerum (*φυσικοῖς*), de uero et falso (*διαλεκτικοῖς*), de finibus bonorum et malorum (*ἠθικοῖς*). Vnum tantum non bene instillauerunt bonae Athenae. Nam dum aut Academicorum subtilibus dubitationibus nimium se constringi et in artum protrudi patitur, aut Epicuri aemulis et sectatoribus iusto plus se concredit, de Iouis optimi maximi summo imperio et sapientia persuasionem a patre pie traditam poetaeque fructuosissimam perdidit ac sero demum et post

multa discrimina rerum recuperare potuit; cf. exposita ad Carm. I 34, etiam ad Serm. I 5 101 sqq., 9 70. Horatii fama in philosophis iam tunc magna Marci Bruti fauorem ipsi conciliauit, si uera sunt quae ex ueteribus interpretibus ad Epl. II 2 47 collocauimus. Iam si considerauerimus Horatium hoc tamquam proprium et suum scribendi munus per totam uitam secutum esse, ut *sermonibus* uitia exagitaret, *epistulis* uirtutem commendaret et officium doceret (lege prae ceteris Serm. I 4 39—62, 10 46 sqq., II 1 57 sqq., 3 9 sqq.), contra poetae nomen et negotium saepius detrectasse (Serm. I 4 39 sqq., Epl. I 1 2 sqq., II 2 24 sqq. et 141 sqq.), hoc paene pro certo statuere poterimus, Horatio Athenas proficiscenti fuisse propositum, ut sapientiae studiis totum se traderet, ut sermonibus ad exemplar Platonicum faciendis mores ciuium Romanorum olim emendaret, dociles animos ad bonam frugem deduceret.

Verum audi ipsum amplius de Attico deuersorio referentem l. c.: *dura sed emouere loco me tempora grato, ciuilisque rudem belli tulit aestus in arma Caesaris Augusti non responsura lacertis.* Ciuile bellum anno 711 (43) exarsit et proximo anno acerrime ac multo ciuium sanguine gestum est. Brutus imperator ignobilem adolescentulum, sed in philosophis Atticis non obscurum, ad tribunatum militarem euexit. Antequam Brutum in Asiam, inde in Thracum terras et Macedoniam secutus est, in bellum ruentes seuere increpuit et utrisque partibus hostiles impetus disertis uerbis dissuasit (Epod. 7 et 16), saluberrimo consilio testatus quam inpie stulteque fratres alternas caedes molirentur. Mox ad campos Philippensium profectus post Cassii caedem, sed Bruto etiamtum superstite, tristes contubernalium animos epodo praeclaro (13) consolatus est, id quod suo loco accuratius a me demonstratum est.

Verum enim uero aduersus haec grauis oboritur dubitatio et non leuis haesitatio. Nam tres epodi proxime significati si nati sunt anno 712 (42) et in strepitu armorum expressi, ut ex argumentis eorum intellegitur, quid fiet illis uerbis, quibus Horatius me interprete professus est, sese lyrica carmina non sua sponte, sed Maecenatis et Augusti gratia scripsisse (lege Epl. II 2 51—52 cum mea annotatione), h. e. ante annum urbis 717 (a. Chr. 37) ad carmina scribenda animum non appulisse? Num mendacium dixit et lusit poeta? Absit leuis ac mala suspitio a simplice et can-

dido Horatii animo. Immo illi epodi inter *Graecos* homines editi *Graecis uersiculis* primo compositi in lucem prodierunt. Nam Graecis uersiculis operam olim se dedisse Horatius ipse testatus est Sermon. I 10 31: *atque ego cum Graecos facerem natus mare citra uersiculos, uetuit me tali uoce Quirinus* cet. *Graecos* uersiculos in patriam reuersus ac re melius pensitata *Latinis* mutauit, postquam inter amicos Maecenatis receptus est. Hanc iustam esse λύσιν ἀποϱίας sapientes et callidi, opinor, agnoscent: alii ac praecipue rerum nouarum contemptores audaciam et coniectandi libidinem crepabunt.

V.

DE SCRIPTV QVAESTORIO PER QVADRIENNIVM AB HORATIO GESTO, TVM DE SATIRA LIBRI PRIMI SECVNDA ET SEPTIMA.

Spes bona quam fouit Horatius, post Cassii cladem diris uexatus sollicitudinibus, *ut deus haec benigna reduceret in sedem uice* (Epod. 13 7), contra cecidit. Mox altera clade partes Bruti deuictae sunt, dux ad desperationem et in caedem sui compulsus est. Horatius impetrata uenia inops et pauper non Athenas redire potuit, sed in Italiam abiit. In eo itinere Venusiam patrium oppidum attigit. Quod ut credamus, suadent uerba in Sermonum II 2 114—136. Nam ibi quae narrauit de *Ofello* rustico, qui agrum ademptum fortiter tolerauerit, illa tantum occasione uidere potuit, siquidem posteris temporibus Venusiam non reuisit. Hinc etiam hoc possumus colligere, Horatium, qui paternum agellum ipse amiserat, illo rarae fortitudinis exemplo confirmatum esse et animo non afflicto Romam contendisse. Illic paternis quodammodo insistens uestigiis *scriptum quaestorium* comparauit et hoc officium scribendi obiit, donec inter amicos Maecenatis ascitus est. Illam amicitiam cum paulo post initium anni 717 nactus sit (cf. Serm. II 6 40 cum annotatione), per quattuor annos scribae quaestorii munus administrauit. Qui longius ipsum in hoc officio mansisse existimant, falluntur. Nam post partam Maecenatis amicitiam statim longioris itineris conditio, mox uaria officia in urbe praestanda publici muneris onus non

lerabant, atque illi opinioni fortiter aduersatur descriptio uitae suae, quam primi libri satirae sextae insertam legimus (111—128). Vnum eius coniecturae fundamentum, quod uisum est inesse Serm. II 6 36—39, a nobis destructum est. Semel quidem occasio uidebatur offerri, ut sibi paulo benignius facere posset. Nam mulier et nobilis et diues consuetudinem eius cupiebat. Quam cum aliquotiens adisset, continuo reliquit, simulatque comperit in hac amicitia munia parum honesta sibi ferenda expectari (Epod. 8 et 12). Per hoc quadriennium Horatius neque carmen ullum neque epodum conscripsit, ut constat ipsius testimonio ante memorato, sed uictum quaerens parce et duriter agebat. Neque tamen proprium illud scribendi genus sibi a prima aetate propositum, sermones dico, omnino neglexit, sed satiram *secundam* et *septimam* libri primi per hoc tempus composuit (cf. Prooem. Serm. I 2 et 7). Siquis parum hoc esse crediderit pro tam diuturni temporis spatio, is haec uelim consideret. Primum publici muneris quotidiani labores otium faciendis satiris necessarium plerumque subtraxerunt. Porro tanta uir prudentia nihil inchoare et perscribere sustinuit, antequam quod sibi scribendum et cum aliis communicandum proposuerat, ab omni parte ponderasset et pertractasset. Sic factum est ut ad sermones suos non ante accederet, quam aliquot satirarum argumenta disposuisset iam et intra se ipse formasset. Hoc ipsum longius considerandi et meditandi tempus postulauit.

VI.

DE SERMONVM LIBRO PRIMO ET EPODIS, TVM DE PRIMIS CARMINVM CONAMINIBVS.

Iam paulo maiora canamus. Receptus in amicitiam atque fauorem Maecenatis et conuictor fuit uiri diuitis et ab eodem accipiebat quae ad usus uitae requirebantur, ueluti domicilium conductum, seruos, nummos. Lege Serm. II 6 27—58. Breui uerbo et ioco non inliberali Augustus huiuscemodi amicitiae naturam complexus est: *Horatium nostrum a te cupio abducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam* cet. Iam poeta molesti laboris uinculis plane solutus liberiore ingenii cursu ferri coepit et ad sermones

scribendos alacriter incubuit. In sermonibus siue satiris hac propositi ratione usus est. Moralem Platonis doctrinam populares docturus ab exagitandis et irridendis uitiis flagitiisque principium sumpsit, quo quasi uiam sibi muniret ad uirtutem in priore libro epistularum mox commendandam et officium in altero rite explicandum. In hoc curriculo quominus celeriter procederet, duobus aliis officiis sibi a Maecenate iniunctis impediebatur. Primum amico *iambos* cupienti eiusmodi librum se scripturum esse pollicitus est (Epod. 14 7—8). Illud uero ab huiusmodi initio profectum esse crediderim. Maecenati cum ostendisset quos epodos (= iambos) in Graecia olim fecisset, ille continuo adhortatus est, ut pro Graecis uersiculis Latinos suppeditaret, tum alios epodos adiungeret. Post Graecos uersus Latine redditos primi successerunt quos in mulierem uetulam et libidinosam lusit licentius, dein usque ad annum urbis 726 uariis interuallis ceteri additi sunt. Moram his quoque iniciebat quod uaria simul aggressus est. Nimirum tertia cura iam interuenerat. Dum Brundisium et Tarentum comitatur Maecenatem (717 = 37), qui Antonium a Caesare Octauiano tunc auersum reconciliare uolebat, Horatius ante foederis Tarentini societatem a Maecenate iunctam funesti belli tempestatem, nouas clades et ciuium proscriptiones animo praeuidebat. Quapropter utrisque partibus bellum dissuasit, pacem sapientissimis uersibus commendauit. Sic natum est carmen primi libri quartum decimum; secutum est eodem itinere excitatum eiusdem libri uicesimum octauum, secundi libri sextum. Alios lusus lyrae sociandos amoris militia, alios amicorum desideria excitauerunt. Haec temptamina tempore et occasione expressa Maecenas magna cum laetitia excepit atque, ut in coepta uia pergeret, haud dubie adhortatus est. Maiorem impetum nouus uates cepit temporibus Actiacis, sed haec antequam persequamur, ad sermones interim redire decet. Iam enim causa patefacta est, cur in hoc suo genere scribendi ab anno urbis 717 usque ad a. 723, quo pugnatum apud Actium est, non plus quam octo satiras sufficeret. Quas cum absoluisset, tam hasce quam duas illas ante Maecenatis amicitiam factas uno libro complexus est, quas quidem nondum cum populo aut quibusuis lectoribus, sed solum cum amicis suis communicauit. Conf. annot. ad Serm. I 10 92.

Ad hunc quaestionis locum deuectus lectores meos, ut animum aduertant ad aliquem huius disputationis fructum meo iure rogare potero. Nam aute nondum explicatum est unde acciderit, ut poeta et modi studiosus et iusto ordini praecipue deditus eodem tempore tam diuersa, tam et numeris discreta et argumento diuersa poematum genera temptauerit, sed alii rem miram securo silentio transmiserunt, alii diuersos labores eodem tempore susceptos non admissuri grauibus erroribus seque et alios tradiderunt*). Nunc facilis et simplex responsio parata est. Scilicet *sermones* prôprio instinctu et Platonem quadamtenus aemulatus fecit, *epodos* Maecenati roganti promisit, *carmina* primum Maecenas, mox etiam Augustus postulauit, alia amoris studium et amicitia excitauit; sermones suo impulsu inchoauit, epodos et carmina aliorum gratia cecinit.

VII.

DE NOVIS CARMINIBVS, EPODIS, SERMONIBVS. DE EDITIS TRIBVS CARMINVM LIBRIS ET LIBRO EPODORVM, ITEM DE EDITIS DVOBVS SERMONVM LIBRIS.

In disputatione praegressa Horatium ad tempora proelii Actiaci comitati sumus: iam proxima continuabimus. Pugnam Actiacam non sine sollicita et diuturna cura ciues in urbe cum expectassent, euentu felicissimo Romam nuntiato ingens populi laetitia et effusa exultatio Caesaris amicorum prorupit. Idem proximo anno (724 = 30) euenit, cum Alexandria uictorem Caesarem apertis oppidi portis recepisset, hostes et aemuli uita concessissent. Haec gaudia Horatius suis uersibus concelebrauit (I 29 et 30, III 25, Epod. 9),

*) Non alio fonte detorta est haec falsa ratio a Bentleio de natalibus operum Horatianorum in praefatione (edit. Lips. p. X) sic prodita: 'primum Horatii opus statuo *Sermonum* librum *primum*, quem triennio perfecit intra annos aetatis XXVI, XXVII, XXVIII; postea *secundum* triennio itidem, annis XXXI, XXXII, XXXIII; deinde *Epodos* biennio, XXXIIII et XXXV; tum *Carminum* librum *primum* triennio XXXVI, XXXVII, XXXVIII; *secundum* biennio XL, XLI; *tertiumque* pariter biennio, XLII, XLIII: inde *Epistolarum primum* biennio, XLVI, XLVII; tum *Carminum* lib. *quartum* et *Saeculare* triennio, XLVIIII, L, LI. Postremo *Artem Poeticam* et *Epistolarum* librum *alterum*, annis incertis. Intra hos cancellos omnium poematιων natales esse ponendos, et ex argumentis singulorum et ex Annalium fide constabit'. Bentlei decreta primum bono cum successu refutauit C. Kirchner in *Quaestionibus Horatianis* (Lipsiae 1834) p. 1—41.

quae carmina ab ipso Caesare Octauiano laudata et approbata sunt (lege Serm. II 1 84 cum annotatione mea), siue in transmarinas prouincias ad se missa legit siue reuersus in urbem cognouit. Alios uersiculos ad lyram cantandos elicuit Caesaris reditionis expectatio (I 6, III 29), nouos (II 18) tres triumphi imperatoris regressi (a. 725 = 29), alios Maecenatis et Augusti uota, ut Horatius Romanorum animos ab ipsis emendandos moribus latisque legibus a rebus inhonestis reducendos editis carminibus praeceptisque amicis formaret (cf. Prooem. Carm. I 32, III 1), alios Augusti coepta in Galliam et Britanniam profecturi (a. 727 = 27), ut externis uictoriis ciuilium bellorum memoria aboleretur (I 35); nouos (III 14) cecinit, ubi Caesar Augustus rediit (730 = 24) et morbo, in quem mox inciderat, liberatus omne imperium a patribus delatum accepit (I 2 et 12). Inter hos quasi publicos labores etiam amoris sui et amicorum causa barbiton tendere non oblitus est, de quibus lusibus ad singulas eclogas diximus. Sub finem anni 733, ubi uim amoris defecisse sensit, carmina resignauit (III 26), neque proximis temporibus a consilio capto destitit aut Maecenati antiquo ludo includere uatem optanti concessit (lege Prooem. Epl. I 1), nisi quod singularis amicitiae gratia anno urbis 734 (a. Chr. 20) unum (I 7), anno 735 duo carmina (I 3, II 9) suffecit.

Ad Epodos Actiaci belli diebus et proximis annis quattuor noui additi sunt, quorum primum (1) belli gerendi expectatio, alterum et tertium amoris sui conditio (14 et 15), quartum (3) amici caritas prouocauit. Post annum 726 (28) Epodos nullos fecit.

Ad proprium scribendi genus Horatianum accedimus. Post sermones libri primi a. 723 absolutos continuo nouam curam exordiri Flaccus cupiebat. Sed per annum 724 (30) otium subtilibus rebus idoneum nancisci non potuit. Nam dum ex prouinciis transmarinis de rebus Caesaris in dies noua nuntiantur ad Maecenatem et Agrippam urbi et Italiae praepositos, ipse et sua curarum sollicitudine et aliorum noua sciscitantium inportuna cupidine uarie uexatus et mille negotiis fere oppressus est. Quibus molestiis ut sese subtraheret et satiris faciendis iterum se traderet, sub finem Decembris urbis strepitum fugit, in praedium Sabinum se contulit, ipsoque primo die anni 725 primam secundi libri satiram (II 6) in-

choauit. Haec omnia narratione amoena nobiscum communicauit l. c. uersibus 1—58, unde pauca subieci, ut nostris oculis aspicere possimus quam alacriter et libenter in hoc campo tamquam suo decurrerit: *ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe remoui, quid prius illustrem satiris Musaque pedestri?* Secuta est eodem anno ampla satira tertia (conf. Prooem. Serm. II 3 et 6); anno proximo 726 inchoauit illam, quae nunc primo loco legitur (Prooem. Serm. II 1), ubi Trebatio a satiris dehortanti respondet (u. 57—60) sese a scribendis satiris nullo timore deterreri posse, sed in omni fortuna scribere uelle. Quintam eiusdem libri satiram anno 727 (27) composuit. In ceteris (2, 4, 7, 8) quamuis desint liquidae temporum notae, tamen ex illis quae adhuc exposita sunt, colligere licet alterum sermonum uolumen anno fere 728 (26) absolutum esse. Ad nouum genus sermonum, *epistulas* dico, anno urbis 733 (21 a. Chr.), ut suo loco uidimus, peruenit. Per temporis spatium quod intercessit ab anno 729 usque ad 732, nouas satiras iam non fecisse, sed eo usus uidetur esse, ut adhuc factas perpoliret, nouos sermones animo meditaretur et intra se ipse conformaret.

Iam de libris sermonum et carminum in uulgus editis dispiciemus. Incipiamus a sermonibus siue satiris. In his tria tempora discernenda sunt, primum ubi singulas satiras, ut perfecerat singulas, amicis Horatius recitauit (I 4 73), alterum ubi pro singulis sermonibus totum uolumen cum familiaribus communicauit, tertium ubi duos libros omni populo tradidit. Primum satirarum uolumen addita decima non diu ante pugnam Actiacam compleuit et absoluere uoluit, id quod ipse indicauit postremo uersu: *i, puer, atque meo citus haec subscribe libello.* Hoc tamen non de tertio publicandi modo, sed de secundo accipiendum esse suo loco monstraui (lege Comment. ad Serm. I 10 92). Perinde temporibus anno urbis 728 (26 a. Chr.) proximis etiam alterum librum in manus amicorum cessisse credere licet, quamuis eius rei testis certus produci non possit. Toti legentium generi et tabernis Sosiorum hos libros tum demum commisit, cum ad unguem usque castigatos et omnibus partibus perpolitos exegerat. Hanc tertiam ac postremam Sermonum editionem euenisse anno 733, id ego in commentario ad Epl. I 4 commonstraui. Nimirum illo anno no-

uum sermonum genus (epistulas) aggressurus ueteres ante ordinauit, ordinatos omnibus lectoribus tradidit.

Iam tempus est ut carminum ab Horatio publicatorum annus definiatur. Carmina cum certa occasione et re sic ferente excitata sint, singula cum amicis illis aut puellis amatis communicata sunt, quorum gratia stilum poeta apprehenderat. Libros qui pro se quemque editos, quique duos iunctim editos esse, mox tertium successisse credunt, falluntur. Hoc tu sic intellexeris. Narrat Suetonius ab Augusto coactum esse Horatium, *ut tribus carminum libris ex longo interuallo quartum adderet*. Haec uerba per se spectata sola duplicem admittunt intellectum, unum hunce, diu ante librum quartum libros tres priores, unum post alterum, editos esse, alterum hunc, eosdem libros diu ante quartum iunctim editos esse. Verum ut alteram explicationem admittamus, priorem remoueamus, luculente et aperte ostendit ipsa compositio et partium iunctura, qua libri tres priores continentur. Nam toto corpore comprehensum est quicquid per undeuiginti annos (717—735) uariis occasionibus Flaccus cecinerat. Atqui paene in principio libri primi (I 3) collocatum est carmen de itinere Attico Vergilii anno 735 scriptum, ac septimo eiusdem libri loco comparet quod exeunte anno 734 in Orientem ad Plancum filium missum est, libri secundi nonum locum occupauit quod factum est anno 735. Porro non procul ab initio (I 2 et 12) admissa sunt duo carmina post morbum Augusti feliciter curatum anno 732 edita. Quapropter liber primus et secundus non ante tertium editi esse possunt, sed omnes eodem anno in librariorum tabernas emissos esse liquet. Quae cum ita sint, simul hoc patet, illam editionem non ante annum urbis 735 (19 a. Chr.) paratam esse. At illa fortasse post annum 735 euenit. Non est ita. Nam in eo corpore nullum carmen inest, quod post annum 735 natum sit. Quo tamen cum res in quaestione posita uerisimilis potius quam certa reddatur, alterum argumentum ex libri primi epistula tertiadecima petendum omnem dubitationem praecidit. Nam in hac epistula, quae principio anni 736 ad Augustum missa est (cf. Prooem. Epl. I 13), Horatius de *uoluminibus carminum* (u. 2 et 17) ad Augustum delatis loquitur. Ex his patet carmina ab Horatio in tres libros collecta neque ante annum 735 neque post edita esse.

Hos carminum libros Maecenati dedicauit poemate olim composito (cf. Prooem. I 1); in fine tertii libri epilogum dedit in hunc usum recens a se factum. In ipso illo corpore concinnando uarietatem potissimum spectauit; aliquotiens tamen cognata argumenta secutus est (cf. I 5 et 6, 14 et 15, 36 et 37 et 38, II 2 et 3, III 1—6). Suam cum potentibus familiaritatem legentium oculis paulum subtraxit. Hinc explicandum reor, quod carmen tricesimum secundum libri primi ab illis carminibus (III 1—6), quorum prooemium hoc esse repperi, longo interuallo separatum est.

Eodem anno epodos impulsu Maecenatis amici factos in publicum emisit uno libro comprehensos. Hoc ita euenisse prodit epistula primi libri undeuicesima, in qua inde a u. 35 causas reddit Maecenati, cur carmina sua et epodos domi laudent lectores et ament, extra limen iniqui deprimant. Tam haec quam quae antecedunt de falsa imitatione monita, ad carmina et epodos nuper edita spectant; cf. Prooem. Epl. I 19.

VIII.

DE EPISTVLARVM LIBRO PRIMO.

Ad scribendas epistulas, h. e. ad eos sermones, in quibus de uirtute et officio deque fine bonorum praecepit, statim post satiras absolutas et in uulgus editas alacri studio transiit. Maecenas quidem antiquo ludo uatem suum iterum includere et ad uersus lyrae sonum moturos reuocare anno 734 conatus est (lege Prooem. Epl. I 1): uerum consilii certus et propositi tenax illi adhortationi non concessit, sed in curriculo sibi delecto sine mora pergere uoluit. Nouum hunc decurrendi campum sollerter ingressus est epistula, quae secundo loco libri primi reposita est. Nam ipse cum docere uellet uersibus quid sit bonum et malum, quid reddat beatum, quid deceat, quid non, eleganter in ea epistula, qua nouum scribendi genus exorsus est, declarauit Homerum philosophis melius et planius dicere, quid sit pulchrum et turpe, utile et damnosum. Sic enim oblique et nobili exemplo docet quantum bonus poeta etiam in hac scribendi materia praestare possit, dein continuo saluberrima praecepta et adolescentibus prae ceteris idonea aspersit.

Haec prima libri ecloga altera parte anni 733 scripta est. Conf. Prooem. Epl. I 2 et 4. Ceterae subsecutae sunt usque ad initium anni 736; quas cum absoluisset, hunc librum publicauit ac lepido epilogo (20) prosecutus est. Editionem anno 736 (18) paratam esse hinc ego colligo, quod duae epistulae (tertiadecima et undeuicesima), quae praeter epilogum iure suo pro postremis habentur, spectant ad Carmina sub finem anni 735 edita. Accedit quod anno proximo (737) diuersae curae et labores Horatium exceperunt et ab epistulis per quinquennium (737—742) detinuerunt. Itaque primus epistularum liber proxime post tres carminum libros et epodos emissus est. Etenim epistulas sale nigro non repletas cur tam diu domi contineret, ut olim satiras in publicum prodire humane prohibuerat, nihil causae adfuit.

VIIII.

DE CARMINVM LIBRO QVARTO.

Ad carmina, olim omissa et ipsi Maecenati denegata, post longum interuallum ut rediret, uoluntas fecit eius qui cogere posset. Augustus enim saeculares ludos editurus anno 737 (17 a. Chr.) saeculare carmen Horatio faciendum iniunxit, publico documento testatus cui Latinorum poetarum primas tribueret. Horatius onus impositum suscepit ac felicissimo successu ad finem duxit. Eadem occasio duo alia carmina excitauit, illud quod sexto loco libri quarti locatum est et quod tertium locum obtinet. Priore poemate carmen saeculare a se factum et mox cantandum nuntiauit ac praeparauit. In altero, quod post eos ludos cecinit, admirabili temperantia gloriam nouo carmine partam ad Melpomenen rettulit, simul praedii Tiburtini nuper accepti (cf. ad IIII 3 10 sqq.) gratam mentionem iniecit. Sic in ueterem ludum praeter spem relapsus etiam ceteris amicis iterum indulgere et magis commodus esse coepit. Itaque nonnulla carmina cecinit a nobilibus adolescentibus cupide expectata, nonnulla addidit in honorem Augusti et ad temporum felicitatem meritis laudibus decorandam. Adeo iocorum aliquid aspergere non dedignatus est. Eodem tramite ut procederet, iterum Augusti mandata fecerunt. Augustus enim post

longiorem absentiam ex longinquis prouinciis in urbem regressus medio anno 741 (13) Vindelicam uictoriam Tiberii Drusique canendam iniunxit eumque coegit tribus carminum libris quartum addere (u. Prooem. Carm. IIII 4). Hisce Augusti mandatis Horatius reliqua parte anni 741 et anno 742 sic obsecutus est, ut utrumque uictorem et ipsum Augustum uictoriae auctorem duobus longis carminibus praedicaret (4 et 14) et in tertio carmine (15) Augusti merita et uirtutem separatis laudibus caneret. Aliquam hac in re inconstantiam suam, sed imperantibus nobilibusque admodum gratam, ipse lepide confessus est Epl. II 1 111: *ipse ego, qui nullos me affirmo scribere uersus* (lyrae sociandos), *inuenior Parthis mendacior et prius orto sole uigil calamum et chartas et scrinia posco.* Haec cum scripta sint anno 743 (cf. Prooem. Epl. II 1), et cum postrema quarti libri carmina adulto anno 741 coepta sint, ipsum librum quartum anno 742 editum esse patet.

X.

DE EPISTVLARVM LIBRO SECVNDO.

Peruenimus ad ultima opera ab Horatio postremis uitae annis condita. Post carminum librum quartum anno 742 editum Flacco nihil iam ab imperatore iniunctum est, sed etiam Augustus tamquam rude donatum et satis spectatum dimisit, ipse ceteris qui lyrae uersus postulabant, ueluti Iulio Floro (lege Prooem. Epl. II 2), fortiter hoc denegauit. Itaque rediit ad suum scribendi genus, ac laeto animo et constanti consilio hoc amplexus est, non autem scribendi aliquando pertaesus tamen ad uersus faciendos usque recurrit, id quod ingeniosius quam uerius ab aliis dictum est. Per quadriennium, quod post annum 742 uixit, longas illas et aureolas secundi libri epistulas composuit, ad Augustum anno 743 (11), ad Florum a. 744 (10), ad Pisones a. 745—746 (9—8), ut in prooemiis singularum ostensum est. In primo epistularum libro cum explicuisset, quid bonum esset et malum, utile et damnosum, quid beatum aut miserum redderet, in secundo *officii* (τοῦ καθήκοντος) praeceptor extitit. Verum non omnis officii rationem exposuit, sed illam partem delegit quam optime scire sibi uisus est, quid sit offi-

cium eorum qui poematis faciendis studium et ingenii uires conferre uelint. Hanc telam sic pertexuit, ut incertum relinquatur, utrum maiore laude digna sit subtilis et uaria docentis scientia, an admirabilis in serendo explicandoque quaestionis argumento uarietas, an facetiae et ioci suauissimi singulis epistulis modo parcius modo largius inspersi. Haec opera quamuis ampla auctori tamen non uidentur suffecisse ut librum alterum inde componeret, sed alia uidetur addere uoluisse. Mors superuenit. Amici ex postumis epistulis alterum librum fecerunt. Hoc ita accidisse et prodit magnum Artis poeticae nomen epistulae postremae inditum (cf. Prooem. AP.), et hinc agnoscitur quod librum emissum nihil praefationis aut clausulae secutum est.

XI.

DE HORATIANIS SAECVLI NONI CODICIBVS. DE CODICE BLANDINIO, BERNENSI, GOTHANO.

Edita Horatii poemata tanto studio homines et lectitauerunt et descripserunt, ut neque uersus ullus periret neque falsus ab interpolatore sufficeretur. Nam in tanta elegantia et breuitate clauam Herculi extorquere facilius est quam interponere uersiculum qui ceteros fallere possit. Nobile exemplum a Suetonio traditum est his uerbis: *uenerunt in manus meas et elegi sub eius titulo, et epistula prosa oratione, quasi commendantis se Maecenati.* Verum idem Suetonius continuo addit: *sed utraque falsa puto. nam elegi uulgares, epistula etiam obscura; quo uitio minime tenebatur.* Nimirum quicquid elegantia carebat, quicquid obscurum erat aut alioqui uitiosum, hoc ab Horatio proficisci non potuisse uel parum sagaces ueri falsique iudices prompte perspiciebant. Hinc ex istis elegis et epistula uerbum nullum ad tempora nostra proditum est. Alterum exemplum habemus octo uersus decimae satirae libri primi praemissos, ab ingenio et stilo Horatiano plane diuersos. Pannus ille non ab interpolatore profectus, sed ab aequali quodam poeta compositus ueteres non fefellit. Non scholia illum habent, etiam codices plerique et optimi omittunt,

pauci tolerant. Sed aliud incommodum in frequenti usu et exemplorum descriptione non uitatum est, dico farraginem lectionum discrepantium per multa saecula natam et progressu temporis auctam. Prima ac uetustissima uariantis scripturae uestigia in duobus Sermonum libris hinc orta uidentur esse, quod horum uolumina primum paucis tradita, mox ab auctore hic et illic polita palam emissa sunt. Inde proximis temporibus alios codices ex uetere editione, alios ex noua descriptos in hominum manibus fuisse, hoc uidetur probari argumentis quibusdam ad Serm. I 6 126, II 3 303 protractis. Quod ne cupidius etiam ad cetera Horatii scripta accommodetur, in his idem usu non uenisse moneo. Nam etiamsi singulorum carminum codicilli fuerunt, hos post editos carminum libros nemo sectari uoluerit, cui noui exempli faciendi otium fuit. Similis ratio etiam in epistulis obtinuit: nam una editio libri primi ab auctore, una libri secundi ab eius amicis facta est. Hinc causa apparet cur in carminibus epodisque et in epistulis libri manu scripti tantum differant, quantum inprudentia et neglegentia describentium fieri solet, in sermonibus autem etiam grauiores discrepantiae nonnullae reperiantur. Nam quod Serm. I 6 126 ex omni codicum numero duo tantum offerunt *fugio campum lusumque trigonem*, dum ceteri habent *fugio rabiosi tempora signi*, hanc differentiam non scribentium errore, sed alia uia natam esse liquet. Hoc mihi signum fuit, quo in Sermonum libris codices ultimam Horatii manum et δευτέρας φροντίδας referentes a multitudine ceterorum librorum, qui ducti sunt ex priore Sermonum editione, segregarem. Verum qui codices in una parte scriptorum Horatii maiorem curam testantur, eosdem etiam in reliquis maximi faciendos esse patet, nisi forte contrarium certis ac firmis argumentis demonstrari potuerit.

Quod adhuc dictum est de fide codicum ceteris praestantium potissimum conuenit in librum saeculi noni, quem priores editores *uetustissimum* et *antiquissimum Blandinium* appellauerunt, ego *ueterem* prae tribus aliis Blandiniis nominaui. Codicem illum, olim in bibliotheca Benedictinorum fratrum s. Petri in monte Blandinio (*Blankenberg*) Gandaui repositum et Roma ad s. Benedicti alumnos missum, primus protraxit Petrvs Nannivs, accuratius uersauit et contulit Iacobvs Crvqvivs; tum anno 1566 ab

iconoclastis inpio bello furentibus laceratus est*). A Nannio de hoc libro sic relatum legimus in *Miscellaneorum* l. III c. 1: *cum Gandaui haererem ob causam fratris, grauem illam quidem non culpa, sed casu, — adeo bibliothecam S. Petri in monte Blandinio, ubi inueni antiquissimum Horatium, uoluo ac reuoluo omnia. Annoto diligenter quicquid operae pretii mihi uidebatur.* Nannium tunc non latuisse etiam ceteros eiusdem bibliothecae codices Horatii, indicant quae paulo post scripta sunt: *in ea bibliotheca inueni uitas Horatii plurifariam conscriptas, sed indoctissime, inter quas tamen una eximia fuit.* Nam uitas *indoctissime conscriptas* significauit illam, quam Cruquius ex tribus reliquis Blandiniis tertio loco in appendice editionis suae et quam secundo loco ex uetere Blandinio descripsit. Nannius proximo capite (2) uitam Horatii ex uetere Blandinio ascripsit, tum (c. 3—18) exemplis nonnullis ostendit quomodo scholia Acronis (huius editionem ille parabat) Blandinii codicis auxilio suppleri emendarique possent, deinde eadem uia ad epodos et artem poeticam perrexit (19—24). Ad satiras progressus (c. 25) annotauit: *uetus codex nihil nos in Sermonibus adiuuat: nam praeter ipsa carmina Horatii nihil habet.* Quae uerba ne praue, lector, intellegas, hoc debes meminisse, Nannium id egisse ut Acronis commentarium ex ueteris Blandinii scholiis compleret et corrigeret eoque lucem nonnullis Horatii locis accenderet, tum ipsum non laeue scripsisse 'praeter *ipsa* carmina', neque inprudenter in nomine *Sermonum* littera maiuscula, in *carminum* uocabulo minuscula usum esse. Dicit igitur in Sermonum libris scholia ueteri Blandinio non ascripta fuisse, eamque causam esse cur iam suo periculo in Horatium commentari pergat**). Hoc a Nannio proditum memores teneant qui Commentatore illo Cruquiano in Sermonum libris uti uolent.

*) Conf. *Famiani Stradae* de bello Belgico decades II libro V p. 142—150 ed. Francof. 1651. Perisse bibliothecam Blandiniam a. 1568 narrat Mitscherlichius et alii hunc incauti sequuntur.

**) In errorem non leuem incidit Franciscvs Pavly scribens in dissertatione inaugurali (*Quaestiones Horatianae criticae*) Bonnae edita a. 1851 pag. 4: 'multo autem grauior est quem nunc corrigam Ianii, Braunhardi, aliorumque errorem eodem codice Nanniano ortum. Etenim cum Nannius codicem suum, ut quem inuenerit in bibliotheca Blandiniana' (immo *suum* codicem Horatii Nannius in bibliotheca Blandinia non inuenit, neque ille cum Blandinio commisceri debet), 'eodem nomine saepius insigniat, quo Cruquius suos Blandinianos' (sic), 'et praeterea plus semel, *uetustum aut peruetustum*

Plenius tam uetustum codicem Blandinium quam tres alios eiusdem bibliothecae libros manu scriptos cognouimus opera et diligentia IACOBI CRVQVII. Qui cum Carminum Horatii librum quartum a. 1565, Epodos 1567, Sermones 1573 Antuerpiae cum uetere et suo commentario edidisset, anno 1579 totum Horatium publicauit sic inscriptum:

> Q. HORATIVS FLACCVS, EX ANTIQVISSIMIS VNDECIM LIB. M. S. ET SCHEDIS aliquot emendatus, et plurimis locis cum Commentariis antiquis expurgatus et editus, opera IACOBI CRVQVII Messenij apud Bruganos politioris litteraturae professoris publici. *Eiusdem in eundem enarrationes, obseruationes, et uariae lectiones, cum aliis quibusdam et indice locupletissimo.* ANTVERPIAE, Ex officina Christophori Plantini, Architypographi Regij. M. D. LXXIX.

Opus forma quadrata digestum Cruquius dedicauit 'clarissimis burgimagistris amplissimoque senatui Brugano', subscribens 'Kalend. August. Anno CIↃ. IↃ. LXXVIII. Brugis Flandrorum'.

Ceteris Cruquii codicibus interim omissis de uetere Blandinio loqui pergam. Nannius librum a se inuentum breuiter *antiquissimum* uocauit, aetatem certius non definiuit. Hoc suppleuit Cruquius, sed idem sine cura de omnibus Blandiniis Horatii libris sic rettulit in appendice *ad lectorem beneuolum*: 'quos' (numeros et modos odarum) 'in Blandiniis iam ante annos septingentos aut circiter scriptis' (h. e. saeculo VIIII), 'Romaque Gandauum perlatis'. Idem ad Sermon. I 1 pag. 308 A: 'in codicibus manuscriptis ante annos septingentos (quod argumentis indubitatis aliquando testabimur) nihil est tanti' cet. Hoc a Cruquio de quattuor Blandiniis dictum sane nimium uideatur; nam in illa bibliotheca quattuor

Blandinianum nominet; hunc codicem non diuersum fuisse sibi persuaserunt a Cruquii Bland. uetustissimo. Quod tamen falsissimum esse primum ex eo apparet, quod supra dixi codicem Nannii nihil nisi Carmina continuisse, nam in Cruquii Blandiniano omnia fuere Horatii poemata'. Omnia Horatii poemata etiam in codice uetustissimo fuerunt, quem Nannius in bibliotheca Blandinia repperit, sed scholia deerant Sermonibus. Nannius *carminum* uocabulum pro *poematis* posuit, ut fecit Horatius Serm. II 1 63. Quae licet perspicua sint ad intellegendum, tamen Pauly sua ruina etiam Kirchnerum traxit, qui falsam opinionem nomine auctoris non indicato recepit in praefationem Sermonum Horatii Lipsiae a. 1854 editorum pag. XXVII. Eundem errorem tertium emersisse in Horatio Pauliano Lipsiae publicato a. 1855 (praefat. p. VIIII), uix est cur moneam: nam monitum iam est a Mützellio in diario ipsius a. 1855.

libros fuisse eius aetatis, cuius toto terrarum orbe unus nunc superest, omnem fidem excedit, sed de uno uetere Blandinio uere narratum est, cum manifesta antiquitatis argumenta et Nannius et Cruquius agnouerint et consentiente testimonio significauerint. Ceteros Blandinios cum uetustos adeoque 'uetustissimos' praedicat Cruquius, hoc fecit ut praesidium sibi pararet, quotiens aduersus maximam Lambini auctoritatem nititur aut in uerborum contextu uulgato ipse aliquid ausus est. Nam Cruquius, id quod bene tenendum est, neque uetere Blandinio neque ceteris tribus sic usus est, ut qui nostris diebus codices cum puluisculo dicuntur exhaurire. Immo libros suos tunc tantum inspexit, cum aut ipse a lectione priorum editionum recessit aut suo iudicio diffisus lectores suos inde abire posse credidit; inspexit etiam, cum scripturam a Lambino probatam suis opibus aut confirmare aut refellere uoluit. In ceteris omnibus contextum uerborum Horatii ab Aldo aut Lambino secure Cruquius accepit; Lambinus ipse Aldinum exemplar secutus est, quotiens codices sui nihil noui ac melius suggerere uisi sunt aut ipse a coniectura critica abstinendum esse putauit, Aldus priores editiones expressit aut propriis repertis interpolauit. Hoc quid sit duobus exemplis ex bona parte delectis explicabimus. In uersu nono epodi undecimi (*in quis amantem languor et silentium*) pro *languor* Aldus interpolauit *et languor*, quod in nullo libro repertum est. Aldi interpolationem Cruquius accepit libris suis neque inspectis neque memoratis. Idem Cruquius Carm. IIII 13 28 *dilapsam*, quam formam Lambinus ex aliquot codicibus suis pro tradita *delapsam* asciuerat, ab hoc auctore recepit, libros suos neque consuluit neque memorauit. In uetere Blandinio *dilapsam* fuisse Nannii testimonio accepimus. Perinde Cruquius, et iudicio parum firmus et scientia, sublimis inter Aldum et Lambinum semper pendet, quotiens suorum librorum praesidio non usus est, ut aut bonam lectionem inde reponeret aut futilem coniecturam suam tueri conaretur. Quapropter inperite agunt qui Cruquio ultra codicum testimonia esse credendum opinantur, item inutili labore perfunguntur qui editionis Cruquianae lectiones codicibus non firmatas sedulo colligunt*). Porro Blandinio uetere Cruquius Nannii

*) In utramque partem peccauit qui nuper Horatium edidit hoc titulo: *Q. Horatius Flaccus. Recensuit, codicum selectorum uarias scripturas*

exemplo excitatus ad hoc usus est, ut Commentatorem suum, exceptis Sermonum libris ad quos nulla scholia uetus Blandinius praebuit, inde potissimum conscriberet. In quo negotio neque scite neque constanter uersatus est, sed spissum Commentatorem dare cupiens ex uariis libris, bonis ac malis, frusta sublegit, ad Sermonum libros ne annotauit quidem scholia defuisse ueteri Blandinio, ut nisi Nannii testimonio contrarium constaret, opinari deberemus etiam horum commentatorem praecipue ex uetere Blandinio sumptum esse.

Successio scriptorum Horatii in Blandinio haec fuit: *Carmina*, *Ars poetica*, *Epodi cum carmine Saeculari*, *Epistulae*, *Sermones*. Hoc ita fuisse liquet ex iunctis duabus Cruqnii mentionibus, quarum altera legitur ad Serm. I 1 p. 308 A: 'antiquissimus autem ex bibliotheca Blandinia (quae nunc, prô dolor, una cum Dunensi a barbaris, nec unquam satis execrandis εἰκονοκλαστῶν prorsus lacera, distracta, deperdita, exusta est, non sine incomparabili rei litterariae, et omnium disciplinarum immedicabili uulnere), is inquam habet, Q. H. F. Carmen seculare explicit: incipit Eclogarum' (!) 'liber primus, maiusculis quibusdam (ita tamen ut aliquo modo legi possent) characteribus erasis, atque in earum locis depictis aliis, qui lectori τὸ Sermonum exhibent'. His conferre debemus quae pag. 309 A sequuntur: 'nemini enim uel propriis unguibus non est notius, quanta iniuria ad Pisones epistola a suis coëpistolis (ut sic loquar) tamquam cohaeredibus auulsa sit, reiectaque in locum non suum. — — Nam in codicibus Blandiniis duobus, Tonsano et Diuaei, ante libros Eclogarum' (!): 'in aliis duobus Blandiniis' (horum alter uetus Blandinius fuit) — 'ante libros ἐπῳδῶν' (locum habet). Quae uerba ut recte intellegi possint, moneo Cruquium 'maiusculos characteres non penitus erasos' falso interpretatum esse *Eclogarum*, ac fuisse sine dubio EPŁARVM, h. e. *Epistularum*. Nam Eclogarum nomine in nullo codice Horatiano aliquod genus scriptorum, ueluti Sermones aut Epistulae, uocatur, sed ecloge perinde ut εἰδύλλιον carmen singulare non longum nominatur. Iam ex iis quae dixit Cruquius hoc consequitur, post carmen saeculare in uetere Blan-

dinio secutas esse Epistulas, tum Satiras, atque hinc amplius liquet Artem poeticam ante librum *ἐπῳδῶν* ac post Carmina in eodem codice scriptam fuisse: nam in uetustis libris carmen saeculare non ante sed post *ἐπῳδούς* sequitur. Eundem ordinem inueni in duobus codicibus saeculi decimi, qui ueteri Blandinio multis in rebus similes sunt, de quibus mox dicendi locus erit. Iam etiam hoc quodammodo patebit, cur Satirae sine scholiis scriptae fuerint: nimirum qui codicem fecit, *ultimam* longi operis partem, scholia satiris quoque addenda, primo distulit, mox addere oblitus est.

Cruquius ueterem Blandinium aut suo nomine (*antiquissimum*, *uetustissimum*) testem laudauit, aut cum ceteris Blandiniis simul, aut cum omni numero undecim codicum a se inspectorum complexus est. Maximam fidem illa testimonia merentur, in quibus de uetere separatim relatum est. Nannius pro suo instituto scripturas Blandinii non enotauit, nonnullas tamen occasione ferente memorauit. In his semel a Cruquio dissentit, dum ipse Carm. IIII 14 11 *Bremosque* ex uetere Blandinio affert, Cruquius *Breunosque* ex Blandiniis tribus (h. e. ex uetere et duobus aliis Blandiniis ad illum locum inspectis) producit. Sed fortasse *Bremosque* Gruteriani exempli (cf. Proleg. c. I), quo solo uti mihi licuit, uitium est; quod cum non constaret, rem in notatione critica silentio praeterire malui.

Vetus Blandinius si foret superstes, hunc ducem et auctorem fere ubique sequi possemus: nunc in arto res est, cum eius codicis scripturas plurimis locis nesciamus et Cruquii silentio numquam satis credere possimus. Sed ecce non deest supplementum gratissimum, quod suppeditatur ab eiusdem saeculi noni codice Bernensi, cui numerus est 363, plagulae membraneae, forma quadrata, litterarum figura Saxonica minor, uetus patria monasterium Gallicum *Floriacense* ad flumen Ligerem (Loire) et non procul ab Aurelia (Orleans) olim conditum, noua sedes ab anno 1632 bibliotheca ciuitatis Bernensis*).

*) De origine librorum ueterum bibliothecae Bernensis haec notaui. Abbatia Benedictinorum S. Floriani (*St. Flery*) tanta copia bonorum librorum abundabat, ut praesidii causa firmis murorum munimentis cingeretur. Verum moenia a militibus Protestantium expugnata sunt anno 1562, bibliotheca in praedam cessit. Partim aere dato a militibus, partim gratia regis Gallici magnam partem librorum reparauit *Petrus Daniel* aduocatus Aurelianensis. A Danielis haeredibus partem librorum a. 1603 emit *Paulus Petauius* (haec

Volumine satis spisso uaria continentur. Primum locum occupauit *Sergii* (Seruii) *Mauri commentarius* in Vergilii Bucolica, Georgica, Aeneidem, qui foliis 138 scriptus pertinet usque ad septimum librum Aeneidos, editus a Petro Daniele Parisiis 1600 fol., sextum *Bedae historia*, quartum *Horatius*, quem pars Metamorphoseon *Ouidii* subsequitur. Horatius incipit fol. 163 A, desinit 182 B, ut plagulae uiginti impleantur, quarum nouem priores binis ordinibus (columnis), sex proximae tribus, reliquae duobus descriptae sunt. Scriptura primo dilucida est, mox tenuis euadit et aliquando difficilis ad legendum: nimirum libri scriptor membranae parcens multa in artum spatium cogere studet. Qui librum Bernensem sibi fecit, ille non hoc secutus est ut exemplar suum integrum describeret, sed carminum ac metrorum exempla discentibus praebere uoluit. Hinc successio carminum siue odarum genera metrorum sequitur, cuius ordinis exemplum infra scriptum est ita, ut uersus in singulis carminibus omissi et suo loco notati non indicentur*). Saepius enim partes carminum consulto omisit, ubi uersus ascripti exemplum idoneum suppeditasse uisi sunt. Archetypum libri Bernensis litteris quadratis siue uncialibus scri-

portio Petauiana ad filium *Alexandrum Petauium*, ab hoc ad *Christinam* Sueuiae reginam, dehinc in bibliothecam Vaticanam deuenit), alteram partem *Iacobus Bongarsius*. Bongarsius, uir doctus et nobilis, Aureliae natus a. 1559, Protestantium partibus addictus, et uarias legationes a rege Henrico IIII mandatas per Germaniae ciuitates obiit et edito Iustino nomen in litteris adeptus est. Vita decessit Parisiis a. 1612. Bibliothecam eius libris Cuiacianis ab ipso a. 1604 emptis auctam testamento accepit *Renatus de Graviset*, gemmarum rerumque nitentium mercator Argentoratensis, quem Bongarsius, ubi studiorum causa Argentorati uixit, illic cognitum dilexerat. Hic anno 1612 ciuitatem Bernensem adeptus mox praedium herile (*Herrschaft*) *Liebegg* aere parauit, quod tunc ad Bernensem rem publicam pertinebat, nunc Argouiensi agro adiunctum est. Renati filius *Iacobus de Graviset* anno 1632 in senatum (*grossen Rath*) Bernensem receptus est, mox iuri dicundo praefectus per annos 1646—1652 in oppido *Oron* (*Waadt*) munus publicum administrauit. Bernensium fauorem et honorem nactus est grato munere bibliothecae, quam ciuitati Bernensi donauit. Donator hoc praecepit ut libri a se donati a ceteris bibliothecae opibus discreti seruarentur. Haec ego comperi ex Baylii Dictionario s. n. *Bongars* (t. I p. 598—601 ed. Rotterd. 1720), catalogo bibliothecae Bernensis a Sinnero edito, notatis manu scriptis Gruneri olim decani Bernensis.

*) Carm. I 2 10 12 20 22 32 38, II 2 4 6 10 16, III 11 14 18 20 27, IIII 2 6 7 8 11 12 14; Epod. 1 2 3 9 10 11 12 13 14 15 16 17; Carmen saeculare; Carm. I 18 24 25 8 13 14 15 16 17 19 21 23 26 27 28 29 30 31 35 36 37, II 1 3 5 7 8 9 11 12 13 14 15 17 18 19 20, III 1 2 4 5 6 7 8 9 10 12 13 15 16 17 19 21 22 23 24 25 26 28 29 30, IIII 1 2 (iterum) 4 5 9 10 13; Epod. 1 (iterum) 4 5 6 7 8 12 17 (iterum); Ars poetica; Sermon. I 1 2 3.

ptum fuisse ex signis *r* et *p* (P R), *c* et *g* (C G) saepe mutatis colligitur. Membranae parcus compendia scripturae permulta scriptor adhibuit.

Codex Bernensis in bonis lectionibus cum uetere Blandinio ita consentit, ut utrumque librum eodem fonte ductum esse appareat. Quapropter dubitari nequit, quin in Bernensi, si productus esset usque ad Serm. I 6 126, inuentum foret rarum illud *fugio campum lusumque trigonem*. Nec quicquam bonitati ac fidei codicis derogatur quod scriptor eius, cum artis scribendi non tam imperitus quam in eo negotio parum exercitus esset, multa calami uitia admisit*). Quae propria describentis peccata eiusmodi sunt, ut hospitem fallere, peritos in errorem ducere non possint. Itaque operae pretium facturus mihi uisus sum, si illum librum post Orellium et Müllerum denuo excuterem, antecessorum errores aut tacite aut, si res postulare uidebatur, addita breui admonitione (*sic*) corrigerem; quam operam a. 1850 executus sum.

Sed quoniam uetus Bernensis in sermonibus Horatii post tres satiras deficit, ex epistulis praeter artem poeticam in exempla sua nihil asciuit, in hac parte scriptorum Horatii aliquod uetustissimorum codicum supplementum desideramus. Id nostris diebus emersit eiusmodi, ut gratius uix expectari potuerit. Scilicet non *membrana* quaedam noni saeculi ad ueteres opes accessit, sed reperta est *charta* saeculi quintidecimi, quae membranas antiquas non quidem omnibus partibus, sed tamen in locis sat multis possit compensare, dico codicem *Gothanum alterum*, notatum in ducali bibliotheca Gothana *Ch. B.* 61, descriptum a *Iacobsio* et *Vkerto* (*Beiträge zur ältern Litteratur*. Lipsiae 1835, uol. I p. 235), a *C. Kirchnero* (in *Nouis Quaest. Horat.*, Lips. 1847 p. 22 sqq.). Cuius libri uirtus et pretium cum ob alias lectiones bonas magni aestimatur, tunc hoc documento agnoscitur, quod Serm. I 6 126 praeter Blandinium ueterem solus habet ueram loci formam (*fugio campum lusumque trigonem*), quodque Serm. II 3 303 *manibus* pro interpolata *demens* cum uetere Blandinio et paucis aliis seruauit. Quam ob causam libro Gothano post C. Kirchnerum et

*) Maior tamen errorum numerus uitio datur quam re uera inest, cuius rei nobile exemplum posui ad Carm. II 20 1. Aliis in locis compendia rite completa ueram Horatii manum referunt.

Franciscum Pauly in sermonibus et epistulis (ad Pisones epistula deest) praecipuam curam dicandam esse existimaui*), praefectumque bibliothecae ducalis rogaui, ut librum illum ad me transmitteret. Quibus precibus cum uir bonus et diligens libenter obsecutus esset, cognoui supplementum non spernendum accedere ex codice Gothano, sed fonti olim limpido sordes non paucas in longa peregrinatione adhaesisse. Quippe bonas lectiones ueteris Blandinii et Bernensis modo sequitur et confirmat, modo ad deteriora et interpolata deuertit. Qui scripsit codicem Latini sermonis ignarus fuit: nam ad Serm. II 1 48 admonitionem exemplari suo ad *Canidiae* nomen ascriptam *uide supra in oda penultima seu in epodon* tamquam uersiculum hexametrum in ordinem recepit et numerauit, dum prauo instituto uersus singularum satirarum eodem numero comprehendit. Qui ante me libro Gothano usi sunt, Kirchner et Pauly, horum ille non sine cura egit, plura tamen omisit, alter, ut iuuenis in his rebus parum exercitus, saepius errauit et pro suo antiquarum formarum studio huiuscemodi scripturas *conpositus*, *conpensare*, *uoltus*, *uolgus* et his similes perperam inde rettulit, cuius erroris fonticulos in annotatione critica huius editionis indicatos reperient quibus etiam tenues res consectari otiosum est.

XII.

DE SAECVLI DECIMI CODICIBVS. DE LIBRO BERNENSI, SANGALLENSI VTROQVE, HISPANIENSI, GOTHANI PARTE SECVNDA.

Saeculi decimi codices manu scripti quamquam ad fidem et bonitatem eorum, quos proximo capite percensuimus, non possunt aspirare, a grauibus tamen mendis et interpolationibus liberi manserunt. Horum codicum in *Carminum* libris duae classes sunt; altera manum emendatricem non experta est, altera emendantis uestigia prodit. Prioris classis duo codices a me primum, duo post antecessorem collati sunt. Primo loco procedat *Bernensis*, in libris

*) In eodem uolumine Gothano etiam *carmina* separatim scripta sunt, de quibus proximo capite dicetur.

Bongarsianis n. 21 notatus, ex uetere sede monasterii Floriacensis Bernam longo itinere translatus, forma maxima, nitide scriptus et optime asseruatus. Habet ordinem scriptorum Horatii qui est uetustissimorum librorum: *Carmina*, *Ars poetica*, *Epodi cum carmine saeculari*, *Epistulae*, *Sermones*. Scholia offert usque ad Carm. I 8, tum sequuntur breuiores notationes in principio carminum, ueteres et diligenter scriptae usque ad Carm. II 17, altera manu ad marginem positae in cetera libri parte, quarum nonnullae euanidae et ad legendum difficiles sunt. Quod Sinner in catalogo narrauit, 'hi' (Sermones) 'mutili sunt a medio Satirae VIII', nimium est. Cur *sex uersus* desiderentur, suo loco explicatum est. Contulit Orellius, sed ut solebat, parum diligenter: ego excussi a. 1850.

Sequitur codex monasterii *Sangallensis*, saeculo decimo in membrana scriptus, forma oblonga, in Catalogo bibliothecae numero 864 inscriptus et falso in saeculum *undecimum* reiectus, qui continet carmina usque ad IIII 11 34; a me collatus est a. 1850.

De huius libri uetere sede satis memorabilia relata accepi in *Casuum S. Galli Continuatione I,* quam scripsit *Ekkehardus* IIII, natus circa a. 980, mortuus circa 1036, edidit *Ildefonsus ab Arx* in *Monumentis Germaniae historicis* Pertzii t. II p. 125. Narrat Ekkehardus ad ducissam *Hadwig*, quae fuit neptis Henrici regis Aucupis, quaeque duci Sueuorum olim nupta, mox uidua Duellii (*Hohentwiel*) in Sueuia habitauit, Ekkehardum II, monachum Sangallensem, magistrum ab ipsa sibi petitum, in Sueuiam uenisse. Comitem magistri sui, puerum *Burchardum*, cum uidisset Hadwig, *ad quid puer ille uenerit*, *ipso astante inter caetera quaesiuit.* '*Propter Graecismum*', *ille ait*, '*domina mi, ut ab ore uestro aliquid raperet*, *aliâs sciolum uobis illum attuli*'. *Puer autem ipse pulcher aspectu*, *metro cum esset paratissimus*, *sic intulit:*

Esse uelim Graecus, cum uix sim, domna, Latinus.

In quo illa sicut nouarum rerum cupida adeo est delectata, *ut ad se tractum osculata scabello pedum proximius locaret; a quo, ut repentinos sibi adhuc uersus faceret*, *curiosa exegerat. Puer uero magistros ambos intuitus*, *quasi talis osculi insuetus haec intulit:*

Non possum prorsus dignos componere uersus :
Nam nimis expaui duce me libante suaui.

Paulo post idem pergit: *crebroque* (Hadwig) *illum postea, cum uacasset, ad se uocatum, repentinis ab eo uersibus exactis graecissare docuit et unice dilexit. Tandem quoque abeuntem* ORATIO *et quibusdam aliis*, QVOS HODIE ARMARIVM NOSTRVM HABET, *donauit libris.* Burchardus ille puer posthac abbas ecclesiae S. Galli a. 1001 factus est et a. 1022 mortem obiit; lege eadem *Monumenta* II p. 154 et 155. Codex ille ex Sueuia a Burchardo puero decimo saeculo in armarium Sangallense translatus, quem annalium scriptor Ekkehardus in bibliotheca Sangallensi uidit, nostris quoque diebus illic asseruatur et omnes saeculi decimi notas refert. Praeterea hoc etiam conuenit et sententiam meam confirmat, quod ducissa Burchardum *Oratio* donauit, ac titulus primo carmini praescriptus est *Oratii liber carminum.* Hoc sine dubio ante me uidissent docti uiri, qui catalogos bibliothecae Sangallensis fecerunt, *Pius Kolb* et *Ildefonsus ab Arx*, si hoc illi considerassent, Horatii codicem olim pro se constitisse et cum ceteris Lucani et Sallustii et Ouidii saeculi undecimi libris male iunctum esse, cum ipse fratres suos minores et nitore et diligentia scripturae multum antecellat. Nunc illi maiore parte uoluminis decepti Horatium cum ceteris ad idem saeculum XI amandarunt*).

Alter *Sangallensis* decimi saeculi codex *oppidanus* est, forma oblongus, n. 10, bene scriptus, plerumque bonus, aliquando interpolatus. Operum successio haec est: *Carmina*, *Epodi* (saeculare carmen abest, item epodus postremus), *Ars poetica*, *Sermones*, *Epistulae.* Habet notas breuiores ad marginem aut inter uersus positas. Praefationis nihil adest. Incipit uerbis: *Horatii Flacci liber Carminum incipit.* Hunc ab Orellio neglegenter collatum ego in carminibus quattuor postremis (IIII 12—15), quae desunt codici monasteriensi, tum in *Epodis*, *Sermonibus*, *Epistulis* denuo excussi.

*) A uero non procul aberat *Pius Kolb* in Catalogo suo scribens p. 397: *et haec ipsissima fuisse* (carmina Horatii Burchardo donata) *minime dubitarem, ni character aliquantulum iunior appareret illa aetate, qua Burchardum eum a ducissa accepisse lego.* In aliis libris huic adiunctis iunior scriptura apparet, in Horatii codice secus est.

Ad haec subsidia accedit saeculi decimi*) liber egregius, *Hispaniensis* siue *Heinianus*, plagulis 66 membraneis forma maxima nitide scriptus, larga scholiorum copia ad marginem posita instructus**). Hunc *Gottholdus Heine*, theologiae euangelicae studiosus, aere sibi parauit Barcellonae, dum insignis amore litterarum iuuenis Hispaniae terras permeat (a. 1844—1846), egregios thesauros librorum a blattis tineisque uindicat. Bona cum copia librorum manu scriptorum in patriam reuersus et ad doctoris philosophiae gradum promotus cum rebus ad uotum fluentibus libris a se protractis uti uix aggressus esset, anno 1848 occasione tumultus Berolinensis innocens adolescens et a furore ciuili quam maxime alienus a milite occisus est. Codices *Gottholdi* in manus fratris *Eduardi Heine*, philosophiae doctoris et in uniuersitate Bonnensi matheseos professoris, peruenerunt; qui pro suo in me amore codicem Horatii mihi, ceteros aliis professoribus Bonnensibus commodauit, pretiosum *Cidi* chronicon, precibus cedens Academiae Matritensis, gratis in patriam ueterem remisit.

Ordinem scriptorum Horatii eundem habet *H*, qui est in uetustissimis libris, nominatim in uetere Blandinio: *Carmina*, *Ars poetica****), *Epodi cum carmine saeculari*, *Epistulae*, *Sermones*. Vt Blandinius ille sic etiam H et breuem uitam Horatii dedit et

*) Mihi codex ille omnes notas saeculi decimi uidetur referre: *Ferd. Hauthalius* (*Ueber die älteste spanische Handschrift des Horaz und des Acron.* Bonn, 1847) argumentis parum luculentis ad undecimum delegauit. Idem rettulit uiros doctos Berolinenses existimasse decimi saeculi codicem esse.

**) Ampla scholia habet a Carm. I 1 usque ad IIII 7, breue argumentum ad IIII 8, nulla ad IIII 9—12 et 15, parca ad IIII 13 et 14. Ad Artem poeticam scholia pertinent ad u. 145, in cetera parte glossae inter uersus sunt, quae per omnes libri paginas interpositae sunt. Ad Epodos et carmen saeculare scholiorum nihil ascriptum est, nisi quod ad Epod. 1 1 nominis *Epodos* explicatio addita est, tum annotatio ad uocabulum *lapathi* 2 57, alia ad 3 17, 5 1 et 41, 17 50 (de nomine *Pactumeius*). Sermones scholiis carent, excepto principio satirae 7 libri II. Epistularum libris scholia non desunt, exceptis libri primi 12 et 13 et 15 et 16; in secundo libro scholia desinunt ad uersum 163 epistulae secundae in explicatione uocabuli *temeti*, glossae interlineares in u. 182. Haec scholia editis aliquando largiora examinabit qui Acronis et Porphyrionis reliquias Fabricio diligentius edere uolet: a meo proposito hoc alienum erat.

***) Hunc ordinem qui primus instituit, hoc, opinor, secutus est, post libros carminum subsequi debere illum, quo faciendorum carminum ars contineatur. Hinc intellegas quo tendat scholion quod ad principium artis poeticae in codice Hispaniensi scriptum est: *terminatis IIII carminum libris composuit istum quintum* (*!*) *de arte poetica ad quendam Pisonem poetam*, *in quo uicia supersticiosorum poetarum cauenda esse docet.*

longiorem adiecit a Suetonio profectam*), hanc in ultima pagina, quod idem sic fuisse in Blandinio colligere liceat, quod Cruquius uitam Suetonianam cum aliis uitis Horatii demum in fine operis prompsit. Etiam hoc cum uetere Blandinio commune est Hispaniensi, quod nulla scholia ad utrumque Sermonum librum habet. In duabus grauibus lectionibus supra memoratis *H* a uetere Blandinio discedit (Serm. I 6 126, II 3 303), in multis bonis consentit, etiam in uitio notabili *cum̄* — *saliere* pro *quem* — *aluere* Carm. IIII 2 6. Quod suos nonnullos et proprios errores habet, hinc bonitati et auctoritati codicis nihil detrahitur: nam idem fere in omnibus libris antiquis usu uenit.

Codices saeculi decimi, quos adhuc enumeraui, item alii nonnulli eidem aetati ascribendi, qui in bibliotheca Vaticana Romae, in imperatoria Parisiensi et aliis oppidis Galliae et Britanniae, Heluetiae et Germaniae reperiuntur, emendatoris manum non subierunt. Contra emendatorem in *Carminibus et Epodis* sexto saeculo experti sunt duo codices ueteres a Bentleio inspecti (*Leidensis* et *Reginensis*), unus saeculi decimi (*Mentelianus* siue Parisinus E), quartus saeculo XIII (*Colbertinus*), quintus s. XV scriptus (*Gothanus*). Conf. annot. crit. ad Epod. 17 extr. Horum exemplar emendauit *Vettius* (siue *Vectius*) *Agorius Basilius Mauortius conferente magistro Felice oratore urbis Romae*. Mauortius in parte Occidentis consul fuit a Christo n. anno 527. Ipse suum codicem dum legit, ex alio recitantem Felicem audiuit et menda quae sibi uidebantur in suo correxit. Sic duorum librorum siue bona siue mala in unum collata sunt. Nam illis temporibus emendatorem Horatii saepius errasse ueri simillimum est. Hinc factum uidetur ut illi libri bona malis mixta praebeant et inaequalitate quadam contextus peccent, dum modo scripturas sinceras, modo suspectas et interpolatas exhibent.

Horum librorum sectam codex Gothanus in altera parte sua (fol. 147—206) secutus est. Quam libri partem ego non totam conferre sed potiores lectiones et differentias inde apponere uolui **).

*) In media uita plura omisit, quod ultima codicis pagina totam non capiebat.

**) *Initium feci a Carm.* I 16, *quod ante codex in manus meas non peruenerat. Itaque supplementum ex prioribus odis hoc accedat; in prima habet u.* 7. mobilium, 12. conditionibus (*sic*), 13. dimoueas, 26. īmemor,

Inscriptiones in sermonibus et epistulis prior pars nullas praebet: altera habet similes illis quas ex uetustis codicibus meis descripsi.

XIII.

DE HORATIO AD CODICES ANTIQVOS ET SCHOLIA VETERA EXIGENDO.

Ex eis quae dixi de codicibus saeculi noni decimique sponte patet hos in contextu uerborum Horatii rite conformando duces esse debere, nouos libros et interpolatos non audiendos esse. Reperiuntur tamen loci nonnulli, in quibus ueteres nos deserant, noui operam praestent non contemnendam. Sic in uersu quinquagesimo postremi epodi ueteres *Pactumeius* legunt, noui nonnulli *partumeius;* quorum prius cum neque sententiam aptam neque tutam Latini sermonis structuram praebeat, alterum illud in utramque partem idoneum uel a testibus parum firmis accipere decet. Item Epod. 16 14 codices Blandinii pro *uidere* cum maiore ueterum librorum parte *uideri* scriptum habent, quod falsum esse uersus iambici puri lex declarat, quamquam hoc nouus aliquis editor Horatii non intellexit.

35. inseris; *in secunda* 12. dame *pr. m.*, 14. Litore, 23. uicioque, 29. partis, 31. candentis; *in tertia* 3. pater regat, 6. uírgilium, 8. Et serues dimidium anime, 11. Cōmisit (= Commisit), 14. nothi, 16. uult (*non* uolt), 19. tur[b]gidum (*duorum librorum uide iunctam lectionem*), 21. Nequi quam, 23. impie, 37. arduū est; *in quarta* 5. īminente, 8. Vulcanus (*sic*), 9. īpe- [calet] dire, 11. īmolare, 12. agnā — hedo, 15. inchoare, 19. licida — canet; *in quinta* 2. urget, 5. quotiens; *in sexta* 7. duplicis, 16. Tydiden] Itidem; *in septima* 1. rodon aut mitilenē, 2. ephesum, 3. bacho, 9. dicit, 13. ac tiburtini lucus et praeceps anio et uda, 15. *noui carminis signum*, 16—17. nec — perpetuos, 22. ter uda, 24. affatus, 27. auspice teucro; *in octaua* 1—2. per oms O. deos oro síbarim, 6—7. equitat — temperat, 13. Qu[i]od; *in nona* 2. nec iam] etiam, 23. direptum; *in decima* 1. adlantis, 15. Thesalosque; *in undecima* 5. Que; *in duodecima* 1. eroa, 2. sumes, 3. recinit, 10. celerisque, 13. parentum, 15. aut terram, 23. certe, 27. Nobiles, 31. qꝫ sic uoluere, 46. inter oms, 51. data fatis, 53. īminentis, 57. latum reget; *in tertiadecima* 6. manent, 8. *om* penitus, 10. īmodice, 13. audies, 18. īrupta, 19. diuulsus; *in quartadecima* 16. ludibria; *in quintadecima* 2. helenam, 9. heu heu] heu, 13 *et* 16. Nequiquam, 16. grauis, 17. gnosii, 21. Iam lertiaden excidium, 22. gentis, 24. Teucer et, 27. Noscis.

In huiuscemodi locis uerum aliquando conseruarunt interpretes ueteres Acron et Porphyrion, qui in primis atque interdum instar omnium audiendi forent, si commentarii eorum integri et inlibati ad nos peruenissent. At integros non habemus, nihil nisi locos ex utroque decerptos legimus; hinc ipsorum nomina in plerisque libris manu scriptis deleta sunt, in paucis comparent. Multa omissa esse cum aliis indiciis intellegitur, tum his duobus agnoscitur. Ad Persii Satir. II 56 a scholiasta uetere hoc relatum legimus: *Acron tradit quod in porticu quondam Apollinis Palatini fuerint quinquaginta Danaidum effigies et contra eas sub diuo totidem equestres filiorum Aegypti.* Haec ab interprete Persii in Acronis commentario Horatiano reperta hodie nusquam legimus et ad Carm. III 11, ubi tradendi locus fuit, frustra quaerimus. Nimirum qui scholia congessit, hoc ex Acrone non excerpsit. Ipse Porphyrion ad Serm. I 8 25 ex altero commentatore haec rettulit: *memini me legere apud Helenium Acronem, Saganam fuisse libertam Pomponii senatoris qui a triumuiris est proscriptus.* Horum nihil in hodierno commentario Acronis adest. Ille enim, qui suscepit excerpendi curam, satis esse credidit semel hoc de Saganae statu uetere tradi, ideoque in altero commentario deleuit. Verum qui scholia conscripsit non contentus fuit multa omisisse, sed idem de suis aut aliorum opibus uaria, saepius inepta et ridicula admiscuit. In hoc rerum statu non mirabimur si inter annotationes sanas et Latine non male scriptas subito interueniunt absurda aut barbaro sermone composita, ueluti ad Carm. III 5 42, non mirabimur, si ex Servii commentario Vergiliano, adeo ex Prisciano (ad Epl. II 1 228) nonnulla superueniunt, quamuis Acron et Porphyrion Prisciano longe, Seruio aliquanto priores uixerint*).

Qui commentatores Horatiani quomodo prodesse possint ad

*) De aetate Acronis et Porphyrionis quaestionem explicare et debet et poterit qui utriusque commentarios Fabricio melius ex libris iuste collatis editurus est, quod ut mox fiat sane optandum est. Nunc hoc significasse satis sit, Acronem sub finem saeculi a Christo tertii, non multo post Porphyrionem uixisse, utrumque Graeca origine Graecis potissimum hominibus Latinas litteras discere cupientibus commentarium suum destinasse. Hinc et alia intelleguntur, et cur in *ordine* uerborum indicando diligentes fuerint. Ipsi usi sunt libro *de personis Horatianis* scripto a uiro docto et rerum Romanarum non imperito. Hunc laudauit Porphyrion ad Serm. I 3 21 et 91.

ueram Horatii formam, ut decet, restituendam tribus exemplis ostendam. In Carm. IIII 4 36 optimi et plurimi codices, etiam alii testes non contemnendi *Dedecorant* scriptum offerunt, minus probati et pauci *Indecorant;* hoc quamuis per se commendabile tamen aduersum tantas auctoritates adoptare non auderemus, nisi calculus Acronis et Porphyrionis iustam haesitationem superasset. Carm. IIII 2 49 libri et uetustissimi et fere omnes scribunt *Teque dum procedis,* cuius erroris originem suo loco explicaui. Vnus neque nobilis codex habet *Tuque dum procedis*, quod uel coniectura reponendum esset. Verum grauis auctor non deest: Porphyrion hanc pronominis formam secutus est. Epod. 15 22 scribae codicum *Nirea* sibi non cognitum in deum marinum mutauerunt *Nerea:* Porphyrion uerum seruauit; idem in eodem nomine Carm. III 20 15 accidit. Aliis in locis grammatici Latini ueteres huiusmodi praesidium suppeditauerunt. Itaque horum testimonia, quantum potui, plurima in annotatione critica collocaui. Haec res et alia commoda habet, quae periti satis sciunt, inperitis exponere longum est.

Ad codices ueteres reuertor. Hos etiam in orthographia fere semper secutus sum, grammaticorum ueterum hac in re praeceptis neque contemptis neque cupide aut credula cum fide acceptis. Aliquam orthographiae inconstantiam addicentibus libris uetustis putaui tolerandam esse et ipsi Horatio aliquando non inepte imputari posse. Aurium enim iudicium modo accusatiuum *omnis* uel *humilis,* modo *omnes* uel *humiles* uidetur probasse; interdum dilucidi sermonis ratio hoc aut illud praetulit. Vnum monere non superuacaneum erit, illas Lambini et Cruquii delicias, *molleis, oueis, omneis* a bonis Horatii libris plane abesse, abesse quoque, paucis exceptis locis, recentiorum illa lenocinia, *uolgus, uoltus, uolnus, Volcanus.* Ex constante ueterum librorum consuetudine scripsi *quamquam*, non *quanquam*, et quae sunt alia eiusdem generis, porro *temptare, obicere, conicere, milia, mille, obprobrium, Apulus, paelex (pelex), quicquid; pinnam* et *epistulam* uetus Blandinius suasit; de aliis si sunt paulo grauiora, in commentario monitum est. In assimilationem ueteres Horatii codices in uniuersum inclinant: plerumque uitarunt eam in particula negatiua *in.* Itaque in hac rationem etymologicam adoptaui, quam

constantiae causa etiam in uoce *inpius* tenui, licet haec in libris antiquis multo saepius *impius* quam *inpius* scripta sit.

XIIII.

DE CONIECTVRA CRITICA IN HORATII SCRIPTIS ADHIBENDA.

Coniecturis in contextu uerborum Horatiano prorsus carere non possumus. Nam licet plurima subsidia congeramus, licet quicquid testimoniorum et scholiorum anquiramus, nihilo minus supersunt loci, non multi quidem sed tamen nonnulli, quibus coniectando medela parari debet. Hoc uerbi causa de uersu 10 Carm. III 4 nemo dubitat, cui salus iam restituta est non inuenta noua coniectura sed uetere (*Dauniae* pro *Apuliae*), qua inuentores ipsi non recte usi sunt, iuste uindicata. Idem dicere licebit de uersu 27 Serm. I 10, ubi coniecturam Bentlei (*oblitos* pro *oblitus*) ab ipso in ordinem uerborum non receptam plane necessariam esse demonstraui, item de Epl. I 6 50, ubi Britannici *seruum* undecumque haustum, non *saeuum* aut *laeuum*, unice aptum esse ostendi. Ne cautissimi quidem reprehendent quod Carm. III 16 41 *Alyattei* pro *Alyattici* a Bentleio emendatum asciui, ac peritis lectoribus eiusdem *damnatam* pro *damnatum* (Carm. III 3 23), item pronomen *tu* auctore Meinekio additum Serm. II 3 1 non minus certum uidebitur. Neque iusta dubitatio aduersus Glareani correctionem *labore* pro *laborem* (Epod. 1 9), aut Mureti *Bibule* pro *Bibuli* (Serm. I 10 86), aut Barthii *trium* pro *ter* (Epod. 4 8) adhuc proferri potuit. Ipse mihi paene nihil in hoc campo relictum esse uidi: nam minimum est quod Epod. 1 5 *est* intercidisse, Serm. I 3 25 *peruideas* diuidendum et I 10 50 *dixti* pro uulgato *dixi* legendum esse commonstraui. Alias aliorum coniecturas, quibus Flacci facies praeter necessitatem mutatur, aut aliena persona et turpis imponitur, studiose remoui. Quae si futiles essent, quarum ingens multitudo circumfertur, silentio praetermisi, si speciosae, refutare conatus sum.

XV.

DE HORATII POEMATIS RITE EXPLICANDIS.

Si quae capite septimo de *carminibus* et *epodis* tempore expressis uel in gratiam aliorum compositis, tum de *sermonibus* et *epistulis* ipsius poetae impulsu et certa cum ratione scriptis dixi, haec si recte disputata sunt, facile cognoscitur, quid sit officium eius, qui iusti interpretis munere in Horatii poematis defungi uolet. Nimirum in carminibus et epodis occasio scribendi ante omnia inuestiganda est et explicanda. Hanc ubi inueneris, quos sensus uates pectore uolutauerit, quas cogitationes eloqui et quo ordine ponere intenderit, facilius dilucidare poteris. Illi commentatores miserrime per humum repunt ac nihil extricabunt, qui Horatii imitationem Graecam sic intellegunt, ut modo hoc, modo illud poema Graecum in Latium traduxisse uideatur. Immo Latinam materiam et Latina argumenta uersibus lyricis Graecorum aptauit, numquam nisi cum res ipsa tulit, ut ipse significauit Serm. II 1 18, barbiton mouit. Sic nata sunt carmina per omne aeuum duratura, semper noua, semper iucunda. Equidem uel ab uno Horatio hoc satis didicisse mihi uideor, uerissime pronuntiatum esse quod dictum est a *Goethio* nostro, bonum poema lyricum occasionis fetum esse. Itaque per se iam ueri simillimum hoc est, Horatium qui dulcissima carmina fecit, nonnisi occasione postulante et impellente ad lyrae sonum cecinisse. Atqui idem hoc in carminibus longe plurimis ipsorum indoles et monumenta rerum gestarum produnt et comprobant. Hoc ut iuste declarari posset, quaestiones illae de temporibus et occasionibus carminum suscipiendae mihi fuerunt. Quod quo ualeat et ad quid utile sit, qui paucis exemplis discere uelint, his ego Carm. I 7 et 12, Epod. 13 cum meo commentario legenda commendo. Eadem uia equidem certis argumentis comperi Horatium non solum maximo poetam ingenio, sed simul ciuem optimum et multis magnisque rebus exercitum, uirum sincera uirtute beatum et sapientiae studiis non mediocriter imbutum fuisse. Nimirum haec concurrere debent omnia ut prodeat poeta, cuius carmina et uariis hominum generibus et omnibus saeculis placere possint. Nihil agunt qui ludentis poetae specie decepti et suis erro-

ribus obstricti leuem hominem et inconstantem fuisse criminantur, qui eodem temporis momento quo uersus fecerit, se non facere uelle professus sit. Hi suam ignorantiam potius incusabunt quam uirum incomparabilem iniustis criminibus onerare pergant.

In satiris et epistulis aliter res se habet. In his uitiorum insectator, uirtutis et officii doctor suo munere fungitur, uia et ratione saluberrimas disputationes instituit. Itaque ad has explicandas circumspiciemus quid fuerit uitiosum et medicandum in moribus ciuium Romanorum, in uotis potentium et nobilium uirorum, quid prauum in studiis poetarum, quid reprehensione dignum in sapientiae professoribus. Virtutis enim satelles luxuriae et auaritiae uitia late suis temporibus disseminata, nimiam gloriae cupidinem et miseram honoris ambitionem, etiam impudicorum flagitia multa libertate notauit. Tum in philosophis sectam et placita Stoicorum probantibus superbiae uanitatem et iniustae arrogantiae molimina, in Epicureis inprobam et ridendam mollis et iucundae uitae cupiditatem acerbo sale perfricuit. Mox in epistulis uirtutis praemia, uitae beatae conditionem, poetarum officia uarie significauit; qua in re et mores ciuium Romanorum et studia eorum, ad quos epistulas misit, iuxta respexit. Itaque duo enucleanda sunt, primum qua ratione ad argumenta sua deductus sit, tum quomodo materiam sibi delectam pertractauerit et ciuibus suis utilem reddiderit.

Hanc interpretandi uiam in utroque operum genere qui recte persequitur, facile et liquido intellexerit uanas esse suspitiones illas interpolatorem in Horatii poematis odorantium. Tam in se ipso totus est Horatius uel, ut ipse loquitur, *teres ac rotundus*, ut interpolanti omnem rimam occluserit, tam proprie loquitur, ut idem siquis ausus esset, multum sudasset frustraque laborasset, ut tamquam cornicula risum aequalibus mouisset falsis suis coloribus a ueris longe discrepantibus.

Ad formam commentarii mei quod attinet, unum multa cum diligentia secutus sum, si modo consequi potuero, ut difficiles quaestiones non quidem mihi sed lectoribus facillimas redderem. Libentius rarae et reconditae doctrinae speciem exuere et uariae scientiae gloriam abicere uolui quam trahere legentem per salebras et fossas, agere per spinas et traduces longae disputationis: nam

hac uia omnis fructus ex optimo poeta percipiendus perit et uera commoda, dum abdita et a proposito aliena consectamur, elabuntur. Quapropter hoc uno contentus fui ut interpretarer Horatium: non aliorum interprétum exemplo simul ad alias disciplinas, ueluti ad artium et litterarum historiam euagari aut multiplices quaestiones uirorum doctorum obiter laudare sustinui, nisi ubi credebam his ipsis Horatii uerba illustrari posse. Discrepantes commentatorum sententias parce et tantummodo in rebus grauioribus aut difficilibus commemoraui. Quid quisque antecessorum in singulis aut peccauerit aut bene obseruauerit, sedulo persequi non fuit animus. Prospexi tamen ut ueris meritis laus sua ne deesset: uerum Cruquio ineptius me facturum fuisse existimarem, si huius errores et eorum peccata qui huic similes extitere, multis uerbis refutassem. Interpolatos locos rimantium temptamenta explicatione diluere quam late persequi aptius uisum est, exceptis eiusmodi locis, ubi grauium uirorum auctoritas et argumenta speciosa ab his prolata aliud suadebant. Hoc et alibi usu uenit et Carm. III 11 17—20, IIII 4 18—22, 8 15—19 et 28 et 33, Serm. II 2 29, Epl. II 2 199.

XVI.

NOTAE CODICVM IN ANNOTATIONE CRITICA POSITAE.

u. Blandinius est uetus siue uetustissimus Blandinius.

(*u. Blandinius*) indicat lectionem libri non testimonio constare, sed ratione colligi.

A est uetus Bernensis n. 363.

B — Bernensis n. 21.

G — Sangallensis monasteriensis n. 864.

S — Sangallensis oppidanus n. 10.

H — Hispaniensis siue Heinianus.

g — Gothanus alter B 61.

E — Parisinus 7972, saeculi decimi codex, olim Mentelianus, in usum meum in Arte poetica nuper Parisiis collatus a *Carolo van Noorden*, philosophiae doctore Bonnensi.

ω sunt codices plurimi ab aliis collati.

ς — plures ab aliis collati*).

Σ indicat lectionem Acronis et Porphyrionis.

ς ubi post diuersas lectionis formas utroque loco positum est, indicium adest codicum ab aliis collatorum numerum in utraque parte fere aequalem esse.

Rasura interdum hac nota * indicata est.

Numeri absolute positi ad Carminum libros referuntur.

Qui specie et numero gaudent in lectionis discrepantis fontibus enumerandis neque contenti sunt hoc delectu librorum a me non sine ratione instituto, hos ego ad Kirchnerum, uirum laboris patientia et colligendi sollertia admirabilem, et ad similes libros amandabo.

*) Signis supra collocatis duo codices Blandinii a Cruquio in Carminum libro tertio et quarto, tres in ceteris operibus praeter *ueterem* inspecti quamquam comprehendi poterant, tamen ob magnum horum librorum nomen etiam ceteros Blandinios nostris codicibus non meliores separatim memoraui. Quod Cruquius ad tertium quartumque librum Carminum tres tantum codices Blandinios inspexit, inde non collegerim unum ex quattuor Blandiniis hic mancum fuisse: nam codices ueteres Horatii, qui unum alterumue Carminum librum omiserint, nullibi, quod sciam, reperiuntur. Causa cur quartum illum in hac parte neglexerit Cruquius, nobis incognita est. Ipsi apud Bruganos professori magnum illis temporibus iter ad Gandauum permeandum erat, quod nunc duabus horis in uia ferrea absoluitur.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

In contextu carminum p. 448 *u.* 17 *corrige* inlitterati. *In annotatione critica pag.* XIII omnibus melius. C̄. Aemiliū. A *pone pro* omnibus melius A; *pag.* 3 *pro G pone S* (*in G, h. e. Sangallensi monasteriensi, est:* Oratii liber Carminum), *ibidem adde p.* 57: 20. otius *H; p.* 201: 15. leuis *H; p.* 331: 35. labentis *H; p.* 349: sonitū *H; p.* 394: 8. dicere *H; p.* 336 *ad u.* 26 *post Nannii nomen insere: et ceteri Blandinii; p.* 420: 18. extulit agris *H; p.* 450: 3. gratum ioui *H. In commentario p.* 84 *col.* 1 ἔν τε *pro* ἐν τῇ.

Q. HORATIVS FLACCVS.

Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER PRIMVS.

I.

Maecenas atauis edite regibus,

Ad Maecenatem. Vario hominum scribit officio. Pragmatice monocolos. Metrum asclipiadium, quod constat ex spondeo, duobus choriambis et pirrichio ita ... siue aliter ex spondeo, dactylo, cesura et duobus dactylis ita ..., quae scansio dicitur ex pentihemere (*penthemimere*) heroica et duobus dactylis *A*. Carminum liber primus *B*. **Horatii Flacci liber Carminum incipit I. *G*.** Q. Horatii F. liber primus Carminum qui et liricus incipit *H*.

1. *Diomedes* III 35 1 p. 517, *Marius Victorinus* III 3 p. 2609, 1—2. *Atilius Fortunatianus* I 4 5, *Terentianus Maurus* u. 2656 p. 2442, 2. *Seruius ad Verg. Georg.* II 40. 1. Maecenas *A*: Meecenas *BGH*. attauis *H*.

Carmen I. Prooemium annotationis. ***Aliis alii studiis delectantur, hi uictoriis ludicris, illi honoribus a populo delatis, nonnulli prouincialis agri frumento, multi arando aut nauigando, alii uitam securam probant et iucundam, alii bellorum discrimina, alii uenandi laborem: equidem ex carminibus pangendis unicum gaudium percipio longeque felicissimus esse mihi uideor, si tu, Maecenas, lyricis uatibus me inseris.*** **(Metrum 1)**

Virtus egregii carminis agnoscitur partim in magna uarietate studiorum sollerter expressa, partim in eximio lyricae poesis amore, qui uersibus extremis depingitur. Omnis irrisionis siue ironiae significatio, a nouis interpretibus nonnullis perperam illata, ab auctoris consilio alienissima fuit. Consimiles sententias apud Graecos poetas legi, ueluti apud Pindarum a Sexto Empirico Hypotyp. Pyrrh. I p. 23 laudatum (n. 242 in Boeckhii fragmentis Pindari, n. 206 ap. Bergkium), in eiusmodi argumento non mirum est: Flaccus tamen a seruili imitatione ubique abhorrens et fecunda ingenii sui uena adiutus poema uere Romanum et omnibus partibus nouum fecit. Ipsum poema scripsit eo tempore, quo sentire coepit sese lyricis carminibus praeter ceteros aptum paremque esse, h. e. anno urbis 725 = 29 ante Chr., cum Caesaris res aduersus Cleopatram et Antonium gestas praeclare iam cecinisset (cf. ad Carm. I 37, III 25; Epod. 9) et magno animo Alcaei numeris aliquotiens usus esset, cuius rei initium factum esse a. 724 ad carmen huius libri 26 uidebimus. Id ego colligo ex uerbis (u. 32): *si neque tibias Euterpe cohibet, nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton.* Nam haec argumento sunt magno cum studio tam iocosae Musae deditum poetam fuisse quam grauiore Alcaei plectro tunc usum esse. Hinc amplius liquet hoc prooemium non scriptum esse demum urbis anno 735 (a. Chr. 19), cum tres carminum libros edere parauit Horatius, ut nunc opinantur plerique, sed ex omni numero delectum

o et praesidium et dulce decus meum,
sunt quos curriculo puluerem Olympicum
collegisse iuuat, metaque feruidis
euitata rotis palmaque nobilis

2. presidium *GH*. 3—4. sunt — iuuat *scholiasta Statii Theb.* IIII 261. 3. olympicum *A:* olimpicum *GH,* olimpi cum *B*. 4—5. metaque — rotis *Seruius ad Vergilii Aen.* XI 195. 5. et uitata *A*.

esse, quod aptius ceteris primum locum tenere posse uisum est: nam anno 734 lyrae studium exuere Flaccus decreuerat ac Maecenate quamuis postulante resumere non uoluit (u. ad Epist. I 1): cum hoc carmen scripsit, magna cum laetitia ad lyram sese incumbere professus est. Hactenus res certa est; quae sequuntur, ex coniectura de origine huius poematis addere placuit: Maecenas enim, postquam splendidum illud carmen libri tertii (III 29), quod per menses aestiuos anni 725 in Sabino praedio factum esse suo loco demonstratum est, admiratione et laetitia plenus accepit, et *uatem* suum summis Graecorum poetis parem existimauit, Horatius bono successu permotus et erectus hoc poema ad amicum ex uilla in urbem uidetur misisse.

1. *Maecenas — regibus:* idem Maecenas in principio carminis me iudice sub idem tempus scripti (III 29) audit *Tyrrhena regum progenies*. Adde Serm. I 6 1—4 et quod ibi monitum est. Scilicet uirum ob interiorem potentiam et raram fortunam expositum inuidiae nobilium Romanorum, qui gentile decus in eo requirerent, non, quod illustri genere careret, sed modestiae causa intra dignitatem equestrem subsistere Horatius profiteri uoluit. Liuius X 3: *Etruriam rebellare, ab Arretinorum seditionibus motu orto, nuntiabatur, ubi Cilnium genus praepotens diuitiarum inuidia pelli armis coeptum;* Propertius III 9 1: *Maecenas eques Etrusco de sanguine regum*. Horatii uerba respexit Martialis XII 4 2: *Maecenas, atauis regibus ortus eques*. Tam in Horatii uersu quam apud Martialem *atauis* substantiuum nomen est, *regibus* adiectiui uicem sustinet, qua in re ne quis erret, ab ipso Horatio collocatione uerborum prouisum est.

2. *praesidium — meum:* praesidium adversum inuidos et obtrectatores, et quaecumque pericula, *dulce decus* ornamentum poetae gratum ob claritudinem insignis uiri et uirtutem. II 17 4: *o mearum grande decus columenque rerum*. Aliud est Epl. I 1 103: *rerum tutela mearum cum sis*. Vergil. Georg. II 40: *o decus, o famae merito pars maxima nostrae, Maecenas*.

3. *sunt quos — iuuat:* nonnulli laetantur, cum in aurigis Olympicis uehi possunt; nihil amplius his uerbis inest. *Curriculo:* curriculum duos habet passiui generis significatus, quorum prior denotat locum ubi curritur (*Rennbahn*), alter id quo curritur (*Rennwagen*), et sic curriculum ipse currus est. Hunc alterum recte accepit Orellius. Curriculum pro *curru* habet Cicero de Harusp. resp. 10, de quo conf. Ernestii clauis Ciceronis, tum Tacitus Ann. XIIII 14: *curriculo quadrigarum insistere;* XV 44: *habitu aurigae permixtus plebi uel curriculo insistens*. Conf. annot. mea ad Tacit. XIIII 14. De structura *sunt quos iuuat* hoc tenendum, subsequi modum indicatiuum apud Horatium, quotiens duo enuntiata in unum coalescant, ut hoc loco *sunt quos iuuat* idem ualet quod *nonnullos iuuat,* u. 19 *est qui — spernit*, h. e. *non nemo spernit,* I 7 5: *sunt quibus* (= nonnullis) *unum opus est*. Eadem lex obtinet Serm. I 4 24, II 4 47. Subiunctiuus est, ubi utrumque enuntiatum per se constat, ut Serm. I 2 28: *sunt qui nolint tetigisse;* I 4 75: *in*

terrarum dominos euehit ad deos;
hunc, si mobilium turba Quiritium
certat tergeminis tollere honoribus;
illum, si proprio condidit horreo
quicquid de Libycis uerritur areis.

7. mobilium ς *quattuor Blandinii Porphyrion*, mobiliũ *superposito* ł (= *uel*) n *super* m *A*: nobilium *BGH pr Sω*. quiritium *BG*, quiricium *H*: quiritum *A*. 8. certet *Gς*. t̃. geminis *A*. 10. Quicquid *ABGH*, *non* Quidquid. delybicis *G*. libycis *B*: libicis *AH*.

medio qui scripta foro recitent, sunt multi; II 1 1: *sunt quibus in satira uidear nimis acer*. Epl. I 1 77: *sunt qui — uenentur;* I 6 4: *sunt qui — spectent;* I 18 53: *speciosius arma non est qui tractet*. Vtrumque dicendi genus mixtum est Epl. II 2 182: *sunt qui non habeant, est qui non curat habere*.

4—6. *metaque — ad deos:* his ipsa uictoria in ludicro certamine parta, et parta quidem a regibus per aurigas, indicatur; *feruidis rotis*, h. e. concitato cursu feruentibus, proxime accedere et tamen uitare metam artis summae signum est, et qui hoc potuerit, facile ceteros anteuerterit. Homeri Il. Ψ 306 sqq. *metam* poeta a circensibus Romanorum ad certamina Olympica prudens transtulit, quo res Romanis esset et dilucidior et gratior; *terrarum dominos euehit ad deos* cum aliquo acumine dictum est. Terrarum domini, quales Thero, Gelo, Hiero, Philippus, quamquam fortuna prae ceteris gaudent, tamen et ipsi uictoriam ludicram adepti quasi caelesti gloria aucti sibi uidentur. Carm. IIII 2 17: *quos Elea domum reducit palma caelestes*, h. e. caelesti gloria et laetitia fortunatos. Simile est u. 30: *me — dis miscent superis*.

palmaque nobilis: nobilis est *κλεινή*, h. e. quae ab hominibus multum celebrata est. Olympionicis quamquam oleagina corona dabatur, non palma, Flaccus tamen palmam et hic et IIII 2 17 substituit a circensibus sumptam, Romanis nimirum scribens, non Graecis. Sic etiam Propertius III 9 17: *est quibus Eleae concurrit palma quadrigae*. Neque hoc, puto, alteruter spectauit, quod Pausanias refert VIII 48 2, ἐς δὲ τὴν δεξιάν ἐστι καὶ πανταχοῦ τῷ νικῶντι ἐστιθέμενος φοῖνιξ, h. e. palmae ramum dextrae additum praeter coronam oleaginam capiti impositam.

7—8. *hunc — honoribus:* a Graecorum studiis ad Romanos iam uenit, quibus honores a populo delati praecipue cordi sunt; *tollere* est efferre, ad magnum dignitatis gradum euehere, *honoribus* ablatiuus, non datiuus, quae structura uerborum aduersus Latinitatem peccaret. Comparant interpretes Sallustii Iug. 49, Tacit. Ann. I 3. Seneca Herc. fur. 169: *illum populi fauor attonitum — aura tumidum tollit inani*. Licet de ueritate scripturae *mobilium*, h. e. inconstantium et huic modo, modo illi fauentium, minime dubitandum sit, uel ob nomen *turba*, *nobilibus* nequaquam, *mobilibus* egregie aptum, corruptionem tamen *nobilium* satis antiquam esse boni libri ueteres probant; profectam puto a scribis Italis, quibus *Nobili* urbium Italicarum nominari uiderentur. Tergemini honores sunt aedilitas curulis, praetura, consulatus, qui *tergemini* pro *triplicibus* noue uocantur.

9—10. A magistratibus urbanis et ordinis senatorii uiris ad beatos possessores in prouinciis et equestris ordinis homines uenit. *Libycae areae* sunt in prouincia Africa, quae frumento abundabat; uerritur frumentum in area agri solidata, postquam tritura ex aristis et calamis expressum est. Serm. II 3 87: *frumentum quantum metit Africa*. Tacit. Ann. XII 43: *sed Africam potius* (quam Italiae solum) *et Aegyptum exercemus, nauibusque et casibus uita populi Romani permissa est*.

gaudentem patrios findere sarculo
agros Attalicis conditionibus
numquam dimoueas, ut trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare.
luctantem Icariis fluctibus Africum

12. attalicis *GH:* ã talacis *A,* atalicis *B.* conditionibus *G:* condicionibus *ABH.* 13—14. *Donatus ad Terentii Adelph.* II 2 22. 13. Numquam *BGH:* nunq̃ *A, qui alibi fere semper* numquam. dimoueas *BGHS Donatus:* demoueas *Aς.* cipa *H.* 14. myrtorum trabibus nauta *A.* 15. icareis *Hς.* affricum *H.*

11—14. *gaudentem — secet mare:* a possessoribus latifundiorum prouincialium deuenit ad aratores, qui suos agros colunt.

11. *patrios — agros:* patrios dicit in patria sitos, qui non in prouinciis exercentur. Ita ut *patrios* capiamus, opposita *de Libycis areis* postulant. Conf. II 7 4: *quis te redonauit quiritem dis patriis Italoque caelo.* Serm. I 10 29: *patriis intermiscere petita uerba foris;* II 3 196: *patrio caruere sepulcro.* AP. 57: *cum lingua Catonis et Enni sermonem patrium ditauerit.* Alibi idem quod *paternus* est *patrius,* ueluti III 27 49, IIII 4 5; Serm. I 2 56, I 4 110, II 5 4; AP. 471. *Sarculum* est instrumentum ad sarriendum, quo glebae agri post sulcos aratro ductos franguntur. Vergil. G. I 94: *rastris glebas qui frangit inertes.* Hoc memorauit, non arationem, quod in arando praecipuus labor est armentorum, in sarriendo rusticus suo tantum opere fungitur.

12. *Attalicis conditionibus:* conditionibus quas Attalus diues Pergami rex potuit offerre, h. e. opulentissimis.

13. *numquam dimoueas:* dimouentur quae ante connexa uel iuncta erant (I 23 7, III 5 51, III 8 10), *demouentur* quae separata in alium locum cedunt. Illud nunc aptius et a libris magis commendatum, perinde ac IIII 5 14, hoc Serm. I 1 39: *cum te neque feruidus aestus demoueat lucro. Demoueas* praeplacet Vngero *de Valgii Rufi poematis* p. 397. *trabe Cypria:* nauigio in insula Cypro parto uel facto. I 14 11: *pinus Pontica.* Aliter IIII 1 20: *ponet marmoream sub trabe Cypria.*

14. *Myrtoum — mare:* Plinius NH. IIII 18 (11): *Aegaei pars Myrtoo datur; appellatur ab insula parua* (Myrtus), *quae cernitur Macedoniam a Geraesto petentibus, haud procul Euboeae Carysto.* Idem IIII 9 extr.: *a Megarico incipiens sinu totam Atticam adluit.* Pausanias VIII 14 8: *τὸ Μυρτῷον — ἀρχόμενόν τ' ἀπὸ Εὐβοίας καὶ παρ' Ἑλένην ἔρημον νῆσον καθῆκον ἐς τὸ Αἰγαῖον.* Strabo VIII 2 3. Illa loca tempestatibus famosa. *pauidus nauta:* ex bono rustico *pauidus* nauta fiet; *secet mare:* secatur maris aequor, cum carina nauis imprimitur. Homeri Od. γ 175: *πέλαγος μέσον τέμνειν.*

15—18. Contrarium studium non magis ualidum eadem uerborum uersuumque copia describit, quod quo efficacius facere posset, paenitentiam soliti laboris graui periculo motam, sed statim post discrimen omissam memorat.

15. *Icariis:* Plin. NH. IIII 18: *Icarium quod est inter Samum et Myconum.* Strabo X 5 13 p. 488. *Africum:* Seneca NQ. V 16: *ab occidente hiberno Africus furibundus et ruens, apud Graecos λίψ dicitur.* Carm. III 14 5 *celer;* I 3 12 *praeceps;* III 23 5 *pestilens;* Epod. 16 23 *proteruus.* III 29 57: *si mugiat Africis malus procellis.* Vergil. Aen. I 85: *creberque procellis Africus.* Cf. ad I 3 4.

16. *et oppidi — rura sui:* est epexegesis nominis *otium,* ut rusticum otium intellegi significetur. Non *oppidum* suum laudat, sed rura prope oppidum sita: nam suburbana praedia gratissima sunt. Alii iungunt *otium*

mercator metuens otium et oppidi
laudat rura sui; mox reficit rates
quassas, indocilis pauperiem pati.
est qui nec ueteris pocula Massici
nec partem solido demere de die
spernit, nunc uiridi membra sub arbuto
stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.

16. ocium *BH*. 17. refficit *H*. ratis *G*. 20. dedie *AB*.

et rura oppidi sui, sed non omnes oppidi ciues otio et rure gaudent.

18. *quassas:* primaria notio sollerter in principio uersus posita est. Mercator ne manifestis quidem casus sui signis deterreri a nouo maris itinere potest. *indocilis pauperiem pati:* ex more Graeci sermonis addito infinitiuo uerbi uis et natura nominis adiectiui certius definitur. Sic etiam I 3 25: *audax omnia perpeti;* 10 7: *callidum — condere furto;* 12 11: *blandum — ducere;* 27: *superare pugnis nobilem;* 19 8: *lubricus aspici;* 24 17: *lenis recludere;* 35 2: *praesens — tollere;* 28: *ferre iugum dolosi;* 37 10: *quidlibet inpotens sperare;* 26: *fortis tractare;* II 6 2: *indoctum iuga ferre nostra;* III 3 50: *spernere fortior;* 11 4: *resonare callida;* 12 10: *catus — iaculari et celer — excipere;* 19 2: *non timidus mori;* 21 6: *moueri digna* (cf. Serm. I 3 24, 4 3 et 25, 10 72, Epl. I 10 48, AP. 183 et 283), 22: *segnesque nodum soluere;* IIII 9 52: *non — timidus perire;* 12 19: *donare largus, — eluere efficax;* 14 22: *inpiger uexare;* carm. Saec. 14: *aperire partus lenis,* 25: *ueraces cecinisse;* Serm. I 4 12: *piger scribendi ferre laborem;* II 8 24: *ridiculus — absorbere;* Epl. I 15 30: *fingere saeuus;* 16 12: *dare nomen idoneus;* 17 47: *nec pascere firmus;* AP. 163: *cereus — flecti.* Idem infinitiuus sequitur participium, uelut Carm. I 15 7: *coniurata rumpere;* 29 9: *doctus sagittas tendere;* III 6 38: *docta — uersare;* Epl. I 14 30: *docendus — parcere;* Epod. 1 3: *paratus subire;* adde Carm. II 17 12, Epod. 17 38, Epl. II 1 184. *pauperiem:* est uita angusta et copiis minus munita, Graecis πενία, non πτωχεία (*mendicitas*).

19—22. Sunt qui iucundam uitam et otiosam laudent.

19. *ueteris pocula Massici:* Massicum e nobilibus Italiae uinis nascitur prope Sinuessam in Campania. Plin. XIIII 8 (6): *certant Massica aeque, ex monte Gauro Puteolos Baiasque prospectantia.* Martialis XII 111: *de Sinuessanis uenerunt Massica prelis.* Cf. Carm. II 7 21, III 21 5; Serm. II 4 51.

20. *nec partem — spernit:* ad haec, non etiam ad uersum 19, pertinent quae sequuntur, *nunc uiridi — caput sacrae.* Hinc facile intellegitur, quid dixerit *partem solido demere de die,* h. e. meridiano somno siue meridiando solidum diem frangere ex eoque aliquot horas demere. De cenis tempestiuis non cogitandum.

21. *membra sub arbuto stratus: membra stratus* est structura Graeca, ut Serm. I 1 5: *fractus membra labore;* Carm. I 2 31: *nube humeros amictus;* II 11 15: *canos odorati capillos,* 24: *comas religata;* Epod. 4 3: *peruste funibus latus;* AP. 302: *purgor bilem.* Arbutus(*Erdbeerbaum*) in Italia uiridi foliorum colore ac multa umbra praecellit.

22. *aquae lene caput sacrae:* fons Nymphis uel alicui numini dicatus; *lene caput aquae* est aqua leniter ex fonte profluens: talem enim meridiantes eligunt, non cadentis fontis strepitum.

multos castra iuuant et lituo tubae
permixtus sonitus bellaque matribus
detestata. manet sub Ioue frigido
uenator tenerae coniugis inmemor,
seu uisa est catulis cerua fidelibus,
seu rupit teretes Marsus aper plagas.
me doctarum hederae praemia frontium

24. bellaque matribus detestata *Priscianus* VIII 4 19. 25. detestanda ς *scholiasta Statii Thebaid.* III 377. 25—26. manet — uenator *scholiasta Statii Theb.* II 204; *Seruius ad Verg. Georg.* I 418, *Aen.* IX 670, manet — inmemor *idem ad* III 116. 26. inmemor *BG*, iñemor *A*: immemor *H*. 28. rũpit *G*. 29. aederae *H*. 29. froncium *B*.

23—28. Bona pars hominum bellis aut uenandi labore gaudet.

23—25. *multos — detestata:* post castra et litui tubaeque in principio pugnae concentum minus poetice subsequitur hoc *bellaque matribus detestata,* sed poeticae uirtutis penuria illato contrario compensatur.

23—24. *lituo tubae permixtus sonitus:* concentus liticinum (= cornicinum) et tubicinum; 'litui acutus est sonus, tubae grauis; inter lituum et tubam hoc distare inueni: lituus equitum est et incuruus, tuba uero peditum est et directa.' Acron. Conf. Iuuenalis II 118: *dedit Gracchus — dotem cornicini* (= liticini), *siue hic recto cantauerat aere,* h. e. siue hic *tubicen* fuit. *detestata: detestatus* est in eo participiorum perfecti numero, quae a uerbis deponentibus facta passiuam uim retinent iuxta actiuam; cf. III 5 24: *Marte — populata nostro;* Epod. 16 8: *parentibusque abominatus Hannibal.*

25. *sub Ioue frigido:* sub caelo frigido ferae facilius capiuntur ob uestigia niui impressa. Eodem tempore uenatores alacrius agunt propter eximium ferinae carnis saporem. De *Iouis* nomine cf. I 22 20, III 10 8; Epod. 13 2.

26. *tenerae coniugis inmemor:* recens duxit uxorem, sed hanc obliuiscitur studio suo abreptus.

27—28. *seu uisa est — plagas:* duos in uenando casus iungit, qui intentos uenatores postulant et moram faciunt: cerua a canibus uisa ab his et a uenatore equestri cursu petitur; aper ruptis plagis bene tortis in remota euasit et per longinquos saltus quaeritur. Cf. Epod. 2 31 sq. Teretes plagae sunt cuius fila ex magna copia singulorum filorum in rotundam formam apta et connexa sunt, quode cf. Plinii NH. XIX 2 (1). Marsum aprum uocauit tamquam siluarum, quarum magna apud Marsos copia est, alumnum; cf. Serm. II 4 40.

28. *Marsus* pro more poetarum, qui ἐθνικά in locum τῶν κτητικῶν admittunt. II 20 18: *Marsae cohortis;* III 14 18: *Marsi — duelli;* Epod. 5 76: *Marsis uocibus;* 17 29: *Marsa — nenia;* Carm. I 10 15: *Thessalosque ignes;* 14 10: *Dardanae genti* (cf. carm. Saec. 47: *Romulae genti*); 23 10: *Gaetulusue leo;* 27 5: *Medus acinaces;* II 9 21: *Medumque flumen;* III 5 9: *sub rege Medo;* II 16 35: *Afro murice* (cf. Epod. 2 53, Serm. II 4 58, 8 95); Epl. I 18 46: *Aetolis — plagis.* Carm. I 29 15: *loricis Hiberis;* Serm. II 8 46: *piscis Hiberi;* Carm. II 12 3: *Poeno sanguine.*

29—30. *me — miscent superis:* ubi genera hominum uariis rebus inseruientium enumerauit, ad se ipsum uenit, seque lyricorum studiis duci delectarique profitetur. *Te* qui coniecerunt pro *me* (Harius, Brouckhusius, Wolfius), non reputauerunt, Maecenatem lyricae poesis gloriam sibi non arrogasse, licet non esset alienus a lusibus poeticis, et Horatium in

dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leues cum Satyris chori
secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
quod si me lyricis uatibus inseris,
sublimi feriam sidera uertice.

30. dis *A:* Diis *BGH.* 31. Nimpharumque — satiris *H.* 32. sacer ñc populo *A.* 33. Evt̃pe *A.* 33—34. nec — barbiton *Charisius* IIII 1 § 4 p. 238. 33. polyymnia *A,* poliymnia *B,* polimnia *G,* pollimnia *H,* polyhumnia *codex Neapol. Charisii. Cruquius ex Blandiniis* Polyhymnia *rettulit.* 35. quod si *ABGHS, non* quodsi. liricis *B.* inseris *BGSω:* inseres *AHς duo Blandinii.* 36. sublimis ς. sydera *G.*

Maecenate doctrinam agnouisse, poeticae artis laudem nusquam concessisse; accedit quod non singulos homines, sed genera hominum poeta sibi comparauit. *doctarum hederae praemia frontium:* qui hederas *doctarum* praemia frontium adipiscitur, is carminibus grauibus, quae *docti* poetae componunt, eminet et celebratur. His statim adiunguntur *leuioris* plectri carmina. De ornamento hederae poetarum cf. Ouidii AA. III 411, Trist. I 7 2. In artis operibus hedera comas cincti uisuntur poetae et poetriae.

30—32. *me gelidum nemus — secernunt populo:* ut proxime *doctam* Camenam suam, sic nunc *iocosam* et amatoriam poetice descripsit. Ad illam cum incumbit, cum dis superis conuersari, hanc dum sequitur, a populo secretus in nemoribus sacris cum Satyris et Nymphis ludere sibi uidetur.

32. *si neque tibias Euterpe cohibet:* chiasmo usus haec ad proxima *me gelidum — secernunt populo* rettulit, ad Musam suam iocosam, quae cum *delectare* uelit, non docere, *Euterpen* eius esse praesidem eleganter finxit. Conf. ad I 7 19.

33. *nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton:* haec respiciunt superiora *me doctarum — miscent superis.* Nam barbito Lesboo carmina grauiora ad morem Alcaei Lesbii facta quaeque *doctum* poetam decent, notantur; cf. I 26 11: *hunc Lesbio* (= Alcaico) *sacrare plectro.* Adde I 32 4—5, Epl. I 19 32 sq. De Sapphus carminibus nunc non cogitauit, neque hanc sibi exemplum fuisse umquam pronuntiauit. De forma nominis *Polyhymnia* Charisius IIII 1: *barbarismus fit — adiectione, cum una pluresue litterae iniciuntur non necessariae, ut 'nec Polyhumnia — barbiton'.*

35—36. *quod si — uertice:* Maecenatem cogitat tam elegantem quam aequum et iustum artis lyricae iudicem: qui si Horatium accenset *lyricis uatibus*, h. e. poetis lyricis diuino spiritu afflatis, quales fuerunt nouem Graecorum lyrici (cf. Lachmann ad Lucret. VI 145), is re uera in carminibus pangendis egregius erit. Hinc *quod si* particula conclusiua, quamquam alibi non frequens lyricis poetis, apte nunc adhibetur. Horatio eadem recurrit in Carminibus III 1 41, in Epodis 2 39, 10 21, 11 15, etiam in Sermonibus (II 4 6) et Epistulis (I 2 70, 3 25, 7 10). Ceterum ipsum nomen *uatis* Maecenas Horatio indidit, simul atque carmina feliciter ab hoc temptata sunt, ut licet comperire ex Epl. I 7 11. Itaque rectius in maiore librorum copia *inseris* legitur quam in aliis *inseres.* Illud est: 'si me inseris, id quod facere soles'.

36. *sublimi — uertice:* Meinekius in diario Antiquitat. a. 1851 p. 233: 'illud quod in fine primi carminis posuit, *sublimi feriam sidera uertice,* non dubito quin graeco poetae sublegerit, quem expressit Synesius τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἀράσσειν Epist. 57

II.

Iam satis terris niuis atque dirae grandinis misit pater et rubente

Ad diuum Augustum. Saphicum metrum quod constat ex trocheo spondęo dactylo et duobus trochęis ita ... siue ex epitrito secundo coriambo et bacchio *A*. Proseutike. Tetracolos. Ad Augustum *B*. Ad Augustum proseutice tetracolos *H*.

1—4. *Mar. Victorinus* IIII 3 7, *Atilius Fortunatianus* I 9 1. 1 et 4. *Diomedes* III 35 2. 2. rubente *ABGHω*: rubenti *editores nonnulli*.

p. 198 et 79 p. 224. Doctrinam agnosco, de ueritate dubito, *sublegendi* uerbum deprecor. Noui editores tam huius carminis quam similium, quae monocola ueteres critici recte dicunt, quaternos uersus in strophas conscribunt, de quo nouandi studio mihi non probato dictum est ad IIII 8.

Carm. II. Prooemium. *Nefarii sceleris, quo ciues Romani caeso Iulio Caesare tamquam foeda macula aspersi sunt, id quod et tempestatibus et belli cladibus immissis caelestes monstrauerunt, iustum expiatorem unde tandem nanciscemur? Num quis deorum inmortalium nos piabit? Num mutata figura Mercurius iuuenem Caesarem in terris imitatur? Hoc si fit, adiutor diuinus diu intersit populo Romano, salutis auctor et hostium uictor diu a ciuibus celebretur.* (Metrum Sapphicum)

Duo temporum spatia poetae hoc carmen scribenti obuersata sunt, alterum in uersibus 41—52, alterum in cetera parte (1—40), quod sic ostendetur, ut initium fiat a parte secunda. Ibi uersus 50, *hic ames dici pater atque princeps,* neque ante pugnam Actiacam (723) neque ante annum 726 scribi potuit, siquidem Octauianus Caesar unus imperii moderator agnoscitur, qui non fuit ante annum u. c. 723, idemque *principis* nomine honoratur, quod illi delatum est a patribus a. 726. Dio Cassius LIII 1. Tacitus Ann. I 1 et 9. Conf. Carm. I 21 14: *pestemque a populo et principe Caesare in Persas aget;* IIII 14 6: *maxime principum;* Epl. II 1 256: *formidatam Parthis te principe Romam.* Altera nota temporis impressa est uerbis (u. 47): *neue te nostris uitiis iniquum ocior aura tollat,* quae referri contendo ad graue morbi mortisque periculum, unde praeter spem Augustus a. 731 euasit incolumis, de quo dicetur ad Carm. I 12. Haec ad annum urbis 732 = 22 ante Chr. nos ducunt, cui tempori bene conueniunt cetera ibidem prolata de sero principis in caelum reditu, de triumphis agendis, de domandis Parthis: anno enim 732 expeditionem in Orientem et Parthos Augustus parabat.

Accedimus ad partem priorem, in qua biennium a fine anni 710 usque ad exitum anni 712, id est tempus a caede Iulii Caesaris proximum usque ad proelium Philippense ac dies eodem anno reliquos animo complexus est. Nam quae posuit u. 25, *quem uocet diuum populus ruentis imperi rebus,* haec diebus a Philippensi pugna non longe distantibus conueniunt. Idem dicendum est de uersibus 21—24, qui quasi recentem ciuilis cladis memoriam exhibent. Etiam ultra regressus est. Nam quae canuntur in uersibus 1—20, ea referuntur ad tempestates et fulminum iactus, quae extremis anni 710 (a. Chr. 44) diebus post caedem Iulii Caesaris euenerant, quibus magnus metus et patres et plebem incessit. Lege Dionem XLV 17, Tibullum II 5 71—78. Ouidius haec, quae post caedem Caesaris secuta sunt, pro suo consilio ante accidisse finxit Metam. XV 782—798. In illis a Dione narratis sunt cella Iouis fulmine tacta et fulgura per urbem sparsa, procellae rapientes tabulas de templo Saturni et Fidei, latae Padi inundationes, taurus disiecto sacrificali apparatu prorumpens ex aede Vestae. Quibus apud

dextera sacras iaculatus arces
terruit urbem,

terruit gentis, graue ne rediret
saeculum Pyrrhae noua monstra questae,

3. Dext[e]ra *H.* 4. terruit urbes *Sergius in Donati artem primam* § 36. 5. gentis *A:* gentes *BGH.* 6. saeculum phirrae *A*, Seculum pyrrae *GH*, Seclm pyrre *B*.

Horatium cum alia conueniunt, tum cur Vesta sanctas preces minus audiat (u. 26), inde cognoscitur. In una re Dio discedit ab Horatio, inundationem Padi memorando, non Tiberis. Tiberim super ripas tunc effusum esse Acron tradidit: 'Gai Caesaris mortem significat, quo in senatu occiso, plurimae tempestates, niues et grandines fuerunt, quo tempore et inundatione Tiberis dicitur Roma laborasse, quod propter Caesarem in honorem Augusti Caesaris ultoris eius uult. factum uideri. Nam de ipso et Vergilius' (Eclog. 5 20) '*extinctum Nymphae crudeli funere Daphnim flebant*, et alibi' (Georg. I 466) '*ille etiam extincto miseratus Caesare Romam*. Haec enim omnia, i. e. fulmina, grandinem, diluuii metum, intellegi uult uindictam Caesaris fuisse'. Quae cum acciderent, homines mala rei publicae, caedes ciuium et bella intestina timere coeperunt, ut a Dione relatum est. Horatius uero noua usus interpretatione, fortasse a Vergilio in quinta ecloga monstrata, haec esse caelestis irae signa ob Caesarem recens occisum edita finxit. Item alteram eiusdem facinoris poenam subsecutam esse, cum ciues infestis armis sese peterent, exequitur (u. 21—24), atque de his rebus tamquam recentibus loquitur. Verum edita magna ciuium strage deorum ira nondum placata est. Itaque anquirit, quis caelestium *imperi ruentis rebus* subuenire possit, qua uia postremum poeta ad Caesarem Augustum rei Romanae sospitatorem deducitur. Quomodo haec rerum diuersarum iunctura explicabitur? Sic, opinor. Horatius imaginem Caesaris Augusti, qualem hunc anno urbis 732 cognitum habuit, rara audacia ad ea tempora transtulit, quae caedem Iulii Caesaris a. 710 patratam proxime secuta sunt. Hinc apparet, cur *iuuenem* (u. 41) uocauerit, cur Iulii Caesaris *ultorem* (44) celebrauerit, quamquam cum haec scribebantur, ultioni diu satisfactum iam erat et Caesar iuuenis esse desierat. Splendidum poema factum anno 732 = 22 a. Chr. et ad Augustum e morbo restitutum missum esse ex iis quae diximus, liquet.

1. *dirae grandinis:* dira erat, quod insolita uis et copia grandinis prodigii loco accepta est. Cf. Tacit. Ann. XII 43: *insessum diris* (= dira prodentibus) *auibus Capitolium*. Vergil. Georg. I 488: *nec diri totiens arsere cometae*. Sigmatismus, N. Heinsio molestus in uerbis *satis terris niuis* (ipse *tetrae* pro *terris* mederi uoluit) mollitur, quod *terris* in longam syllabam exit, cetera in breuem; cf. I 12 5, III 7 8.

2. *pater:* est πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. III 29 44: *nube polum pater occupato;* I 12 13: *solitis parentis laudibus*. Minor audacia Serm. II 1 42: *o pater et rex Iuppiter*. Rubet Iouis dextera, dum sacrum ignem de caelo iaculatur.

3. *sacras arces:* arx urbis Romanae in altero Capitolini montis uertice, in altero templum Iouis; hoc templum cum fulmine tactum esset (u. Prooem.), poeta sacras arces fulmine arsisse dicit rem in maius augendo.

5. *terruit gentis:* mala urbis Romae tamquam sua imperii Romani gentes acceperunt: Capitolium enim pignus imperii habebatur. Tacit. Hist. III 72, IIII 54. Ac tristia signa non solum in urbe sed etiam in prouinciis uisa sunt. Conf. Vergil. Georg. I 474—483.

omne cum Proteus pecus egit altos
uisere montis,

piscium et summa genus haesit ulmo,
nota quae sedes fuerat columbis,
et superiecto pauidae natarunt
aequore dammae.

7—8. *Eutychius* I 1 2. 7. ptheus *ABGH*. 8. montis *AB*: montes *GH*. 9. hesit *H*. 10. notaq, *A*, Notaque *H*. 11—12. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 8 28, *Georg.* III 539, *Aen.* I 435, V 122. 11. sup iecto *A*. 12. Equore *H*. dammae *ABGH* (*H* damme) *S*: damae ς.

7. *omne cum Proteus pecus egit altos uisere montis: omne pecus* non dicit omnis generis pecus, ut Serm. I 5 2 *omne holus*, sed omne pecus Proteo ad pascendum traditum (*sein sämmtliches Vieh*), h. e. phocas marinas. Conf. Odyss. Δ 404 sqq. Quia Proteus cum phocis litus requirit in eoque requiescere solet, cum ingens diluuies plana et minus edita loca occupasset, pecus suum egit in altos montes, ut ibi meridiari possent. *egit uisere* est Graeca structura (ἤγαγε θεάσασθαι).

9—10. *piscium — columbis*: post phocas in altos montes ductas nouum signum intulit, quo fluctus accrescentes pingeret: hi enim etiam ad summas ulmos insurgunt; *summa ulmo* est in summo fastigio ulmi; *haesit* contrarium sequenti *nota quae sedes fuerat columbis*: nam pisces ibi iam haerent et periclitantur, ubi columbae notam sibi sedem (nidum) ante adire solitae sunt. Cogita *palumbes*, in arboribus siluarum nidificantes, quae generis nomine *columbae* nunc uocatae sunt.

11—12. *et superiecto — dammae*: hac tertia imagine undas etiam in summos montium uertices prorupisse notauit. Scilicet *dammae* (δορκάδες, *Gemsen*) siue caprae montanae (αἶγες ὀρειναί) summa montium incolunt ac tamen fluctu superurgente hauriuntur; *superiecto* intellegas *ipsis superiecto*, unde *pauidae* sunt. Vergilius (Ecl. 8 28, G. III 539) masculino genere *timidos dammas* dixit. Conf. Martialis XIII 94: *dente timetur aper, defendunt cornua ceruum: inbelles dammae quid nisi praeda sumus?* Eximie nomen *aequore* compositum est cum uoce *dammae*: quippe plana uis aquarum iam est in arduis dammarum sedibus. Tres primae strophae totum efficiunt, quo irae caelestis signa et hominum timores inde excitati per imperii Romani fines describuntur. Quae de saeculo Pyrrhae u. 7—12 afferuntur, est excursus audacior, sed poeta lyrico non indignus. Eo minus probandum est quod Buttmannus, uir acumine praeclarus, u. 9—12 delendos censuit (Mythol. II p. 364).

13—20. Malis ante propositis adiungitur nouum, quod urbis Romae proprium erat, insolita Tiberis inundatio.

13. *uidimus flauum Tiberim*: de Tiberis inundatione Dio Cassius in prodigiis anni 710 a se memoratis nihil habet, nisi quod memorat piscium multitudinem ad ostia Tiberis e mari in terram proiectam esse, sed habet Acron in uerbis supra allatis, item Porphyrion qui scribit: 'Tiberis etiam creuit, ut prodigii loco haberetur'. Eiusdem Tiberis inundationes a Dione Cassio LIII 20 et LIIII 1 sub annis 727 et 732 relatae huc non pertinent. *Flauus* κατ' ἐξοχήν nunc nominatur Tiberis, quod niuis et pluuiae copia auctus limum et arenam secum trahebat. Serm. I 10 37: *dumque defingit Rheni luteum caput*; quippe Rhenus deus luteus uocatus est a turgido Alpino (Bibaculo), quia flumen auctum et effusum descripsit. Alibi Tiberis,

uidimus flauum Tiberim retortis
litore Etrusco uiolenter undis
ire deiectum monumenta regis
templaque Vestae,

Iliae dum se nimium querenti
iactat ultorem, uagus et sinistra
labitur ripa Ioue non probante u-
xorius amnis.

13. tyberim *GH.* 13. retortas *G in rasura.* 14. Litore *ABG:* Littore *H.* 16. ueste *H.* 18. senistra *A.* 20. *Seruius ad Verg. Aen.* IIII 266. annis *H.*

qui ob limum flauescit, etiam sine inundatione *flauus* appellatur, ueluti I 8 8, II 3 18. Vergilius Aen. VII 31: *fluuio Tiberinus amoeno, uorticibus rapidis et multa flauus arena.* Statius Silu. IIII 4 5: *continuo dextras flaui pete Tibridis oras.*

13. *retortis litore Etrusco uiolenter undis:* ad dextram partem siue litus Etruscum uiolentius decurrens ripa ibi altiore retorquebatur in sinistram, ubi urbs Roma. Carm. III 7 27: *nec quisquam citus aeque Tusco denatat alueo.*

15. *monumenta regis templaque Vestae:* monumenta regis *regia* est (idem *atrium Vestae, atrium regium*), aedificata a Numa rege prope templum Vestae. Seruius ad Vergil. Aen VIII 363: *domus enim, in qua pontifex habitabat, regia dicitur.* Idem ibid.: *quis enim ignorat, regiam ubi Numa habitauerit, in radicibus Palatii finibusque Romani fori esse.* Plutarch. Num. 14. Ouidius Fast. VI 267, Trist. III 1 29. Beckeri Enchirid. antiquit. Rom. I p. 223—242. Regiam non confundendam esse cum regis sacrificuli domo recte monuit Becker.

17—20. *Iliae dum se — uxorius amnis:* causa Tiberis effusi refertur. Est *φαντασία* poetica libere et ingeniose conficta. Scilicet Iliam, Romuli matrem (Carm. III 3 32), Tiberino flumini nuptam atque Iuliae gentis originem Horatius exhibuit. Fluuii coniugem, Anieni tamen, non Tiberi iunctam, Iliam Horatio monstrauerat Ennius. Porphyrion ad h. l.: 'Ilia auctore Ennio in amnem Tiberim iussu Amulii regis praecipitata est, antea Anieni matrimonio iuncta: atque hic' (Horatius) 'loquitur, quasi Tiberi potius nupserit' (uulgo *enim* post antea male additur). Ennium secutus est Ouidius Amor. III 6 45. Seruius ad Vergilii Aen. I 273: *tum* (cum Ilia in Tiberim praecipitata est), *ut quidam dicunt* (Ennium respicit), *Iliam sibi Anien fecit uxorem, ut alii, inter quos Horatius, Tiberis, unde ait uxorius amnis.* Sed Iliam cum originem gentis Iuliae et quasi matrem auitam Iulii Caesaris Horatius perhibuerit, etiam in eo antiquam famam a Naeuio et Ennio celebratam uidetur secutus esse, quod hanc pro filia Aeneae accepit. Seruius ad Vergil. Aen. I 273: *Naeuius et Ennius Aeneae ex filia* (Ilia) *nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.* Idem ad VI 778: *dicit namque* (Ennius) *Iliam fuisse filiam Aeneae, quod si est, Aeneas auus est Romuli.* Iuliae gentis matrem fuisse Horatius significauit querellis, quibus Ilia coram marito Iulium Caesarem defleuit. Conf. annot. ad III 3 32.

18. *uagus et sinistra labitur ripa:* late effusus per urbem Romam. Vltionem a se iactatam hoc modo Tiberis executus est.

19—20. *uxorius:* uxori deuinctus; ab Horatio sumpsit Vergilius Aen. IIII 266: *pulchramque uxorius* (*Didoni tamquam uxori deditus*) *urbem extruis*, ubi Seruius: *uxorius, nimirum uxori deditus uel seruiens, ut Horatius 'uxorius amnis'.* Vox

audiet ciues acuisse ferrum,
quo graues Persae melius perirent,
audiet pugnas uitio parentum
rara iuuentus.

quem uocet diuum populus ruentis
imperi rebus? prece qua fatigent
uirgines sanctae minus audientem
carmina Vestam?

cui dabit partis scelus expiandi
Iuppiter? tandem uenias precamur

21. ciues *BGH:* ciuis *A*. 22. perse *H*. 23. uicio *BGH*. 26. inperii *B*, imperii *AGH*. 26—28. preceque (*sic*) fat. — Vestam *scholiasta Statii Theb.* II 244, IIII 633, *idem ad* VIIII 723 qua prece fatigent. 29. partis *A:* partes *BGH*. 30. iuppiter *AH:* Iupiter *G*, Iu^{p}piter *B*.

inter duo uersus diuisa *u-xorius amnis* non offendit, quod Adonius tamquam clausula uersus praecedentis continuato numero potest efferri. I 25 11: *inter-lunia uento;* II 16 7: *uenale nec auro*.

21—24. Eiusdem sceleris altera et acerbior poena a dis in Romanos irrogata est, bellum ciuile graue et cruentum.

21. *ciues acuisse ferrum:* lyrica locutio pro: *ciues acuisse ferrum ad se trucidandos*. Vbi nonnisi ciues acuunt ferrum pugnamque committunt, ciuile bellum esse et ciuium sanguinem effundi liquet; uis sententiae igitur in *ciues* cadit.

22. *quo graues — perirent: Persae,* ut in fine carminis *Medi*, est nomen antiquum pro *Parthis:* nam ex partibus Persici imperii et Medico regno Parthorum res composita erat. Cf. I 21 15, III 5 4, IIII 15 23 et loci in Indice sub u. *Medus*.

23. *audiet pugnas — rara iuuentus:* pugnas detestabiles dici proxima indicant; *rara* pendet ex *uitio parentum*. Noua suboles rara est, quod parentes plurimi ceciderunt.

25. Ad tertiam carminis partem poeta processit: nam primum irae caelestis signa posuit (1–20), tum belli ciuilis mala breuiter complexus est (21—24), iam quo modo deorum ira placari et populi Romani macula piari possit, quaerit.

26. *prece qua fatigent:* quid precentur, quo fatigata Vesta tandem concedat quod rogant? *carmina* sunt carmina sacra, preces numeris inclusae.

27—28. *minus audientem carmina Vestam:* Vestae ira ob caedem Caesaris consecuta est, quod ille pontifex maximus in regia, h. e. in atrio Vestae, habitauit. Sueton. Caes. 46. Cicero ad Att. X 3: *uisum te aiunt in regia* (in domo Iulii Caesaris), *nec reprehendo, quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim*. Vide Beckeri Enchirid. antiq. Rom. I p. 288 sqq. Hinc apud Ouidium (Fast. III 699) Vesta dicit: *ne dubita, meus ille fuit, meus ille sacerdos; sacrilegae telis me petiere manus*.

29. *partis scelus expiandi:* tritum fugiens non *sceleris* ponit, sed *scelus;* hoc ipsum est ἄγος siue macula, qua populus Romanus caede Caesaris se infecit. Vergil. Ecl. 4 13: *sceleris uestigia nostri*.

nube candentis humeros amictus,
augur Apollo;

siue tu mauis, Erycina ridens,
quam Iocus circum uolat et Cupido;
siue neglectum genus et nepotes
respicis, auctor

heu nimis longo satiate ludo,
quem iuuat clamor galeaeque leues,
acer et Mauri peditis cruentum
uultus in hostem;

31. candentis[e] *A*, candentis (*et* e *et punctum ab al. m.*) *B:* candentes *GH.* 33. tũ auis (= tu mauis) *A.* erycina *B:* ericina *AH*, ericyna *G.* 34. circ̃. uolat *A.* ac cupido *corr G.* 35. sũ (*h. e.* siue *nota satis frequente in A*) neclectũ[g] *A* (g *superscriptum est ab al. manu*).

31. *nube candentis humeros amictus:* numen purgatorium prae ceteris Apollo primum inuocatur; *candentes humeri* tribuuntur tamquam solis aurigae. Il. *O* 308: εἱμένος ὤμοιιν νεφέλην. Nube amicti sunt humeri dei, dum inter mortales uersatur, ut aspectum possint tolerare. De accusatiuo *humeros* cf. ad I 1 21.

32. *augur Apollo:* augurandi scientia docere potest Romanos, quas procurationes facturi quidque precantes caelestem iram effugiant. Apollinis nomen cum nota uoce *augur* sociatum nouam dignitatem asciscit. Imitatus est Vergil. Aen. IIII 376: *nunc augur Apollo, nunc Lyciae sortes.* Famam illam, qua Apollinis filius a nonnullis habebatur Augustus (Sueton. Aug. 70 et 94), Horatius non respexit.

33. *Erycina ridens:* ut augurem Apollinem Latine consignauit, sic Venerem dum *Erycinam* a Siciliae monte et templo cognominatam eoque nomine non solum apud Siculos sed in ipsa urbe Roma cultam inuocat, numen Romanis praesentius et magis proprium producit. Venus, mater Aeneae, Romanis prae ceteris fauere credebatur. Eadem pro origine gentis Iuliae habebatur: Strabo XIIII 2 19. Tacitus Ann. IIII 43 de Tiberio in gentem Iuliam recepto: *suscepit curam* (templi Erycini restaurandi) *libens ut consanguineus. ridens:* φιλομμειδής, μειδιόωσα, γελάοισα.

34. *quam Iocus circum uolat et Cupido:* Ioci et Cupidinis (Ἱμέρου) geniorum dulcissimorum mentionem inicit, ut contrarium de Marte relatum fortius efferatur.

37. *heu nimis longo satiate ludo:* pugnae anno 711 et 712 in bellis ciuium commissae et multum effusi sanguinis ludus Martis uocatur nimis longus.

38—40. *quem iuuat — in hostem:* haec adduntur, ut illustrentur uerba *nimis longo satiate ludo.* Nam ipse belli praeses iam satiatus est, quamquam bellico et cruento ludo magnopere delectatur.

38. *clamor galeaeque leues:* clamor aures inuadit, lēues galeae splendorem oculis offundunt.

39—40. *acer et Mauri — in hostem:* respicit poeta equestris pugnae genus a se in bellis ciuilibus uisum, nobis in *Mauris* non plane incognitum, sed aliunde melius compertum: quippe Germanorum haec erat consuetudo,

siue mutata iuuenem figura
ales in terris imitaris, almae
filius Maiae, patiens uocari
Caesaris ultor:

serus in caelum redeas diuque
laetus intersis populo Quirini,
neue te nostris uitiis iniquum
ocior aura

43. magae *H.* paciens *BH.* 46. inť.sis *superscripto al. man.* ia l t̃ris *A.* 47. ne ue *A.* uiciis *BGH.* 48. otior *G.* auro *A.*

ut equestrem militiam uelocissimi peditum comitarentur et mixti proeliarentur. Lege Caesaris BG. I 48, IIII 12, VIII 13; BC. III 84. Taciti Germ. 6. Postquam hunc pugnandi morem in proelio Pharsalico Caesar asciuit faustumque euentum expertus est, idem in cetero equitatu mox uidetur obtinuisse, nominatim in Mauris, qui equestribus copiis eminebant. Nimirum Mauri hoc non tam a Germanis discendum quam usu populari exercendum habebant. Lege Sallustii Iugurth. c. 59: *neque diutius Numidae resistere quiuissent,* NI PEDITES CVM EQVITIBVS PERMIXTI *magnam cladem in congressu facerent; quibus illi freti — implicare ac perturbare aciem* (Romanorum); *ita expeditis peditibus suis hostes paene uictos dare.* Idem hoc obsessi Campani equites, a Punico ut uidetur Capuae praesidio edocti, usurpauerant et Romani imitati erant bello Punico secundo, ut relatum est a Liuio XXVI 4. Illius pugnae certum exemplum hoc loco habemus; nimirum hostis uulneratus est (*cruentus*); statim accurrit Maurus pedes equestres uires comitatus, qui saeuo uultu ac nullo misericordiae affectu aduersarium uulnere inualidum gladio transfigit. Conuerte: *und der stechende Blick eines Mauren zu Fuss gegen den blutenden Feind.* Hoc saeuitiae exemplar Marti numini inmiti placet; cf. I 28 17. Bentleius coniecturam Tanaq. Fabri *Marsi* pro *Mauri* fortiter ac disertis uerbis commendauit, falsa deceptus opinione *fortitudinem* laudari, non *saeuitiam* describi; alii Maurum equo confosso *peditem* factum esse credunt, raram dicendi infantiam Horatio assignantes.

41—43. *siue mutata—filius Maiae:* haec et quae sequuntur, ei demum tempori conueniunt, quo Caesar Octauianus maximis rebus gestis ad caelestium honorem aspirare coepit. Conf. Prooemium, ubi etiam de *iuuenis* nomine dictum est. Nominatiuus pro uocatiuo sermoni elato aptus est. Mercurius, interpres et nuntius diuinus, peridoneus est reconciliandis hominibus cum superis. Tota φαντασία conditionali particula *siue imitaris* dextre et caute inducta est. Stropha 41—44 efficit πρότασιν, proxima ἀπόδοσιν. Ita uitatur adulationis crimen.

47—49. *neue — tollat:* haec non ante grauem Augusti morbum, quo laborauit a. 731 (cf. ad I 12) scripta sunt. Tunc tota ciuitas cupide Augusti salutem expectabat magnopere metuens, ne morbi ui carissimus princeps tolleretur. *iniquum:* non aeque ferentem, h. e. succensentem et animo commoto spectantem.

49. *hic magnos — triumphos:* uerbum ex proximo uersu *ames* repetendum, non intellegendum *agas.* Haec scribi non potuerunt ante triplicem

tollat. hic magnos potius triumphos,
hic ames dici pater atque princeps,
neu sinas Medos equitare inultos
te duce, Caesar.

III.

Sic te diua potens Cypri,
sic fratres Helenae, lucida sidera,

49. pocius *H*. 50. hĩc *A*.

Propentice. Dicolos Vergilii *B*. Prosphonetice dicolos ad nauim qua Virgilius Athenas nauigauit *H*.

1. *Mallius Theodorus* 4 19, *Donatus ad Terentii Adelph*. II 2 22.

1—2. *Terentianus Maurus u.* 2683 *p.* 2443, *Marius Victorinus* IIII 3 17, *Diomedes* III 35 3. 2. sydera *GH*.

triumphum anni 725, quem quinto consulatu egit Caesar Octauianus.

50. *hic ames dici pater atque princeps:* pater ciuium, princeps senatus. Pater patriae proprio nomine Augustus demum post Horatii mortem uocatus est anno 752 = 2.

51. *neu sinas — inultos:* quo tempore haec ab Horatio scripta esse statui, pax cum Parthorum rege Prahate facta nondum erat: immo expeditionem Augustus anno 732 parauit in Parthos, quam obuio obsequio a. 734 Prahates praeuenit. Conf. ad II 9.

52. *Caesar:* quod Augusti nomen non ponitur, inde nihil consequitur ad tempus carminis definiendum: nam *Caesaris* nomen non exuit, postquam Augustus uocari coepit. Ceterum unicum exemplum est nominis demum in fine carminis positi.

Carm. III. Prooemium. *Vtinam Vergilius caelo tam sereno uentoque tam secundo, quam quo uela nunc implentur, Athenas adueniat! Verum nauigare qui primus sustinuit, eo audaciae genere peccauit, quo mortales inmortalium inuidiam et poenas subierunt.* (Metrum 5)

In audaciam hominum dum inuehitur, suscepit sententiam ab Aeschylo in Prometheis praemonstratam. Ad Vergilium haec reprehensio non pertinet: immo faustum iter amici periculorum maris poetam admonet. Temporis nota satis certa impressa est: Vergilius enim a. 735 = 19 a. Chr. in terram Atticam profectus est et mox in Italiam regressus eodem anno Brundisii uita decessit. Donatus in uita Vergil. c. 13. Hieronymus in Eusebii Chron. Ol. 190 2. Plinius NH. XIIII 3(1) § 18. Qui Vergilii nomen mutare conantur, qui de alio Vergilio aut alio itinere Vergilii poetae hariolantur, ad incerta ac minime necessaria delapsi sunt.

1—2. *sic te diua potens Cypri, sic:* 'sic, ut nunc ipsum fieri uideo', quam sententiam partim illud *sic* non sine ui repetitum, partim proxima uerba (*lucida sidera* atque *obstrictis aliis praeter Iapyga*) suppeditant. Scilicet poeta Vergilium tranquillo mari, sereno caelo, secundo uento discedentem animo intuetur. Ita explicuit P. Hoss in *Spicilegio annotationum in Horatii Carm.* p. 2. Alia uis elliptico *sic* subest apud Catullum 17 5: *sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat;* Tibullum I 4 1: *sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape;* II 5 121: *annue: sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli.* Inuocatur Venus *marina* (III 25 5), quam Cnidii *Εὔπλοιαν* appellauerunt teste Pausania I 1 3; idem II 34 11: *Ἀφροδίτης ναός ἐστιν*

uentorumque regat pater
obstrictis aliis praeter Iapyga,

nauis, quae tibi creditum
debes Vergilium, finibus Atticis

reddas incolumem precor
et serues animae dimidium meae.

illi robur et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci

5—7. *Seruius ad Verg. Aen.* II 260, VI 18. 6. uirgilium *BGH.* 8. Et *HωΣ:* Vt *pr BGς.*

(apud Hermionenses) ἐπίκλησιν Ποντίας καὶ Λιμενίας τῆς αὐτῆς.

2. *fratres Helenae, lucida sidera:* Hyginus Poeticon astron. 22: *hos* (sidus Geminorum) *complures astrologi Castorem et Pollucem esse dixerunt.* De sidere Geminorum nautis fauente nunc loquitur, non de flammulis ignis electrici, quae in tempestate aliquando resident in uelis uel malis nauium, de quibus dictum ad I 12 27: nam *sidera* uocauit, ac sine omni periculo Vergilium Athenas uenire cupit, non postquam tempestatem tolerauerit et euaserit.

3. *uentorumque regat pater:* Aeolum dicit, qualem descripsit Homerus Od. κ 1 sqq.

4. *praeter Iapyga:* Iapyx siue fauonius ex Apulia (Iapygia) Graeciam uersus spirans utilis est ex Brundisio Dyrrachium nauigantibus. Vegetius RM. IIII 38: *occidentalem uero cardinem tenet ζέφυρος; huic a dextra iungitur λίψ siue Africus, a sinistra Ἰάπυξ siue fauonius.*

5—6. *quae tibi creditum debes Vergilium:* *debes* absolute positum; debitum consequitur ex credito. Debet Vergilium nauis illis, unde accepit, Horatio et ceteris amicis. Sic etiam codices BH et Seruius ad Vergilii Aen. VI 18 distinguunt, et conuenit diaeresis uersus choriambici. Non bene Porphyrion: 'ambiguum utrum *debes finibus Atticis*, an *finibus Atticis reddas*'. Formam nominis *Vergili* liber A in hac oda deficiens praebet I 24 10, IIII 12 13, et sic in uetustissimis quibusque monumentis scribitur. In titulis regni Neapolitani Mommseni septem *Vergilii* sunt, duodecim *Vergiliae,* una *Virgilia,* nullus *Virgilius.*

6. *finibus Atticis:* in terra Attica.

8. *et serues — meae:* est ἐπεξήγησις proximi *reddas incolumem.* Correctorem sapit *ut serues.* *animae dimidium meae:* cf. Serm I 5 40, 6 55.

9. *illi robur:* carum caput in altum maris animo et cogitatione dum prosequitur, obuersantur pericula nauigantium, quo deducitur ad inuentorem nauium. Cui roboris (δρυὸς ἀγρίας) durum lignum et aes triplex pectus circumdat, metu curisque tangi nequit, est durus et ferreus, nullo humano affectu penetrabilis (σιδηροῦς, ἀδαμάντινος).

10—11. *qui fragilem truci commisit pelago ratem:* sollerter sociauit *fragilem ratem* cum truce pelago; pelagus est mare apertum et uastum (*aequor*); *trux* (grausig) dicitur unde aures aut oculi abhorrent. Epod. 2 5: *classico truci;* 5 4: *uultus — truces;* Epl. I 19 49: *truces inimicitias.* *ratem:* ratem carinae superpositam; cf. I 1 17.

12. *praecipitem Africum:* cf. I 1 15.

13. *decertantem aquilonibus:* praepositio *de* certandi et superandi studium notat. I 9 11: *uentos deproeliantes;* I 18 9: *rixa super mero*

commisit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum

decertantem aquilonibus,
nec tristes hyadas, nec rabiem noti,

quo non arbiter Hadriae
maior, tollere seu ponere uult freta.

quem mortis timuit gradum,
qui siccis oculis monstra natantia,

12. affricum *H*. 14. nothi *BGHω*. 15. adriae *BG*.

debellata; Epl. I 1 44: *quanto deuites labore;* I 3 14: *an tragica desaeuit* (saeuitiam describens superaturus alios) *arte,* II 1 184: *depugnare parati.* Notionem intendit praepositio III 3 55: *debacchentur,* AP. 94: *delitigat,* Serm. II 3 315: *denarrat.*

14. *nec tristes hyadas, nec rabiem noti:* tristes ob pluuiae copiam. Vegetius RM. IIII 39: *octauo kalendas Octobris aequinoctialis euenit acerba tempestas; circa nonas uero Octobris haedi pluuiales* (= hyades), *quinto idus eiusdem taurus.* Columella XI 2. Aratus Phaenom. 171. Veteri Homero nondum cognitae sunt, sed memorat aliquanto recentior conditor scuti Achillei (Il. Σ 486) et hunc fortasse secutus Hesiodus *E.*612. Ouidius Fast. V 165: *ora micant tauri septem radiantia flammis, nauita quas hyadas Graecus ab imbre uocat. Pluuiales* haedos Vergilius (Aen. IX 668), *nimbosos* Ouidius (Trist. I 11 13) nominat.

15—16. *quo non arbiter — ponere uult freta:* uerba *quo non maior* (est) *arbiter Hadriae* quasi regnum noti siue austri memorant, qui cum et uehementer et leniter spirare possit, fluctus modo tollit, modo ponit uel sternit. Conf. III 3 5: *auster, dux inquieti turbidus Hadriae.* Contra Serm. II 8 6: *leni fuit austro captus.* Vegetius IIII 38: *meridianum autem cardinem possidet νότος, id est auster; huic a dextra iungitur λευκόνοτος, id est albus notus, a sinistra λιβόνοτος, id est corus.* *tollere seu ponere:* exquisitum facit sermonem particula *seu* ante *tollere* suppressa. I 6 19: *nos — cantamus,* (siue) *uacui siue quid urimur;* adde I 15 25, 32 7.

17—20. Praecipuos nauigantium terrores componit, quos tamquam uarios ad mortem gradus recenset.

17. *quem mortis timuit gradum:* h. e. quem gradum siue aditum ad mortem timuit? qui *gradum* interpretantur *gressum* et mortem deum minaciter incedentem cogitant, non recte faciunt: nam haec species demum uersu 32 infertur, *semotique — leti corripuit gradum;* repetere eadem in eodem carmine non est Horatianum.

18. *siccis oculis:* h. e. sine lacrimis. Sequitur poeta morem antiquitatis: nam promptum est hominibus sine cultu agentibus in quouis periculo lacrimas effundere. Sic Achilles a flumine Scamandri uexatus et in discrimen adductus apud Homerum (Il. Φ 272): *Πηλείδης δ' ᾤμωξεν ἰδὼν εἰς οὐρανὸν εὐρύν.* Conf. Odyss. ε 297: *καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ.* Vergilii Aen. I 92. Ouidii Metam. XI 539: *non tenet hic lacrimas, stupet hic.* Coniectura Bentlei *rectis,* Cuninghami *fixis* redarguitur uel Augustini uerbis a me in Annalibus Vindobonensibus a. 1842 allatis ex. Confess. I 13 (20): *cum interea me ipsum in his a te morientem, deus, uita mea, siccis oculis ferrem miserrimus.* Peerlkampius attulit Hieronymi Epist. 26: *uxoris interitum siccis oculis uidet.*

qui uidit mare turgidum et
infamis scopulos Acroceraunia?

nequiquam deus abscidit
prudens Oceano dissociabili

terras, si tamen inpiae
non tangenda rates transiliunt uada.

audax omnia perpeti
gens humana ruit per uetitum nefas.

audax Iapeti genus

19. turgidum *BGς Acron:* turbidum *Hς Blandinii.* 20. *scholiasta Statii Theb.* I 333, III 121, VI 155. Infamis *pr B:* Infames *GH.* 20. acroceraunia *Gω Acron:* acro ceraunia *B,* acro ceruuniae *H.* 21. Nequiquam *BGς:* Nequicquam *Hς.* 23—24. si tamen — uada *Seruius ad Verg. Aen.* I 603. 23. impie *H.*

19. *mare turgidum:* Hesiodi Theog. 109: *πόντος ἀπείριτος οἴδματι θύων.* ibid. 131: *πέλαγος οἴδματι θῦον.* Adde Homericum *οἶδμα θαλάσσης. Turgidum* cogita uentis et imbribus. Carm. IIII 12 4: *nec fluuii strepunt hiberna niue turgidi.* Hoc legit Acron, ut ostendit interpretatio 'tumens fluctibus suis'. Altera scriptura (*turbidum*), per se non inepta et a Bentleio aliorum poetarum exemplis (cf. II 19 6, III 3 5) defensa, nunc imaginem minus speciosam refert.

20. *infamis scopulos Acroceraunia:* infames (*δυσώνυμοι*) sunt naufragiis. Ouidius Remed. Am. 739: *hae tibi sint Syrtes, haec Acroceraunia uita.* Latine uertit Vergilius G. I 332: *ille flagranti aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo deicit.* Idem Aen. III 506: *prouehimur pelago uicina Ceraunia iuxta,* ubi Seruius: *Ceraunia sunt montes Epiri a crebris fulminibus* (et) *propter altitudinem nominati, unde Horatius expressius dixit Acroceraunia, propter altitudinem et assiduos fulminum iactus.* Scholiasta ad Statii uerba Theb. I 333 *infames Scyrone petras: dixit infames ut est infames scopulos Acroceraunia.* Idem repetit ad III 121, ubi Statius habet *infames scopulos,* item ad VI 155, ubi est *siluaeque infamis tramite,* sed ita ut hoc postremo loco in aliquot codicibus aut per errorem scholiastae aut librarii scriptoris *alta Ceraunia* pro *Acroceraunia* sint. Horatius atroces scopulos longo et raro nomine depinxit.

21—24. Proxime hominum audacia descripta est: iam transit ad temeritatem iunctam cum impietate.

22. *dissociabili:* interpretantur multi, in quibus Orellius, actiuo significatu *qui terras dissociaret,* ut apud Lucretium I 11 est *genitabilis aura fauoni,* Ouidium Met. XIII 857: *penetrabile fulmen.* Sed quod illi ausi sunt, inde nihil consequitur pro hoc loco et uoce *dissociabilis,* cuius natura non est eadem atque *genitabilis* et *penetrabilis.* Hoc alibi nonnisi passiue positum reperitur, ueluti apud Tacitum Agr. 3, Claudianum in Rufin. II 238. Itaque *Oceanum dissociabilem* interpretor, 'cum quo societatem inire non licet'. Est Graecum *ἄξενος* uel interprete Reiskio *ἄμικτος.* Nimirum *Oceanus* iam opponitur cetero *mari:* hoc pericula multa habet, Oceani autem natura dissociabilis est, ideoque uada eius non tangenda sunt. Tacit. Ann. II 24: *quo uiolentior cetero mari Oceanus.* Coniecturis non opus est, ueluti *dissociabilis* Bentlei, *dissociabile* Cuninghami.

23—24. *inpiae — rates transiliunt uada:* inpiae sunt, quod nihil

ignem fraude mala gentibus intulit:

post ignem aetheria domo
subductum macies et noua febrium

terris incubuit cohors,
semotique prius tarda necessitas

leti corripuit gradum.
expertus uacuum Daedalus aera

pinnis non homini datis;
perrupit Acheronta Herculeus labor.

29—32. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 6 42. 31. cohors *om H, rc. m. superp.* co ors. 33. Laeti *G,* Loeti *H.* 34. dedalus *GH.* 35. Pennis *BGH.* 36. Perrupit *BGHς Blandinii:* Perrupitque *correcti BGς.* acherunta *B.*

curant Oceani naturam a deo inditam. In uerbo egregie delecto (*transiliunt*) inest significatio leuitatis et impudentiae aduersus iussa diuina.

25—26. *audax — nefas:* colligit generali sententia ante dicta et simul praeparat proxima; de structura *audax perpeti* cf. ad I 1 18.

26. *ruit per uetitum nefas:* hominum uita quasi longa series est facinorum uetitorum.

27—36. Sententiam modo dictam nouis exemplis instruit.

27. *Iapeti genus:* Iapeto generatus Prometheus. Hesiod. *E.* 50. Aeschyl. Prometh. 7.

28. *fraude mala: malam* nominat, quod Ioue inuito et ignaro haec patrauit Prometheus.

29. *post ignem — subductum:* subductum furto Lemnio; cf. Cic. Tuscul. II 11: *unde ignis cluet mortalibus clam diuisus; eum dictus Prometheus clepsisse dolo, poenasque Ioui fato expendisse supremo.*

30—31. *macies — cohors:* haec non ad philosophorum disciplinam exigenda sunt, tamquam igne reperto homines culti, sed simul molliti et fracti morbisque subiecti sint, sed accipiendum ex opinione antiquitatis, qua deus et fraudis auctorem et fraudatae rei possessores immissis morbis puniuit. Hesiodus *E.* 90—105. Seruius ad uerba Vergilii Ecl. 6 42 *Caucasiasque refert uolucres furtumque Promethei: Prometheus Iapeti et Clymenes filius post factos a se homines dicitur auxilio Mineruae caelum ascendisse et adhibita ferula ad rotam solis ignem furatus, quem hominibus indicauit; ob quam causam irati di duo mala immiserunt terris, febres et morbos, sicut et Sappho et Hesiodus memorant. Quod tangit et Horatius dicens 'post ignem — cohors'.*

32—33. *semotique — gradum:* necessitas leti pro *leto; prius* iunge cum *semotique,* non cum *tarda.* Semotum erat letum, h. e. *longe remotum* ab hominibus, quia post magnum aeui spatium demum aduenit. Hesiodus *E.* 129 sqq.

34—35. *expertus — datis:* alterum inpiae temeritatis exemplum est Daedalus, alis homini non concessis per mare fugiens in Siciliam, dum Icarus filius altius enisus in mare praecipitatur. Apollodorus III 15 8. Pausanias VII 4 5. Seruius ad Vergil. Aen. VI 14. Ouid. Metam. VIII 183.

36. *perrupit — Herculeus labor:* Hercules labore indefessus; *perrupit* producta ultima positum est libertate ex uetere poesi, ubi haec terminatio uocalem producere solebat, in caesura

nil mortalibus arduist:
caelum ipsum petimus stultitia, neque

per nostrum patimur scelus
iracunda Iouem ponere fulmina.

37. ardui est *BGω Blandinii:* arduum est *Hς Acron.* cf. ad IIII 10 6. 38. stulticia *H.* 40. Iracundia *pr B.*

retenta. Serm. II 1 82: *si mala condiderit in quem quis carmina, ius est.* Eodem tamen referre non licet Serm. I 9 21, ubi est *cum grauius dorsu subiit onus:* nam uerba *iit* et *petiit* cum compositis *i* altera extenta proferri docuit Lachmannus ad Lucret. III 1042 p. 207. Porro Flaccus ante litteram *t* in caesura aliquotiens produxit syllabam origine longam, sed acuta natura litterae *t* correptam, ueluti II 6 14: *angulus ridet, ubi non Hymetto;* 13 16: *caeca timet aliunde fata;* III 16 26: *quam si quicquid arat inpiger Apulus;* Serm. I 5 90: *callidus ut soleat humeris portare uiator;* II 2 47: *Galloni praeconis erat acipensere mensa;* 3 185: *ne quis humasse uelit Aiacem.* Maior est licentia, qua semel usus est Horatius, cum idem in thesi post finem ordinis admittitur, ut III 5 17: *si non periret inmiserabilis,* aut cum syllaba natura sua breuis ante *t* in caesura producitur, ut ter factum, III 24 5: *si figit adamantinos;* Serm. I 4 82: *qui non defendit alio culpante;* II 3 260: *exclusus qui distat, agit ubi secum eat an non?* Maturior annis et arte perfectior ab hac uenia abstinuit, cuius nullum uestigium est in Epistulis, in Arte poetica, in carminibus libri quarti.

37—40. Collectione comprehendit quae ex ante dictis consequi uidentur.

37. *nil mortalibus arduist: est* h. l. ualet *uidetur esse.*

38. *caelum — stultitia:* cf. III 4 50 sqq.

40. *ponere fulmina:* cf. I 12 59: *tu parum castis inimica mittes fulmina lucis.*

IIII.

Soluitur acris hiems grata uice ueris et fauoni,

Paraenetice dicolos ad Sestium Quirinum *B*, Par. dic. ad Quirinum Sest. de uerno tempore *H*.

1—2. *Terentianus Maurus u.* 2929 p. 2448, *Diomedes* III 35 4, *Marius Victorinus* III 8 15, *Probus* II 1 27, *Atilius Fortunatianus* II 28 19, *Marius Plotius* 11 7. 1. *Charisius* I 17 54 p. 63: melius communiter hic et haec acris dicemus, ut Horatius 'soluitur acris hiems'. hiemps *BG Probus*. fauonii *H*.

Carm. IIII. Prooemium. *Ecce sub ueris aduentum terrae calore perfunduntur, quicquid uiuit, nouo uigore incitatur. Nos quoque gaudia sequi genioque indulgere decet, eo magis quod uita breuis est et cita mors laetitiam abrumpet.* (Metrum 15)

Carmen missum est ad L. Sestium, nobilem uirum ac diuitem (u. 14), qui Bruti partes secutus mox Augusto reconciliatus est et a. 731 consulatum gessit. Dio LIII 32: *καὶ ἐπί τε τούτῳ ἔπαινον ἔσχε* (*Αὔγουστος*) *καὶ ὅτι Λούκιον ἀνθ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνθείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συσπουδάσαντα καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα, καὶ ἔτι καὶ τότε καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ καὶ εἰκόνας ἔχοντα καὶ ἐπαίνους ποιούμενον.* Vtrum in Bruti partibus agentem Sestium Horatius tribunus militaris cognouerit an post in urbe ad eius amicitiam accesserit, incertum est: uersus tamen 18—20 atque ipse locus carminis artius caritatis uinculum ostendunt. De tempore scripti poematis hoc unum potest definiri, diutius ante annum 731 = 23 a. Chr., quo consul fuit Sestius, factum esse. Nam regna uini sortiri talis tenerumque Lycidan mirari (u. 18—19) uiro consulari non satis aptum foret. Errauit igitur Porphyrion aut parum diligenter scripsit: 'haec ode ad P.' (corrige *L.*) 'Sestium consularem scribitur'. Versus sextus decimus ad id tempus nos ducit, quo Flaccus scientiam Epicuri secutus est, quem a. 727 reliquit. Cf. ad I 34. Idem argumentum aliter tractatum est in septimo carmine libri quarti.

Prior uersus est *ἀσυνάρτητος*, i. e. uersus ex duobus diuersis ordinibus compositus, ex tetrametro dactylico et tripodia trochaica qui uocatur ithyphallicus. Tetrameter hanc legem sequitur: –́⏖–⏖–⏖–⏑⏑, ithyphallicus ad hanc factus est: –́⏑–⏑––. Sumpsit hoc ab Archilocho uersuum asynartetorum inuentore. Hephaestion de Metris c. 15 *β*, ubi affert hunc asynartetum Archilochi: *οὐκ ἔθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη*, et alterum in quo anceps longa in fine tetrametri admissa est: *καὶ βήσσας ὀρέων δυσπαιπάλους, οἷος ἦν ἐπ' ἥβης*. Adde Mar. Victorinum III 3 § 21, Diomedem III 35, Boeckhium de Metris Pindari I c. 14. Syllabam ancipitem et hiatum, etiam elisionem in fine tetrametri uitauit Horatius; idem ithyphallicum in longam exire noluit aut in breuem littera consona sic terminatam, ut positionis species fieret. Fortasse hoc praeiuit Archilochus, certe pauci uersus, qui supersunt, in longas exeunt; cf. fragm. 101 et 113 ed. Bergk. Alter uersus constat ex tripodia iambica catalectica, quae in longam syllabam desinit (⏒–́⏑––́), tum ex tripodia trochaica, cuius ultima semper intenditur (–́⏑–⏑––): sic enim ityphallici leuitatem declinari noluit.

1. *soluitur acris hiems:* remittente hieme soluitur solum terrae et superficies fluminum glacie astricta: hoc ad ipsam hiemem translatum est. *fauoni:* ueris comites et nuntii; III 7 2: *quem tibi candidi primo resti-*

trahuntque siccas machinae carinas,

ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
nec prata canis albicant pruinis.

iam Cytherea choros ducit Venus inminente luna,
iunctaeque Nymphis Gratiae decentes

alterno terram quatiunt pede, dum grauis Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

2. *Diomedes* III 34 10. 3. iam *supra uersum BH.* 4. *Eutychius* II 2, *Priscianus* VIII 6 30, 14 77. *Scholiasta Statii Theb.* I 512: canis albicat ora pruinis. 5. citherea *G.* inminente *BG:* imminente *H.* 6. nimphis *BH.* graciae *B.* 7—8. *Marius Plotius* II 7. 7. quaciunt *BH.* grauis *BH Plotius:* graues *G.* 8. urit *BG* (*G in rasura*) *Hω:* uisit ς, ussit *Plotius,* iussit *Plotii cod. Leidensis.*

tuent uere fauonii. De fauonio cf. ad I 3 4, de initio ueris ad III 7 2.

2. *trahuntque siccas machinae carinas:* naues ob hiemis tempestates in siccum retractae iam machinis in mare trahuntur. In *mare* trahi contrarium *siccas* indicat. Veget. de RM. IIII 39 (V 9): *ex die tertio iduum Nouembris usque in diem sextum iduum Martiarum maria clauduntur.* Idem sextum idus Martias paulo post *natalem nauigationis* appellat.

3—4. A litore maris ad rura pergit et studia ueris aduentu ibi mota.

3. *ac neque — igni:* pecus in stabulis adhuc contentum pastum abit, arator foco relicto ad agrum colendum festinat. Vno uersiculo comprehendit quae pecus agricolaeque tempore hiberno fecerint et quae iam facere intendant. Forma *igni*, qua Horatius utitur (cf. I 34 3; Serm. I 5 72 ibique annotatio Bentlei), facit ut leuis uersiculus in longam exeat; u. Prooemium.

4. *nec prata — pruinis:* haec subsequi fecit propter priora *neque iam stabulis gaudet pecus*: iam enim uirescunt prata pecori iucunda neque frigore et pruinis rigent.

5—8. Veris dulcedine numina quoque diuina mouentur, ut alacriter suis quodque rebus incumbat. *Cytherea — Venus:* Ouidius Heroid. 7 59: *mater Amoris nuda Cytheriacis edita fertur aquis.* Rarum est *Cytherea Venus*, solitum *Cytherea*, ut scite notauit Bentleius, sed *Veneris* nomen Horatius uidetur addidisse, ut choris gaudentem ac studentem monstraret talem, qualem incolae Cytherae Laconici uidentur placauisse. Hoc si abesset, *Cytherea* perinde dicta esset ut *Paphia*, *Cypria.* Fortasse ex Horatio Musaeus (H. et L. 38) sumpsit: *ἀλλ' αἰεὶ Κυθέρειαν ἱλασκομένη Ἀφροδίτην.*

5. *inminente Luna:* Luna choros quos ducit Venus laeta aspicit et lumine suo iis inminet. Veneris chori noctu fieri dicuntur, quod eius studia tenebris plerumque obteguntur.

7. *alterno terram quatiunt pede:* alterno pede est ad legem numeri; dum Gratia pedem tollit, ponit Nympha et sic porro.

7—8. *dum grauis — officinas:* fulmina Iouis cuduntur, quae mittat adulto uere et per aestatem. *ardens:* ardore incensus (*αἴθων*); III 4 59: *auidus Vulcanus*, qui auet amplecti et absumere; *urit* est Graecum *φλέγει* (*setzt in Feuer*). Euripides Phoeniss. 243: *Ἄρης αἷμα δάϊον φλέγει.* Sophocles Oed. R. 192: *ὅς* (*Ἄρης*) *νῦν — φλέγει με*, de peste inuadente et sitim ardentem afferente; Aiace 196: *ἄταν οὐρανίαν φλέγων.*

nunc decet aut uiridi nitidum caput impedire myrto,
aut flore, terrae quem ferunt solutae;

nunc et in umbrosis Fauno decet inmolare lucis,
seu poscat agna siue malit haedo.

pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turres. o beate Sesti,

uitae summa breuis spem nos uetat inchoare longam.

9. inpedire *B*. mirto *BG*. 11. inmolare *B*: imm. *GH*. 12. *Marius Victorinus* III 12 16, *Seruius ad Vergil. Ecl.* 3 77. agna *BGω Seruius*: agnã *H Victorini cod. Parisinus*, agnam ς *duo Blandinii*. hedo *BGH*, haedo *ω Seruius Victorinus*: haedum ς *duo Blandinii*. 14. sexti *nonnulli*. inchoare *BG*H.

9—12. Sequitur altera pars carminis. Tempus ipsum et exempla inuitant ad aetatem laete agendam.

9—10. *nunc decet — solutae*: conuiuia suadet et potationem; II 7 24: *quis udo deproperare apio coronas curatue myrto*. Conf. Plat. Conuiu. p. 213 B et *E*. *uiridi myrto*: nouis foliis myrti, quae coma uirente floret uerno tempore. *nitidum caput impedire myrto*: nitidum est λιπαρόν, nitens unguentis; *impedire* denotat coronam multa myrto et uario flore densam, qua caput quasi implicetur. Alibi est *uincire*, ut I 7 23, IIII 1 32; Epl. II 1 110.

11—12. *nunc — haedo*: quae praecedunt, respiciunt conuiuia in urbe celebranda, quae sequuntur pertinent ad laetos dies ruri et in nemore agendos.

12. *seu poscat — haedo*: qui facilitatem structurae sectantur, facile *agnam* et mox *haedum* praetulerint, sed facilia et solita poetae saepe declinant; u. Seruius ad Vergilii Ecl. 3 77: *figurate 'faciam uitula' ait, ut 'faciam ture', ut 'faciam agna'. Horatius I Carm.: seu poscat agna, siue malit haedo.* Nunc etiam alia causa fuit, cur Horatius ablatiuum praeferret, scilicet ut ordo ithyphallicus in longam exiret eoque leuis natura numeri paulo fortior euaderet; conf. u. 2 *carinas*, 4 *pruinis*, 6 *decentes*, 8 *officinas*, 10 *solutae*, 14 *Sesti*, 16 *Manes*, 18 *talis*, 20 *tepebunt*. Ad eam normam h. l. *haedo*, non *haedum* postulatur. Ablatiuus *agna* et *haedo* sunt instrumentales, pendentes ex intellecto *ut inmolemus* uel *ut ei inmoletur*.

13—19. Noua causa inducitur, qua impellatur Sestius ad uoluptates percipiendas, sumpta a uitae breuitate et morte inminente.

13. *aequo pede pulsat pauperum tabernas regumque turres*: pede pulsantur fores, ut aut aperiantur aut, si apertae fuerint, adesse aliquem indicetur. Egregie componuntur *pauperum tabernae* et *regum turres*. Turris de magnifico aedificio et munito dicitur, ut *turris Maecenatiana, turris Antonia*, *turris Albana*.

14. *o beate Sesti*: diuitem designauit L. Sestium siue opibus beatum, nihil amplius. Serm. II 8 1: *Nasidieni qui iuuit te cena beati?* Adde Carm. II 4 13, III 7 3, 29 11; Epod. 9 4; AP. 425. Est uitae communis notio, quam ipsam impugnat Horatius IIII 9 46: *non possidentem multa uocaueris recte beatum: rectius occupat nomen beati, qui deorum muneribus sapienter uti — callet.*

15. *spem nos uetat inchoare longam*: noue *inchoare* posuit, ut spem longum in tempus concipi posse ab homine, peragi non posse significaret.

iam te premet nox, fabulaeque manes,

et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
nec regna uini sortiere talis,

nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuuentus
nunc omnis et mox uirgines tepebunt.

16. fabulaeque et manes *H.* 16. licidan *G.*

Imitatus est Seneca Epist. 101: *o quanta dementia est spes longas inchoantium!*

16. *fabulaeque manes:* hoc fortius quam *fabulosi manes,* h. e. de quibus multa fabulantur homines. Inest risus poetae fidentis Epicuri placitis, cum haec scripsit. Sed quomodo manes Sestium prement? Nimirum simul atque splendida arbitria de ipso lata sunt a Minoe uel Rhadamantho (hi sunt *fabulae manes*), certa ei et angusta sedes, unde pedem ferre non licet, destinata erit; cf. IIII 7 21 sqq. Pers. V 152: *cinis et manes et fabula fies.*

17. *Plutonia* domus est Orcus, non, ut interpretantur nonnulli, *sepulcrum*, aduersante nomine proximo *manes.* Ea domus *exilis* appellatur, quod angusto spatio ingens multitudo inanium umbrarum stipata est. Poetae obuersata est descriptio Homerica Odyss. ω 6 sqq.

18. *nec regna uini sortiere talis:* II 7 25: *quem Venus* (iactus Veneris) *arbitrum dicet bibendi?*

19. *tenerum Lycidan:* tenerum aetate (ἐφ' ἥβης ὄντα) et forma corporis.

19—20. *quo calet — tepebunt:* iucunda clausula tristem imaginem mortis modo propositam in fine poematis oblitterari uoluit. Vehementem amorem, quo iuuenes ardent in formoso Lycida, *calendi* uerbo, lenius et uerecundum in uirginibus desiderium *tependi* (ἐνθάλπεσθαι) uoce expressit. *mox* est 'ubi excessit ex ephebis'. Fortasse imitatus est Statius Silu. I 2 139: *ipsam iam cedere sensi inque uicem tepuisse uiro.*

V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urget odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flauam religas comam,

Prosponetice tetracolos. Ad Pirram *B*. Prosphonetice tetr. ad Pirram quandam amicam suam *H*.
1—4. *Atilius Fortunatianus* I 9 6, II 28 23, *Terentianus Maurus* u. 2799 p. 2445, *Marius Victorinus* IIII 3 29. 1. 3—4. *Diomedes* III 35 5. 1. inrosa *G*. 2. urget *GH grammatici:* arguet *B*. 3. *Mallius Theodorus*. pyrra *BGH*, purra *codex Theodori*.

Carm. V. Prooemium. *Cui puero formoso morem nunc geris, Pyrrha? Quis est ille nunc felix; mox miser et ob perfidiam tuam desperaturus? Equidem amoris tui scopulos feliciter praeteruectus sum et saluum me esse gratus erga deos profiteor.* (Metrum 19)

Poema, ne Praxitelis quidem Venere Cnidia, si rediret, redimendum, potentis formae et insolentis perfidiae exemplar proposuit. Praecipua uero carminis uirtus eminet e contrario, quo uetus amator, securus et liber a discrimine, differt a nouo, nunc beato, mox miserrimo et consilii inopia in stuporem prolapsuro. Quamobrem uera esse non concedo postrema in his uerbis Acronis: 'percontatur Pyrrham, quacum olim consueuerat, quo amatore nunc fruatur iuuene, et munditias eius uel blanditias laudat, sed cum quadam adhuc amantis inuidia'. Carmen hoc loco insertum est ab auctore, ut tamquam illustri documento probaret, uerum esse illud in proximo carmine dictum, ipsum ualidum esse in lusibus amantium decantandis. Verum alia etiam cognatio utrique intercedit: nam in hoc narrauit (13—16) elapsum se esse e periculoso Pyrrhae amore: in illo (u. 19) fatetur uacuum se esse uel saltem non praeter solitum uri. Hinc collige mecum eundem fuisse utriusque annum natalem; qui cum proximo poemati septingentesimus uicesimus quintus (29 ante Chr.) repertus sit, eidem hoc assignandum erit.

1—2. *quis — urget:* caste dictum in re non nimis honesta: nam uerbum *urgere* (zusetzen, zu Leibe gehen) inpotentis amatoris cupidinem et trepidationem erga delicias pingit. Pyrrham inducit fastidiosam in admittendis amatoribus: quippe non nisi puerum (h. e. admodum iuuenem), et gracilem quidem liquidisque odoribus perfusum, patietur; eadem multam rosam in antro amoeno requirit. Haec qui praestare potest, Pyrrhae gratus erit. *multa in rosa* est in lecto, qui multo rosarum flore stratus est. Ephippus Athenaei II p. 48 C: ὡς ἐγὼ σκιρτῶ πάλαι ὅπου ῥοδόπνοα στρώματ' ἐστὶ καὶ μύροις λοῦμαι ψακαστοῖς.

4. *cui flauam religas comam?:* religare comam est comam in nodum collectam retro uincire; *flaua* coma pertinet ad uenustatem formae. Ab ea Phyllis ipsa *flaua* appellatur II 4 14, item Chloe III 9 19, *flauus* Ganymedes IIII 4 4. Nunc a coma flaua ad rubram accedente (*hochblond*) huic puellae nomen Pyrrhae inditum est.

simplex munditiis? heu quotiens fidem
mutatosque deos flebit et aspera
nigris aequora uentis
emirabitur insolens,

qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper uacuam, semper amabilem
sperat, nescius aurae
fallacis. miseri, quibus

intemptata nites. me tabula sacer

5—9. *Donatus ad Terentii Andr.* V 9 8. 5. mundiciis *BGH.* quotiens *BGH ut solent.* 8. mirabitur *pr H.* 9. fruetur *corr G.* 13—16. me — deo *Eutychius* II 2.

5. *simplex munditiis*: ipsa simplicitas ornatus et uera natura gratiorem reddit Pyrrham. Eius simplices munditiae componuntur cum multa rosa in antro grato et cum liquidis odoribus, quibus puer perfusus est.

5—8. *heu quotiens — emirabitur insolens:* formae praestantiam describere cum molestum sit, ex euentu insignem eius potentiam Horatius significauit. Est hoc παρὰ προσδοκίαν. Cum summa praesente felicitate iungit propinquam desperationem amantis spe sua uotisque deiecti, et tantam quidem, ut etiam ueterem Pyrrhae amatorem miseratio capiat eius qui ipsum excussit. *fidem mutatosque deos:* ex *mutatosque* notio *laesam* assumenda et iungenda cum uoce *fidem; di* qui adhuc faustum amorem incauto iuueni praebent, mox mutati puellam auersam reddent. Tanta scilicet erit mutatio, ut ad ipsos deos referri debeat.

6—8. *aspera — insolens:* increscentem desperationem infelicis iuuenis depingit, qui neque oculis neque auribus satis competens nihil nisi undas uentis asperas in cursu amoris aspicere sibi uidetur. Orellius non recte de *contentionibus* puellae cogitauit. Nigri sunt uenti, qui nigris nubibus et atra tempestate ingruunt. Epod. 10 5: *niger rudentes Eurus — differat.* Vergil. Georg. II 278: *nigerrimus Auster.* *aspera:* ob turbatam tranquillitatem maris.

8. *emirabitur insolens:* duabus nouis uocibus expressit rem inexpectatam et raram: nam *emirari* est omnes mirandi uias percurrere; cf. II 14 11: *enauiganda — unda;* Epl. II 1 201: *peruincere eualuere; insolens* pro *insolitus* siue *inexpertus.* Comparant Sallustii Cat. 3: *insolens malarum artium,* Cic. de Or. I 7: *quorum non ignarus et insolens;* quae tamen exempla felice Horatii audacia, qui genetiuum suppressit, superantur.

9—12. *qui nunc — fallacis:* quo magis frustrata spes appareat, pergit exequi confidentiam nihil mali suspicantis et imperitiam fallaci aurae credentis.

9. *te — aurea:* tam cara quam est aurum. Epl. I 12 28: *aurea fruges — defundit Copia.* Carm. IIII 2 23: *moresque aureos educit in astra.*

10. *semper uacuam, semper amabilem:* uacuam ab aliis amatoribus ideoque sibi uacantem. Carm. I 6 19: *uacui* (ab amoribus) *siue quid urimur.* Ante *amabilem* grauiter repetiit *semper:* nimirum odiosa inconstantia ipsam puellam odiosam reddit priori amatori.

11. *nescius aurae fallacis: auram* cogita οὖρον bene spirantem et amatori in itinere secundum: sed illa fallax est et mox *nigri uenti* et *aspera aequora* ipsam excipient.

12—13. *miseri — nites:* generali sententia claudit ante dicta; *quibus nites:* quibus nitorem formae et cor-

uotiua paries indicat uuida
suspendisse potenti
uestimenta maris deo.

VI.

Scriberis Vario fortis et hostium

14. uuida *BGHω Blandinii:* humida ς.

Hyppothetice tetracolos ad Agrippam *B.* Prosphonetice tetr. ad Hiscspanium (*Vipsanium*) Agrippam *H.*
1—4. *Terentianus Maurus* u. 2701, *Marius Victorinus* IIII 3 32. 1—2. scriberis — uictor *Seruius ad Vergil. Ecl.* 9 35, *Georg.* III 6. 1 *et* 4. *Diomedes* III 35 6. 1. scriberis Vario fortis *Probus* I 8 1. uario *GHω:* uaro *B* (*in loco deraso*) ς.

poris concedis. *intemptata:* quod temptatur, quale sit cognoscitur; inde *intemptata* quae nondum usu comperta est.

13—16. *me — maris deo:* Horatius post spei in Pyrrha naufragium id se fecisse dicit, quod solent qui naufragio superstites fuerunt. Pro comparatione allegoriam ponere solet. De more illo Cicero ND. III 37, Vergilius Aen. XII 766—769, Horat. Sermon. II 1 33, AP. 20. Porphyrion: 'uidemus autem quosdam hodie quoque pingere in tabulis suos casus, quos in mari passi sunt, atque in fanis marinorum deorum ponere. Sunt etiam qui uestem quoque ibi suspendant dis eam consecrantes'. *uuida — uestimenta:* uuida sunt aqua manantia, quo uocabulo profitetur non leni naufragio se elapsum esse. '*Madidus* autem extrinsecus, *uuidus* intrinsecus'. Acron.

Carm. VI. Prooemium. *Res tuas, Agrippa, fortiter gestas Varius laudabit: ipse non pugnas uirorum sed proelia uirginum cantare possum.* (Metrum 18)

Carmen grauibus locis ac facetis mire mixtum, ut modo uerum simplicemque amicum, modo callidum risorem audiamus, scriptum esse a. 725 (29 a. Chr.) paulo ante Caesaris ex Asia reditum haec tibi, lector, monstrabunt. L. Varius Rufus, postquam bellatum ad Actium est (2. die Septembris a. 723) et omnis potentia in Caesarem Octauianum cedere coepit, duo poemata, Panegyricum Caesaris (*Panegyricum Augusti* uulgo, sed parum accurate grammatici uocant) uersibus heroicis compositum et Thyesten tragoediam scribere aggressus est et magna cum cura absoluit, illum, ut reduci Caesari traderet, hanc, ut ludis triumphalibus Caesaris VIII. VII. VI. idus sextiles a. 725 ederetur. Testatur id scholium in mediis Originibus Isidori positum et ex codice Parisino n. 7530 editum (cf. Welckeri Tragodumena III p. 1429. Museum Rhen. nou. 1841 p. 106), ubi est: INCIPIT THVESTES VARII. *L. Varius, cognomento Rufus, Thyesten tragoediam, magna cura absoluto post Actiacam Victoriam Augusto* (h. e. Panegyrico Caesaris), *ludis eius in scena edidit. Pro qua fabula sestertium deciens accepit.* Quorum operum Varii prius ab Horatio nunc annuntiatur (u. 1—4), alterum respicitur (u. 8), quae uestigia ad annum 725 nos ducunt. Certis hisce coniecturam addere licebit, quae sequitur: M. Agrippa, qui paulo post pugnam Actiacam ab Augusto in urbem missus est, ut Italiae et rebus urbanis cum Maecenate consuleret (Dio LI 3), in huius domo Horatium cognouit; cuius carmina de uictoria Actiaca et Alexandrina facta (Carm. I 37, III 25,

uictor, Maeonii carminis alite,
quam rem cumque ferox nauibus aut equis
miles te duce gesserit.

nos, Agrippa, neque haec dicere, nec grauem
Pelidae stomachum cedere nescii,
nec cursus duplicis per mare Vlixei,
nec saeuam Pelopis domum

2. meonii *BGH*. 6. *Charisius* IIII 3 8 p. 242, *Seruius ad Aen.* XII 527, *Diomedes* II p. 445, *Claudius Sacerdos* I 114. 7. *Priscianus* I 9 53, VI 18 92. duplicis *Gω Acron:* duplices *H corr Bς Priscianus,* 'dupliceis *omnes cod.*' Crvqvivs. ulyxei *H*. 8. seuam *BH*.

Epod. 9) cum admiratus esset, ipsum rogauit, ut maiore et perpetuo opere res illas persequeretur; cui Flaccus excusauit ingenii tantis rebus haud sufficientis inopiam; eandem paulo post (a. 726) excusare perrexit in Sermon. II 1 12—15.

1. *scriberis Vario:* Vario tertius casus est ualetque *a Vario*. Conf. annot. ad Serm. I 6 116. Hoc promittens respicit Horatius epopoeiam, quam de rebus Octauiani Caesaris L. Varius tunc scribens ante reditum illius ex Asia a. 725 absoluit, quam *Panegyricum Augusti* grammatici uocant, auctor ipse *Caesaris Panegyricum* uidetur inscripsisse. In eo simul Agrippae res gestae memorandae erant. Conf. ad Epl. I 16 27, II 1 247.

2. *Maeonii carminis alite:* qui ut cycnus carmen Homericum cantat; *alitem* cycnum dicit, auem canoram et multa aura in alta se efferentem; IIII 2 25: *multa Dircaeum leuat aura cygnum;* II 20 10: *album mutor in alitem* (= cycnum). Pro ablatiuo *alite* datiuum editores non pauci maluerunt, ut responderet antegresso *Vario*. Sed illud *Vario* cum ualeat *a Vario*, poeta *alite* scribens sensum uocabuli praegressi potius quam formam secutus est.

3—4. *quam rem — gesserit:* in pugna Actiaca; hanc enim et quae proxime secuta sunt, non etiam res ante gestas, in Panegyrico celebrasse Varium est cur credamus.

3. *quam rem cumque* facilis est τμῆσις etiam a pedestris orationis auctoribus non spreta. Horatio recurrit I 7 25: *quo nos cumque feret melior fortuna;* 9 14: *quem fors dierum cumque dabit;* 16 2: *quem criminosis cumque uoles modum pones iambis;* 27 14: *quae te cumque domat Venus;* Serm. I 9 33: *garrulus hunc quando consumet cumque;* II 5 51: *qui testamentum tradet tibi cumque legendum.* Epl. I 1 15: *quo me cumque rapit tempestas.* Conf. ad Carm. I 32 15.

5—16. Sequitur media ac praecipua carminis particula, in qua profitetur epici poematis grauitatem suas uires excedere (5—12), nonnullosque epicorum locos tam difficiles esse, ut uix ab ullo poeta sustineri possint (13—16).

5—9. *nos, Agrippa, neque haec dicere — conamur:* neque haec a te tuoque milite nuper gesta neque uiros Homeri poematis nobiles ego scribere conor. Ipsa professio aperta est et aduersus Agrippam minime acerba: immo hunc, ubi res ipsa tulit, eximie laudauit; cf. Serm. II 3 185; Epl. I 12 26. Etiam post mortem illum celebrauit AP. 63—65.

6. *stomachum:* dicit μῆνιν Homeri, sed consulto pro *ira* humilem uocem posuit, irridens scilicet inprobam Achillis iracundiam atque obiter ostendens, quantum sua natura ab eiusmodi argumentis abhorreat. Res non latuit ueteres magistros; Charisius IIII 3 9 p. 242: *ταπείνωσις est*

conamur, tenues grandia, dum pudor
inbellisque lyrae Musa potens uetat
laudes egregii Caesaris et tuas
culpa deterere ingeni.

quis Martem tunica tectum adamantina
digne scripserit, aut puluere Troico

10. Inbellisque *BG:* Imb. *H.* lirae *BG.* 12. deterrere *pr H.* ingenii *BGH.* 13—14. quis — scripserit *Priscianus* XVIII 10 98. 14. troico *Gω:* troyco *B,* trahico *H.*

rei magnae humilis expositio, ut apud Horatium Flaccum 'Pelidae stomachum cedere nescii'. Diomedes II p. 445: *ταπείνωσις est contra dignitatem rei magnae humilis expositio, ut est apud Flaccum 'Pelidae stomachum' pro ira.* *cedere nescii:* Epod. 17 14: *peruicacis ad pedes Achillei;* AP. 121: *iracundus, inexorabilis, acer.*

7. *duplicis Vlixei:* etiam haec *ταπείνωσις* est eodem consilio ut ante adhibita. Honorificum Vlixis *ἐπίθετον,* ueluti *patiens* (Epl. I 7 40), *laboriosus* (Epod. 17 16), nunc prudens uitauit. *duplex* est qui duplicem personam induit, aliud clausum in pectore, aliud in ore promptum habet, quem Graeci *διπλοῦν* uocant; cf. Ruhnken. ad Timaei lexicon p. 63. Respexit fortasse Homeri uerba Odyss. *ν* 291—295. Ceterum uera scriptura iam pridem interpolata est, ut docent Acronis et Porphyrionis scholia, quae uerum *duplicis* et falsum *duplices* interpretantur. Haec sunt Porphyrionis: 'amphibolum, nam et *duplicis Vlixei* potest accipi, quod significat *callidi,* potest et *duplices cursus* per accusatiuum pluralem accipi, i. e. itus ac reditus'. *Vlixei:* hac forma, quae stirpem nominis Aeolici *Οὐλίξης* et exitum Ionici *Ὀδυσσεύς* libere miscuit, in lyricis tantummodo usus est (Epod. 16 60, 17 16): in Sermonibus et Epistulis uulgatam apud Latinos formam (*Vlixes*) habet. Perinde Epod. 17 14 est *Achillei,* Carm. III 16 41 *Alyattei.*

8. *nec saeuam Pelopis domum:* cur haec addidit? primum ut suum ingenium non tantum ab epicis sed etiam a tragicis poematis faciendis alienum esse fateretur, tum ut *Thyesten* fabulam ab amico Vario coeptam et propediem edendam honorifice respiceret, quode u. Prooem. Quintilianus X 1 98: *Varii Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest.*

9. *tenues grandia:* duobus uerbis causam abstinentiae suae addit. *tenues:* uiribus et pondere carentes. Hinc *tenuare* pro deterere Carm. III 3 72.

10. *inbellisque lyrae Musa potens:* est etiam *bellicae lyrae* potens Musa, qua Stesichorus granitatem epici carminis sustinuit, sed sibi tantum inbellis et iocosae facultatem datam esse Flaccus fatetur. Conf. I 15 15: *inbelli cithara carmina diuides.*

11. *laudes egregii Caesaris et tuas:* his fretus statuo Panegyricum Caesaris simul pertinuisse ad Agrippam, et hoc ipsum esse opus Varii ab Horatio primo uersu nuntiatum.

13—16. Difficultatem epopoeiae monstraturus grauiores aliquot epicorum locos recenset. Cum ponit *quis — digne scripserit,* non iniuriose loquitur aduersus Varium, qui Homerica non tractauit, sed nonnullos Homeri locos ad imitandum difficillimos esse fatetur.

13. *tunica — adamantina:* ex adamante, h. e. ex chalybe facta;

nigrum Merionen, aut ope Palladis
Tydiden superis parem?

nos conuiuia, nos proelia uirginum
sectis in iuuenes unguibus acrium
cantamus, uacui siue quid urimur,
non praeter solitum leues.

15. nerio nẽ *H*. 16. Tididen *B*, Titiden *GH*. 17—18. non (*sic*) proelia — acrium *schol. Iuuenalis* VI 366. 17. p̃lia *BG*, prȩlia *H*. 19. qđ (= *quod*) *pr H, corr H* quid. 20. preter *H*.

uocabulum de Graeco fonte cadit (*χαλκοχίτων*), sed parce detortum est (AP. 52 sq.).

14—15. *puluere — Merionen:* Meriones Idomenei auriga, uir fortis, unus ex nouem uiris post Achillem excellentibus; Il. *N* 328 est *θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηϊ.* Vt prae aliis Graecorum uiris fortibus nunc memoraretur, effecit nomen idoneum metro choriambico.

15—16. *ope Palladis — parem:* respexit *Διομήδους ἀριστείαν*, h. e. Diomedis facinora in quinto libro Iliadis celebrata, nominatim u. 330—343, 793—863.

17—20. In clausula Flaccus exponit quibus rebus scribendis par sit. Vt in prima stropha Varii uirtutem, sic in extrema quo ualeat ipse significauit.

17—18. *nos proelia uirginum — acrium:* est *παρῳδία* pugnarum ab epicis narrandarum. Quemadmodum proeliatores acutis gladiis sese inuadunt, sic puellae sectos ungues in iuuenes quibus irascuntur, dirigunt.

18. *sectis in iuuenes unguibus acrium:* iunge *acrium in iuuenes sectis unguibus*. Qui sint *secti ungues* ex his, praecipue ex uocabulo acrium liquet, scilicet ita secti (*gespitzt*), ut acriter radere possint. Conf. annot. ad AP. 294, ubi est *praesectum — ad unguem*. Nunc ad morem poetarum simplicia pro compositis deligentium *sectis* idem ualet ac *praesectis*.

19—20. *uacui siue quid urimur, — leues:* h. e. *siue uacui siue si quid urimur, non praeter solitum leues*. Amoris uinculis se non nimis teneri praedicat, ne delicias cito transituras amare et celebrare, sed ueram animi sententiam protulisse uideretur, dum profitetur se iocosae Musae tantum aptum esse. Sic decebat coram uiro moris antiqui.

VII.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,

Paranetice dicolos (Munatio *add. H*) Planco *BH*.

1—2. *Atilius Fortunatianus* I 9 11 *et* 13, *Diomedes* III 35 7. 1—4. *Mar. Victorinus* III 8 11 (*cf. idem* IIII 3 34), *Terentianus Maurus* u. 2100 p. 2430. 1. rodon *BH*. mitilenen *B*, mytilenẽ *H*, mutilenẽ *G*.

Carm. VII. Prooemium. *Alii grata Achaiae et Asiae loca laudabunt: mihi Tibur et ripae Anienis prae ceteris placent. Tu, Plance, tristitiam finire memento, uitaeque labores mero mollire uelis. Discordem patris animum fortiter tolerabis Teucri Salaminii exemplum imitando.* (Metrum 8)

Plancus, quem Horatius alloquitur, est *Munatius Plancus*, filius eius Planci, qui a. 712 consulatum gessit, a. 722 ad Octauianum ab Antonio defecit, a. 732 censor factus est. Filium Plancum cum laude memorauit et *consulatu functum* nominauit Tacitus Annal. I 39 in rebus anni a Christo decimi quarti Hunc a. 734 (a. Chr. 20) in cohorte Tiberii Neronis in Armeniam expeditionem fecisse et acres inimicitias aduersus Iulium Florum ibi exercuisse docent uersus 30—36 in Epl. I 3. De hoc itinere Flaccus cogitat, dum enumerat iucundas Asiae urbes, de hac militia locutus est, ubi *uitaeque labores* in hoc carmine (u. 18) atque *fulgentia signis — castra* posuit. Verum unde Planci *tristitiam* u. 18 relatam explicabimus? Possis suspicari Flori odium Planco acerbum fuisse. Sed qui odia exercent, possunt quidem ex ea re tristitiam colligere, sed plerumque acrius animantur, neque quicquam huiuscemodi significatum est. Certiorem tristis animi causam poeta, *qui nil molitur inepte,* ipse luculente indicauit uersibus 21—32. Hinc edocemur Plancum patrem discordi aduersus filium animo egisse eamque praecipuam huic causam fuisse, cur urbem relinqueret ac Tiberium in Armenios proficiscentem comitaretur. Discordiae causam non comperi, suspicari quodammodo possum. Nimirum Plancus filius amicitiam Tiberii Neronis coluit, ut epistula ante nominata demonstrat, eundem pater summis honoribus perfunctus infra se putabat, quod ego collegi ex adulatore Tiberii Velleio Paterculo: is enim certus amicitiarum aut inimicitiarum Tiberii testis (cf. ad Carm. IIII 9) de Planco patre tum alibi acerbius scripsit, ueluti II 63 et 64 et 67 et 74 et 83 et 91, tum de censura eius haec prodidit II 95: *ante quae tempora censura Planci et Pauli, acta inter discordiam, neque ipsis honori neque rei publicae usui fuerat, cum alteri uis censoria, alteri uita deesset, Paulus uix posset implere censorem, Plancus timere deberet, nec quicquam obicere posset adulescentibus aut obicientis audire, quod non agnosceret senex.* Iam carminis ad unguem facti, sed quod adhuc difficillimum esse creditum est et uarios interpretum errores prouocauit, iusta explicatio, opinor, parata est. Anno 734 (a. Chr. 20) exeunte compositum est.

1—14. Prima pars carminis est, in qua Tiburtini agri amoenitatem non cedere claris Achaiae aut Asiae urbibus monuit, ne adulescentulorum more Plancus loca in Achaia et Asia nuper a sese uisa uel audita patriis anteferret neue amorem paterni soli exueret. Tibure uilla Planci uidetur fuisse; cf. ad u. 21. Eandem sententiam aliter tractatam leges in Epl. I 11. Imitatus est Martialis IIII 55.

1. *claram Rhodon*: *claram* dicit lumine solis, qui omni die ibi conspicitur. Plinius NH. II 62: *Rhodi et Syracusis numquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cer-*

aut Ephesum, bimarisue Corinthi
moenia, uel Baccho Thebas uel Apolline Delphos
insignis, aut Thessala Tempe;
sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
carmine perpetuo celebrare et
undique decerptam fronti praeponere oliuam;
plurimus in Iunonis honorem

2. ephesum *BGHω Fortunatianus Terentianus Diomedes Mallius Theodorus* 4 14: epheson *nonnulli*. bimarisue Cor. moen. *scholiasta Statii Theb*. VII 420. chorinthi *G*, chorinti *B*. 3. bacho *BGH*. delfos *BG*. 4. insignis *pr H Victorinus*: insignes *BG*. 5. urbem] arces *pauci*. 6. caelebrare *G*. 8. honore *Oudendorpius*.

natur. Martialis IIII 55 5: *Argiuas generatus inter urbes Thebas carmine cantet et Mycenas, aut claram Rhodon*. Interpretes plerique de *fama* Rhodiorum non uere, atque de exilio, quod Plancus *senex* animo agitauerit, non recte cogitant. Conf. *De C. Valgii Rufi poematis comment. Scripsit R. Vnger*; p. 362 sqq.

2. *bimarisue:* a Graeco διθάλασσος hoc fecit Horatius. Ouidius Heroid. 12 27: *hic Ephyren bimarem tenet*; Metam. VII 405: *bimarem pacauerat Isthmon*. Statius Theb. VII 420: *gemini maris incola*. Strabo VIII 6 20: δυεῖν λιμένων κύριος, ὧν ὁ μὲν τῆς Ἀσίας, ὁ δὲ τῆς Ἰταλίας ἐγγύς ἐστι.

3. *Baccho Thebas uel Apolline Delphos insignis:* sunt urbes festis deorum, sacrificiis, choris et carminibus insignes, magnorum numinum dilecta sedes.

4. *Thessala Tempe:* puri fluminis (Penei) aqua, pratis amoenis, recessu dulci iucunda, zephyris agitata (Carm. III 1 24).

5. *intactae Palladis urbem: intacta* (ἄθικτος) Pallas est ut uirgo. Athenarum dignitatem duabus rebus significauit, quod Minerua uirgo eas tuetur quodque sunt qui nihil nisi hanc urbem perpetuis laudibus praedicent.

6. *carmine perpetuo:* quod origines urbis, incrementa uirium, res praeclare gestas amplectitur, ut fiat carmen perpetuum. Ouidius M. I 4: *ad mea perpetuum deducite tempora carmen*.

7. *undique decerptam — oliuam: oliua* nunc est ramus oliuae. Scilicet praeter urbem canunt deam, cui sacra est oliua et cuius praesidio gaudent Athenae, idque produnt oliua undique (ὅθεν δή ποτε) decerpta et circa caput redimita, qua profitentur se Palladis esse laudatores. Aliter interpretatus est Bentleius: 'ex eo argumento undiquaque exhausto coronam sibi poeticam quaerere'. Sed alteram explicandi rationem commendant uerba Epl. II 1 109: *puerique patresque seueri fronde comas uincti cenant et carmina dictant*.

8. *plurimus in Iunonis honorem:* effusus in Iunonis honorem, h. e. qui laborem plurimum honori Iunonis impendit. Sunt quibus *plurimus* h. l. idem ualeat ac *plurimi*. Sed alius generis loci sunt quos afferunt, ueluti Vergilii Georg. II 182: *tractu surgens oleaster eodem plurimus*, item Iuuenalis (III 232) *plurimus aeger*, Gratii (29) *si quisquam est plurimus*.

in Iunonis honorem: h. e. ut Iuno honoretur. Epod. 1 24: *in tuae spem gratiae*; Carm. II 3 27: *in aeternum exilium*. Mineruae mentio aliam deam huic familiarem in mentem poetae reuocat Argis cultam et in urbe olim contermina Mycenarum, quae quamquam tunc diruta iacebat

aptum dicet equis Argos ditesque Mycenas:
me nec tam patiens Lacedaemon

nec tam Larissae percussit campus opimae
quam domus Albuneae resonantis

et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
mobilibus pomaria riuis.

9. *Seruius ad Verg. Aen.* I 24, XI 246. *scholiasta Statii Theb.* IIII 672: Horatius in neutro genere posuit aptum equis Argos. dicet *BGω Seruius:* dicit ς *cod. Cassel. Seruii,* dič *H.* micenas *BGH.* 10. *schol. Statii Theb.* VIII 432. nec me *scholiasta Statii.* neque *Bentleius.* paciens *BH.* lacedemon *BGH,* Lacedaemon agon *scholiasta Statii.* 11. laryssae *G.* 13. et praeceps — lucus *Priscianus* VI 3 16. ac *BGHω Priscianus:* et *nonnulli.* tiburni ς *Blandinii Priscianus:* tiburti *BGHωΣ.*

(Diodorus XI 65. Strabo VIII 6 10 p. 372: *κατεσκάφησαν ὑπ' Ἀργείων, ὥστε νῦν μηδ' ἴχνος εὑρίσκεσθαι τῆς Μυκηναίων πόλεως*), id non obstabat, quin diceretur, cum Iunonis laudes canendi occasionem praebeant, cuius templum olim celebre et utrique ciuitati commune prope Mycenas erat: Strabo l. c. *καὶ τὸ Ἡραῖον εἶναι κοινὸν ἱερὸν τὸ πρὸς ταῖς Μυκήναις ἀμφοῖν.* *Equis aptum* est Homericum *ἵππιον, ἱππόβοτον,* *dites* *πολύχρυσοι.*

10. *patiens Lacedaemon:* Lacedaemonii Lycurgi disciplina assueti dura et aspera perferunt. Epl. I 7 40: *patientis Vlixi.* Haec urbis fama etiamtum durabat. Dio LIII 27, enumerans opera ab Agrippa a. 729 facta, h. e. quinque annis ante scriptos hos uersus, *τὸ πυριατήριον τὸ Λακωνικὸν κατεσκεύασε· Λακωνικὸν γὰρ τὸ γυμνάσιον, ἐπειδήπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι γυμνοῦσθαί τε ἐν τῷ τότε χρόνῳ καὶ λίπα ἀσκεῖν μᾶλλον ἐδόκουν, ἐπεκάλεσε.* Statius Theb. VIII 432: *hic et mente Lacon, crudi torrentis alumnus.*

11. *Larissae — campus opimae:* prata Thessalicae urbis, quae fecundo solo et amplis pascuis excellit. Est contrarium *patientis* Lacedaemonis.

12—13. *quam domus Albuneae resonantis et praeceps Anio:* haec, puto, e regione posuit Lacedaemoni ad Eurotam amoenum fluuium sitae, Tiburti autem lucum et pomaria riuis uda Larissae pascuis opimis. *Albunea* nympha est a spumis aquae cadentis uocata. Vergilius VII 82: *lucosque sub alta consulit Albunea, nemorum quae maxuma sacro fonte sonat.* Seruius ibi: *Albunea dicta est ab aquae qualitate, quae in illo fonte est, unde etiam nonnulli Leucotheam uolunt. Sciendum sane unum nomen esse fontis et siluae.* Acron: 'delectabile nemus est consecratum Albuneae nymphae, a qua nomen accepit'. Statius Silu. I 3 75: *illic sulfureos cupit Albula mergere crines.* *resonantis:* nemus Albuneae resonat suo fonte et Aniene fluuio per deuexa cadente, unde *praeceps* uocatur. Conf. Statii Silu. I 5 25: *praeceps Anien,* Ouidii Amor. III 6 45: *qui per caua saxa uolutans Tiburis Argei spumifer arua rigas.* Copiose haec loca describit Statius Silu. I 3.

13. *Tiburni lucus:* 'silua iuxta ciuitatem eiusdem nominis' (h. e. iuxta Tibur). Acron. Tiburnus uel Tiburtus heros Tiburis conditor. Vergilius Aen. VII 670: *tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt, fratris Tiburti dictam cognomine gentem.* *Tiburtum* etiam Seruius ad l. c. uocauit (cf. ad I 18 2), item Acron et Porphyrion; apud Statium Silu. I 3 74 est: *illa recubat Tiburnus in umbra.*

14. *mobilibus — riuis:* celeri motu currentibus.

albus ut obscuro deterget nubila caelo
saepe notus neque parturit imbres

perpetuo, sic tu sapiens finire memento
tristitiam, uitaeque labores

molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
castra tenent, seu densa tenebit

Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
cum fugeret, tamen uda Lyaeo

15. *nouum carmen inchoant BGHς.* Ad Plancum hortatio ad bene uiuendum *B,* Ad Pl. Numantium oratio bene uiuendi *H.* 15—17. albus — perpetuos *Seruius ad Vergil. Georg.* I 460. 15. coelo *B.* 16. Sepe *BH.* nothus *BGH.* ymbres *B.* 17. Perpetuo *GH pr Bω tres Blandinii:* perpetuos *corr Bς Seruius.* 18. Tristiciam *BGH.* 22. lyeo *BH,* lieo *G.*

15—21. Postquam iuueni Planco patrem et patriam tunc uitanti paterni patrimonii iucunditatem laudauit, propius accedens ad propositum illi suadet, ut tristem animum exuat, praesentis militiae labores mero molliat. Nexus carminis plane latuit illos, qui nouam hinc oden inchoauerunt, quod iam pridem temptatum esse et boni libri et haec Porphyrionis ad u. 15 uerba testantur: 'hanc oden putant aliam esse, sed eadem est: nam et hic Plancum alloquitur, in cuius honorem et superiore parte Tibur laudauit. Plancus enim Tiburi fuit oriundus'.

15—16. *albus — notus:* notus cum est *albus* (λευκόνοτος), serenum caelum facit; cf. ad I 3 15. *Candidi fauonii* sunt III 7 1.

17. *sapiens:* si es sapiens.

18. *tristitiam:* tristem animum, quae patri displicuit, Tiberio fortasse placuit; cf. Prooem.

18—19. *uitaeque labores molli — mero:* qui sunt *uitae labores?* sunt labores, in quibus uitae periculum aditur (*Mühsal auf Leben und Tod*), i. e. militiae labores, qui Planco tolerandi tunc erant in expeditione Armeniaca. Eodem significatu sunt *uitae labores* Sermon. II 6 21, ut suo loco expositum est. Non hoc suadet Planco quod uulgo creditur, ut quouis tempore merum bibat, quod sane malum foret praeceptum et damnosum, sed ut grauem militiam mero molliat, ut ipse olim fecerat (II 7 6, Epod. 13 6).

19—21. *seu te — umbra tui:* simili chiasmo usus ut I 1 32 uerba *seu te fulgentia signis castra tenent* proximis (*uitaeque labores molli — mero*) accommodauit, quae sequuntur *seu densa tenebit Tiburis umbra tui* ad proxime superiora (*finire memento tristitiam*) referri uoluit; eo spectat diligentia in uerbis *tenent* atque *tenebit:* nunc enim Plancum castra Tiberii tenent in Oriente; si quando lassus uiarum militiaeque in patriam redibit, ipsum umbra uillae paternae Tibure *tenebit;* quod cum fiet, ut tristis esse desinat aduersus patrem, Horatius monet.

21. *Tiburis — tui:* Plancum patrem Tibure oriundum refert Porphyrion uerbis ante ascriptis. Aut hoc uerum est, aut certe uillam ibi habuit Plancus filius.

21—32. Sequitur tertia pars carminis siue clausula mire iucunda, qua et causa significatur cur tristis esset Plancus filius, et solatium datur, quo dulcius et aptius cogitari nequit. Conf. Prooem. Perinde finitur Epodus tertius decimus.

21—22. *Teucer Salamina patremque cum fugeret:* Teucrum Troia

tempora populea fertur uinxisse corona,
sic tristes adfatus amicos:

'quo nos cumque feret melior fortuna parente,
ibimus, o socii comitesque.

nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro:
certus enim promisit Apollo

ambiguam tellure noua Salamina futuram.
o fortes peioraque passi

24. tristis *H.* 24. affatus *BGH.* 27—28. *Mar. Victorinus* III 8 4. 27. teuchro *G.* duce Teucro et auspice Teucri *codex Parisinus Victorini.* auspice teucri ς, auspice Phoebo *Bentleius.*

reuertentem a patre Telamone male acceptum et exilio multatum Sophocles tragoedia nobilitauerat, Pacuuius Latine conuerterat; ex ea fabula locum singularem Horatius delegit ac pro suo consilio exornauit. Velleius I 1: *Teucer, non receptus a patre Telamone ob segnitiam non uindicatae fratris* (Aiacis Telamonii) *iniuriae, Cyprum adpulsus cognominem patriae suae Salamina constituit.* Strabo XIIII 6 3 p. 682: *εἶτ' Ἀχαιῶν ἀκτή, ὅπου Τεῦκρος προσωρμίσθη πρῶτον ὁ κτίσας Σαλαμῖνα τὴν ἐν Κύπρῳ, ἐκβληθείς, ὥς φασιν, ὑπὸ τοῦ πατρὸς Τελαμῶνος.* Adde Pindari Nem. IIII 46 (76), Aeschyli Pers. 895, Euripidis Helen. 86 sqq.

22—23. *uda Lyaeo tempora:* Lyaei nomen redit III 21 16, Epod. 9 38. Ennius in Athamante ap. Charisium II p. 214 (144 Lindem.): *his erat in ore Bromius, his Bacchus pater, illis Lyaeus uitis inuentor sacrae.*

23. *populea — corona:* Teucer uagus ab insula Salamine, qua interdicebatur a patre, in longinqua abiturus, Herculi perinde olim erranti sacra fecit, imposita corona ex arbore Herculi sacra. Conf. Vergilii Eclog. 6 61, Aen. VIII 276 cum Seruii annotationibus, Theocriti II 121 cum scholiis. Plinius XII 2 (1): *arborum genera numinibus suis dicata perpetuo seruantur, ut Ioui esculus, Apollini laurus, Mineruae olea, Veneri myrtus, Herculi populus.* Adde Aristophanis Nub. 1006, Ouidii Heroid. 9 64, Phaedri III 17.

24. *tristes adfatus amicos:* ipse laetus est in rebus asperis, amici comitesque Salaminii tristes. Teucrum exemplar Planco filio imitandum proposuit poeta sapientissimus.

25. *quo nos cumque:* cf. ad I 6 3.

27. *Teucro duce et auspice Teucro:* dum Teucer et itineris ducem se praebet et summo imperio fungitur. Conf. ad IIII 14 33: *te copias, te consilium et tuos praebente diuos.*

28. *certus enim promisit Apollo:* fortasse Teucer a Troia rediens Delum adiit Apollinemque consuluit. Numine diuino pie confidit.

29. *ambiguam — Salamina:* subnata altera eiusdem nominis urbe in Cypro insula Salamina dubiam fore, cum audito nomine nesciant homines, utrum uetus an noua Salamis dicatur. Prudens uitauit in hoc alloquio dictum Teucri (Cic. Tuscul. V 37, Aristophanes Pluto 1151) satis celebre: *patria est, ubicumque est bene, πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ.* Nimirum hoc ab Horatii consilio alienissimum fuit, qui paterni soli amorem in Planco augere potius quam minuere uoluit.

mecum saepe uiri, nunc uino pellite curas:
cras ingens iterabimus aequor.

VIII.

Lydia, dic, per omnes
te deos oro, Sybarin cur properes amando

31. sepe *BH*. 32. *Probus* I 9 2 p. 1419.

Ad Lidiam meretricem. Metrum coriambicum quod constat ex coriambo et bachio: lidia dic per oms̃. secundus ex epitrito secundo et duobus coriambis et bacchio (*nunc* bacchio): hoc deos uere sybarĩ cur properes amando *A*. Prostice dicolos ad Lydiam *B*. Alloquitur Lydiam meretricem *H*.

1. *Priscianus* VII 2 5. 1—2. *Atilius Fortunatianus* I 9 16, *Marius Victorinus* II 6 10, IIII 3 35, *Diomedes* III 34 15, 35 8. 1. Lidia *B*. p. oms̃ *A* (p. *hic ascriptum ead. m. ut uidetur, clare adest in expositione metrica*). 2. Te deos oro *GHω Acron:* Hoc (*A habet* h = *hoc*) deos uere *Aς Victorinus Diomedes*. sybarĩ *AG*, sibarin *pr B*, sibarim *H corr B*. properas *nonnulli et Victorinus*.

32. *iterabimus aequor:* cf. I 34 4: *iterare cursus cogor relictos*.

Carm. VIII. Prooemium. *Dic, Lydia, cur amando Sybarin adeo perdere properes, ut ille campo abstineat, Tiberim tangere timeat, armorum usum uitet, sicut olim uitauit in insula Scyro Achilles*. (Metrum 6).

Sybaris amori Lydiae deditus idem uidetur esse atque ille, qui *Telephi* nomine Lydiae carus in huius libri carmine tertio decimo describitur, quamquam prima syllaba in illo corripitur, in hoc intenditur. Quod si re uera sic se habuit, tam hoc carmen quam tertium decimum iocosam irrisionem ac minime malitiosam Heliodori rhetoris et grammatici admodum docti et Horatio cari continet: nam Telephum esse Heliodorum ad III 19 ostensum est. Lydia puella redit I 25, III 9, neque alia uidetur esse *Lyde* illa, quae II 11 22, III 11 et 28 celebratur. De scripti poematii tempore nihil certi definiri potest. Quod ad metrum attinet, Mar. Victorinus IIII 3 35 scripsit: *hoc quoque carminis genus dicolon ab Alcaeo lyricus noster accepit;* mox: *nec usus hac metri specie nisi semel inuenitur*. Diomedes III 35 8: *metrum habet Anacreonteum et Alcaicum*. Atilius Fortunatianus I 9 16: *quod metrum et ipse Horatius, ignorando quale esset, laboriosa obseruatione semel omnino facere conatus est;* cet. Ignoratio uitio data ab Atilio et Victorino non est Horatii sed grammaticorum.

1—2. *Lydia — oro:* graui asseueratione tamquam in re maxima Lydiam alloquitur, Sybari metuens, ne amoris ui subactus ille prorsus pereat.

3—4. *cur apricum oderit campum — solis:* abstinet adulescentulus ab exercitatione campi Martii: Lydiam enim curam suam unice sectatur. Hoc magis mirum in illo, quod puluerem et solem, qui in campo ferendi sunt, natura ualidus perbene potest tolerare.

5—6. *cur neque — equitet:* in libris nonnullis legitur *equitat*, mox *temperat,* sed pergit quaerere de neglecta exercitatione campestri: ad

perdere, cur apricum
oderit campum, patiens pulueris atque solis,

cur neque militaris
inter aequales equitet, Gallica nec lupatis

temperet ora frenis?
cur timet flauum Tiberim tangere? cur oliuum

sanguine uiperino
cautius uitat, neque iam liuida gestat armis

brachia, saepe disco,
saepe trans finem iaculo nobilis expedito?

quid latet ut marinae
filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae

3—4. cur — campum *Priscianus* XVII 7 49, *Seruius ad Aen.* II 202. 4. canpum *B.* paciens *BH.* 6. equitet *ABGHω:* equitat ς. gallicane *A,* galica nec *H.* 7. temperet *ABGHω:* temperat ς. 8. tyberim *G.* 10. arm̨ (= *armi*) *A.* 11. bacc̨ha (= *bacchia*) *A.* 11. 12. sepe — Sepe *AH.* 14. tetydis *G.* lacrimosa Troiae] lacrimosatrans *A.*

nouam rem u. 8 transit ibique modus dicendi (*uitat*, *gestat*) iure mutatur.

militaris: aetate militari; cogitat de equitatione in campo Martis. Conf. Epl. I 18 53 sq. Plutarchus Mario c. 34: *Μάριος — κατέβαινεν εἰς τὸ πεδίον* (in campum M.) *καὶ μετὰ τῶν νεανίσκων γυμναζόμενος ἐπεδείκνυε τὸ σῶμα κοῦφον μὲν ἐν ὅπλοις, ἔποχον δὲ ταῖς ἱππασίαις.* Statii Silu. V 2 113 sqq.

6—7. *Gallica — frenis:* quod in equitandi arte grauissimum est, uti frenis, singulatim effert; *frena lupata* sunt frena *διατόρα*, ferreis dentibus lupinis ora equorum prementia. Hesychius: *λύκος τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήριον.* Ouidius Trist. IIII 6 3: *paret equus tentis animosus habenis et placido duros accipit ore lupos* (dentes lupinos). Claudianus in Probini Consul. 81: *hic sub iuga ferrea nectit cornipedes rigidisque docet seruire lupatis.* *Gallica ora:* ora equorum Gallicorum, qui feroces sunt eoque lupis domandi.

8. *cur timet — tangere:* cur ab natandi studio abstinet? de hoc III 7 26—28, 12 6, de *flauo Tiberi* ad I 2 13.

8—10. *cur oliuum — uitat:* cur luctam fugit? *oliuum* noue pro *oleo*, *sanguis uiperinus* pro *ueneno uip.*

10—11. *liuida — brachia:* liuida caestu aut lorica: arma enim intellego, quibus corpus compressum *liuores* ducit suffuso sanguine.

11—12. *saepe disco — expedito:* ut robur lacertorum ostendatur, disci iactandi et iaculi torquendi uirtus in lasso nunc amatore laudatur. Simile hoc est illis (u. 5), *patiens pulueris atque solis.* *nobilis:* cognitus iis qui spectant in campo Martis. *expedito:* nouum hoc pro *iacto* uel *misso.*

13—16. Lepide componitur ex hac parte militaris amator, in amicae sinu delitescens et ab omni bellica exercitatione propter cupidinem abhorrens, ex illa Achilles, apud Lycomeden insulae Scyri regem puellari habitu indutus et celatus, ne Troiam profectus fatum impleret.

14—15. *sub lacrimosa Troiae funera:* paulo ante quam caedes Troianorum continuauit Achilles eoque

funera, ne uirilis
cultus in caedem et Lycias proriperet cateruas?

VIIII.

Vides ut alta stet niue candidum

16. cedem *BGH.* licias *BH.* proromperet *pr H.*

Paranetice tetracolos ad taliarcum puerum speciosum *B.* Paran. tetr. Ad Thaliarchum libertum puerum *H.*

1—4. *Mar. Victorinus* IIII 3 38, *Atilius Fortunatianus* 1 9 7. 1. 3—4. *Diomedes* III 35 9. 1—2. uides — Soracte *Seruius ad Vergil. Aen.* VII 696, *Priscianus* VI 2 11. 1. candidus *Mallius Theodorus* 4 9.

parentibus et cognatis caesorum plurimas lacrimas exciuit.

15—16. *ne uirilis — cateruas:* ferox Achillis natura puellari cultu coercebatur: uirili ueste amictus sponte in arma prorupisset; quod cum parentes praeuidissent, puellarum habitum tamquam frenum indiderant.

16. *in caedem:* hoc est in caedem Troianorum, quod ex prioribus (*lacrimosa Troiae funera*) suppletur. *Lycias cateruas:* in caedendas cateruas Lyciorum. Lyciae cateruae pro *sociis Troianorum* dicuntur, usu dicendi ab Homero petito, apud quem iunguntur Τρῶες καὶ Λύκιοι Iliad. Δ 197, Ζ 78, Λ 285 sq., Ο 424 et 485 sq. Non recte explicat Orellius: *in caedem quam facturae sunt Lyciae cateruae.*

Carm. VIIII. Prooemium. *Dum siluae niuis onere laborant, flumina gelu consistunt, tu, conuiuii magister, super foco large ligna repone, uinum benignius deprome. Cetera diuis permitte omnium rerum arbitris, de tempore futuro non sollicitus, immo amores et choreas, cum sis admodum iuuenis* (puer), *spernere noli.* (Metrum Alcaicum).

Thăliarchum, quem alloquitur Flaccus, esse *C. Prŏculeium*, fratrem Terentiae Maecenatis uxoris ab Horatio obiter laudatum II 2 5, hinc ego colligendum arbitror, quod et syllabarum ratio utriusque nominis concinit, et cetera optime conueniunt. Eo praecipue pertinet in uersu 20 positum *lenesque — susurri composita repetantur hora*, quo Thaliarchus ad lusus amatorios a se omissos redire monetur. Proculeius amores intermiserat per tempus expeditionis in Aegyptum susceptae (723—725), ubi comes Caesaris Octauiani ac grauibus rebus adhibitus arte sua Cleopatram intercepit. Narrauit Dio Cassius LI 11. Cum Caesare in urbem reuersus (725) non minore cura quam Maecenas affinitate iunctus (cf. ad III 29) futurum ciuitatis statum, qualem princeps daturus esset, expectauit, quam sollicitudinem dissuasit amicus Horatius (u. 13—14) ac reditum ad omissas delicias commendauit (15—24). *Puerum* uocauit (16), qui pueritiae annos ĕgressus erat, sed rem prudenter exaggerauit, quo magis iuuentutis gaudia approbaret. Ac sane Proculeius etiam anno 742 iuuenis esse nondum desierat, cum Augustus Iuliam filiam ei in matrimonium dare nonnihil consultauit (Tacit. Annal. IIII 39 et 40). Cetera de uiro eximio lege ad II 2 5. Proculeius igitur redux ex Aegypto et Asia in uilla quadam *Sabina* (u. 7) Horatium et alios amicos largis epulis hiberno tempore excepit, in cuius rei memoriam hoc poema scriptum est anno 725 exeunte aut ineunte 726 (a. Chr. 29 aut 28). Goettlingius (in indice scholarum Ienens. hibern. a 1851) Horatium et alios amicos a *Maecenate* in uillam Tiburtinam inuitatos esse putat, quae coniectura mihi omittenda fuit: Maecenas enim maritus fuit, quo tempore Flaccus Alcaei strophis uti coepit (cf. ad I 26, II 12, Epod. 3), neque huic suaderi apte

Soracte, nec iam sustineant onus
siluae laborantes, geluque
flumina constiterint acuto.

dissolue frigus ligna super foco
large reponens, atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

2. Soracthe *G.* bonus *GH.* 3. *Priscianus de duodecim pr. uersibus Aen.* 1 5. 6. benignus *G.* 8. taliarce *G.*

potuerunt quae Thaliarcho u. 18 sqq. commendantur.

1—4. *Vides ut alta — acuto:* tria memorat in rerum natura turbida, altam niuem in monte Soracte, ex loco ubi conuiuium celebratur conspicuam, eandem siluis Sabinis grauiter incumbentem, tum glaciem qua flumina constiterant. Soracte mons est in terra Faliscorum non longe a dextra ripa Tiberis, duo milia pedum altus, a Roma septentrionem uersus ultra XXIIII milia passuum remotus, qui 'seiunctus' (Goettlingii l. c. uerba) 'ab aliis et quasi solitarius ex planitie Romana admirabili forma se erigit.' A Vergilio sacer Phoebo perhibetur Aen. VII 696, XI 785. Nunc *monte di Sant Oreste* uocatur. Conf. Mittelitalien v. *W. Abeken* p. 16. *G. Dennis,* The cities and cemeteries of Etruria, u. I p. 177—180. *stet — candidum:* ex loco ubi haec scripta sunt clare conspicitur Soracte. Stat mons ille quasi statua et niue coopertus (*wie er da steht leuchtend von Schnee*).

2. *Soracte, nec iam:* de hac caesura uersus Alcaici cf. ad I 22 7.

3. *siluae laborantes:* siluae sunt in terra Sabinorum haud procul a conuiuii loco; *onus* intellege molem niuis.

3—4. *geluque flumina constiterint acuto:* fluminum uolubilis natura constitit gelu constricta; acutum gelu nominatur, quod tamquam ferrum laedit. Pindaro Aetna audit πάνετες χιόνος ὀξείας τιθήνα Pyth. I 20 (36). Ceterum Horatius ipsum Alcaeum, cuius simile carmen uel potius simile carminis initium fuit, superauit. Ille in scoliis apud Athen. X 35 p. 430 A:

ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐκ δ' ὀράνω μέγας
χείμων, πεπάγασιν δ' ὐδάτων ῥόαι.

5—6. *dissolue frigus — reponens:* in atrio uis frigoris soluitur lignis super foco repositis et accensis, in conuiuis, dum uinum benignius depromptum bibunt. Alcaeus l. c.:

κάββαλλε τὸν χείμων', ἐπὶ μὲν τίθεις
πῦρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως
μέλιχρον, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ
μάλθακον ἀμφιτίθη γνόφαλλον.

7—8. *quadrimum Sabina — diota:* Sabina diota (διώτης) est amphora duabus ansis instructa, in Sabinis uino repleta. Perinde III 16 34: *Laestrygonia — in amphora,* h. e. *Formiana.* Sabinum uinum, non aliquod de nobilibus Campaniae uinis quod nominat, hinc explicandum uidetur, quod Thaliarchus in Sabinis praedium et uites possedit et in uilla Sabina hospites excepit suo uino. *Quadrimum* satis maturum est neque tamen ui sua orbatum. Nimirum uina minus nobilia aetatem longam non patiuntur. Nimium uidetur postulare Athenaeus scribens I 48 p. 27 B: ὁ Σαβῖνος κουφότερος, ἀπὸ ἐτῶν ἑπτὰ ἐπιτήδειος πίνεσθαι μέχρι πεντεκαίδεκα. *Vile Sabinum* I 20 1 memoratum non est argumento omne uinum Sabinum uile fuisse, sed Horatio non nisi uile Sabinum tunc praesto fuit.

8. *Thaliarche:* cur pro uero Proculei nomine (cf. Prooem.) fictum po-

permitte diuis cetera: qui simul
strauere uentos aequore feruido
deproeliantes, nec cupressi
nec ueteres agitantur orni.

quid sit futurum cras fuge quaerere, et
quem fors dierum cumque dabit, lucro
appone, nec dulces amores
sperne puer neque tu choreas,

9. caetera *G.* 10. equore *H.* 11. Depliantes *G*, depreliantes *BH.* 12. horni *GH.* 13. *scholiasta Statii Theb.* III 562. querere *BH.*

suit? Nimirum quae de iocis amoris u. 19—24 canuntur, haec diuulgare a dignitate Proculei, uiri domui principali admoti, alienum uidebatur.

9—12. Animi securitatem in turbata caeli temperie commendat, tranquillum naturae statum mox a dis restitutum iri promittens. Hac stropha paratur aditus ad alteram partem carminis (13—24): nam ut in rerum natura post turbas ordo a caelesti numine restituitur, sic quoque res mortalium potentia diuina reguntur.

9. *cetera:* Epod. 13 7: *cetera mitte loqui*, sed illa scripsit trepidis in rebus, ut suo loco demonstratum est: nunc tempestatis saeuitiam cogitauit et uiam ad hilaritatem animi commendandam praemuniuit.

10—11. *strauere uentos — deproeliantes:* sternere uentos est facere ut uenti strati iaceant neque elati proelia inire possint. Acre uentorum certamen in alto mari tamquam in suo regno solet esse, ubi aequor uentis impulsum feruescit aestu superante. Ibi cum sedati sunt, etiam in terris desinunt saeuire (*nec cupressi nec ueteres agitantur orni*). *Deproeliari* est certamen ab aemulis initum et ita commissum, ut alteri ab alteris euertantur; cf. annot. ad I 3 13.

11—12. *nec cupressi — orni:* arbores lentae et procerae memorantur, quae uentorum uim et tolerare prae ceteris et propter altitudinem sentire possunt; ornus est fraxinus montana (Plin. NH. XVI 30).

13—24. Misso conuiuio altius ascendens Thaliarcho suadet, ut securus de rebus futuris uitae gaudia capiat, quamdiu aetas sufficiat fructui rerum. Haec altera pars carminis totidem strophis quot prior absoluitur.

13. *fuge quaerere:* noli anquirere tecum. De astrologis consulendis non cogitandum: immo animum futura secure expectantem commendat. Cf. III 29 29 sqq. Statius Theb. III 562: *quid crastina uolueret aetas scire nefas homini.*

14. *quem — cumque:* de tmesi uide ad Carm. I 6 3. *dabit:* datur quod iure poscere non licet; hinc *lucro appone.*

15—16. *nec dulces — puer:* cum sis puer, h. e. admodum iuuenis (cf. I 5 1, 27 26, Epl. I 2 68), dulces amores spernere noli.

16. *neque tu choreas: tu* pronomen beneuolam admonitionem continet; cf. I 11 1: *tu ne quaesieris;* Serm. II 2 20: *tu pulmentaria quaere.* Epl. I 16 53: *tu nihil admittes;* I 18 37: *arcanum neque tu scrutaberis illius umquam;* ibid. u. 44: *tu cede potentis amici lenibus imperiis;* 87: *tu — hoc age.* AP. 385: *tu nihil inuita dices — Minerua.*

choreas: eiusmodi intellege choreas uirginum aut uirginum et puerorum, quibus soror Thaliarchi Terentia (cf.

donec uirenti canities abest
morosa. nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
composita repetantur hora,

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

17—18. donec — morosa *Donatus ad Terentii Hec.* III 5 28. 17. canicies *H.* 20. conposita *B.* 21—22. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 3 65. 23. dereptum *pr Bς duo Blandinii:* direptum *GH corr Bς.* a lacertis *B*, lacestis *G.*

Prooem.), nunc uxor Maecenatis, olim interfuerat; lege II 12 17: *quam* (Terentiam) *nec ferre pedem dedecuit choris nec certare ioco nec dare brachia ludentem nitidis uirginibus sacro Dianae celebris die.*

17. *donec uirenti:* Epod. 13 4: *dumque uirent genua.* Tacit. Agr. 29: *omnis iuuentus et quibus cruda et uiridis senectus.*

18—24. Etiam urbis delicias Thaliarcho non contemnendas esse dicit. Hinc igitur rure in urbem se uertit oratio poetae.

18. *campus et areae:* campus Martis et areae templorum. Catullus 55 3: *te in campo quaesiuimus minore, te in circo —, te in templo summi Iouis sacrato, te in Magni ambulatione.*

19. *lenesque — susurri:* quos susurros intellegat, epitheton *lenes* indicat; Graecis sunt ὄαροι. *composita — hora:* tempore ante pacto cum puella. Iuuenalis III 16 (12): *ubi nocturnae Numa constituebat amicae.*

20. *repetantur:* repetuntur quae aliquamdiu omissa iterum exercentur. Conf. Prooem. Cogitare licet hunc amicum olim cum Horatio laetam aetatem egisse, mox post uarios casus de futuro ciuitatis statu anxium fuisse.

21. *nunc et:* noua scena amatoria praebetur. Nam quae praecedunt, spectant susurros in loco puellae destinato: nunc amator puellam in ipsius domo deprehendit, dum primo frustra quaerit, mox risu proditam reperit. Constructio est: *nunc et* (repetatur) *gratus intimo ab angulo risus, proditor latentis puellae.* Latet puella et in angulum recessit ad ludificandum amatorem.

24. *male pertinaci:* pertinaci cum dolo (*schalkhaft*), non ex animi sententia. Alii interpretantur 'non multum pertinaci'.

X.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
qui feros cultus hominum recentum
uoce formasti câtus et decorae
more palaestrae,

te canam, magni Iouis et deorum

Ad Mercurium. Saphicum endecasyllabum *A*. Hymnus Mercurio tetracolos *B*. Ymnus ad Mercurium tetracolos *H*.
1. *Mar. Victorinus* III 3, *Diomedes* III 35, *Priscianus* VII 5 18. Atlantis] at *A*, athlantis *BGH*. 2. recentiũ *H*. 3—4. catus — palaestrae *Seruius ad Vergil. Aen.* IIII 559. et decorae — palaestrae *scholiasta Statii Theb.* VI 830. 4. *Diomedes l. c.* palestrae *ABGH*.

Carm. X. Prooemium. *Te canam, Mercuri, qui homines recens natos cantu formasti et palaestra, Iouis et deorum nuntium lyraeque repertorem, iocoso furto nobilem, latendi arte callidum, qui pias animas in laetas sedes, leuem turbam in loca destinata deducis.* (Metrum Sapphicum).

Hoc carmen Horatius uidetur fecisse, cum primum ad lyram animum appulit: Alcaeum enim pressius sequitur, quam alias ferax ingenii uena passa est. Pausanias VII 20 2: *βουσὶ γὰρ χαίρειν μάλιστα Ἀπόλλωνα Ἀλκαῖός τε ἐδήλωσεν ἐν ὕμνῳ τῷ εἰς Ἑρμῆν, γράψας ὡς ὁ Ἑρμῆς βοῦς ὑφέλοιτο τοῦ Ἀπόλλωνος.* Porphyrion ad u. 1: 'hymnus in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta'. Hephaestion c. 14 *α* (p. 79): *ἔστι δὲ καὶ παρ' Ἀλκαίῳ ..: χαῖρε Κυλλάνας ὁ μέδεις, σὲ γάρ μοι,* unde accepimus etiam Alcaei hymnum uersibus Sapphicis scriptum fuisse. Nonnulla tamen ab auctore suo memorata Horatius taceri uoluit, uelut illud cuius meminit Athenaeus X p. 425 C: *Ἀλκαῖος δὲ καὶ τὸν Ἑρμῆν εἰσάγει αὐτῶν* (deorum) *οἰνοχόον.*

1. *facunde nepos Atlantis:* filius Maiae, quae ipsa patre Atlante genita est. *Facundus* (*λόγιος*) est ut praeco et interpres.

2. *feros cultus — recentum:* homines nullo cultu ac ferarum more uiuentes; *cultus* noue pro *moribus*; *recentum,* recens natorum; cf. Serm. I 3 99—110.

3—4. *uoce et decorae more palaestrae:* arte musica et gymnastica, quibus corpora et animi puerorum apud Graecos informabantur. Plato Ciuitat. II 17 p. 376 E: *τίς οὖν ἡ παιδεία; ἢ χαλεπὸν εὑρεῖν βελτίω τῆς ὑπὸ τοῦ πολλοῦ χρόνου εὑρημένης; ἔστι δέ που ἡ μὲν ἐπὶ σώμασι γυμναστική, ἡ δ' ἐπὶ ψυχῇ μουσική.* Itaque *uoce* refertur ad lyram a Mercurio repertam, cetera ad agones gymnicos. Errant qui auctore Porphyrione *uoce* interpretantur *sermone:* nam Mercurius *λόγιος* quidem est, h. e. sermonis potens et facundus, sed inuentorem sermonis et linguae nemo ueterum scriptorum perhibuit Mercurium. Immo *uerba et nomina* homines ipsi inuenerunt; Serm. I 3 103: *uerba, quibus uoces sensusque notarent, nominaque inuenere. Catus* est uox Sabina pro *acuto*; Varro de LL. VII § 46. Acute et sapienter intellexit Mercurius humani generis cultum cantu et arte gymnastica multum iuuari. Palaestra uocatur *decora,* quod facit *decoros* (*λιπαροὺς καὶ εὐανθεῖς,* Aristoph. Nub. 1002 sqq.).

nuntium curuaeque lyrae parentem,
callidum quicquid placuit iocoso
condere furto.

te, boues olim nisi reddidisses
per dolum amotas, puerum minaci
uoce dum terret, uiduus pharetra
risit Apollo.

quin et Atridas duce te superbos
Ilio diues Priamus relicto

6. Nuncium *BG.* lirae *BH.* 9. boes *A.* 10—12. puerum — Apollo *Priscianus* XVIII 2 31. 11—12. uiduus — Apollo *Seruius ad Vergil. Aen.* VIII 571. 11. faretra *BG.* 14. deest *A.*

more: lege siue norma. Pind. Olymp. VI 79 (135): ὅς (Ἑρμῆς) ἀγῶνας ἔχει μοῖράν τ' ἀέθλων. Hinc est ἐναγώνιος apud Pindarum Pyth. II 10 et Aristophanem in Pluto 1161, ἀγώνιος Pindar. Isthm. I 60. Adde Pausaniae V 14 7, VIII 17 4.

5—6. *Iouis et deorum nuntium:* διάκτορος deorum est in Odyssea Homeri: in Iliade easdem partes Iris sustinet.

6. *curuaeque lyrae parentem:* ingenii fetum Mercurius edidit lyram testudineam, unde parens lyrae, frater Apollo citharam protulit; de inuenta lyra hymn. Homer. u. 24 sqq. Curua est a forma testudinis, super cuius scutum neruos inuentor tetendit. Conf. Pausan. V 14 6: μετὰ δὲ τοῦτον Ἀπόλλωνος καὶ Ἑρμοῦ βωμός ἐστιν (Olympiae), ἐν κοινῷ, διότι Ἑρμῆν λύρας, Ἀπόλλωνα δὲ εὑρέτην εἶναι κιθάρας Ἑλλήνων ἐστὶν ἐς αὐτοὺς λόγος. Isidorus Orig. III 21 8: *lyram primum a Mercurio inuentam fuisse dicunt* cet. Idem ibid. § 2: *citharae usus repertus fuisse creditur ab Apolline.*

7—8. *callidum — iocoso condere furto:* de structura cf. ad. I 1 18. Prudens addidit *iocoso,* ut omne probrosum et infame a deo arceret.

9—12. Haec accedunt, ut exemplo nobili probetur, quid sit *iocosum* furtum.

10. *per dolum amotas:* uerum furtum narrat hymnus Homericus u. 68 sqq. Horatius totam rem ioci causa coeptam fingit. Ideo non dicit *surreptas,* sed *per dolum amotas.*

10—12. *puerum minaci — risit Apollo:* hoc Alcaeus addidit; cf. Prooem. In hymno Homerico nihil est nisi hoc 514: δείδια, Μαιάδος υἱέ, διάκτορε, ποικιλομῆτα, μή μοι ἅμα κλέψῃς κίθαριν καὶ καμπύλα τόξα. Alcaeus igitur hoc fundamento usus id re uera accidisse narrauit, quod Apollo apud auctorem hymni Homerici se timere fatetur. Inuentum Alcaei testatur Porphyrion scribens ad u. 9—12: 'fabula haec autem ab Alcaeo facta'.

13—16. Artis furandi quasi explementum est *fallendi* uirtus, cuius exemplum apte succedit. Res sumpta ex Homeri Il. Ω 333 sqq.

14. *Ilio — relicto:* est ablatiuus Latini nominis *Ilium,* ut III 19 4: *sacro bella sub Ilio;* IIII 4 53: *cremato fortis ab Ilio.* Epod. 10 13: *usto — ab Ilio.* In his locis codices constanter *o* tuentur in epithetis *Ilio* sociatis, *a* excludunt. Nominatiuum et accusatiuum ad exemplum Homeri genere feminino extulit IIII 9 18: *non*

Thessalosque ignes et iniqua Troiae
castra fefellit.

tu pias laetis animas reponis
sedibus uirgaque leuem coerces
aurea turbam, superis deorum
gratus et imis.

15. Thesalosq; *H*, *in A alterum s superscriptum.* 17. letis *B.* 18. uirgãq, *A.* coerces *A:* coherces *BGH.*

semel Ilios uexata; Epod. 14 14: *obsessam Ilion.* Hinc etiam III 3 18 et 37, ubi est *Ilion,* Graeci uocabuli Ἴλιος accusatiuum habemus, et priore loco (III 3 23) *damnatam* auctore Bentleio pro *damnatum* scribendum erit. *diues Priamus:* diues est ut opulentae ciuitatis rex, qui *ἀπερείσια ἄποινα* secum tulit, corpus Hectoris redempturus.

15. *Thessalosque ignes:* excubias Myrmidonum in castris. Il. Ω 443 et 565. De forma *Thessalosque* cf. ad I 1 28. *iniqua:* h. e. inimica, hostilia.

17—19. *tu pias — turbam:* postremo celebrat *ψυχοπομπόν,* de quo conf. hymn. Hom. 572, Sophocles Aiace 832 (817), ubi dicit Aiax *καλῶ θ' ἅμα πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον,* Aeschylus Choephor. 727. Horatius autem duas Mercurii *ψυχοπομποῦ* partes discreuit, primum eius munus qui *pias animas laetis reponit sedibus,* tum eius qui *leuem turbam,* h. e. animas nullius numeri et pretii, in tenebricosa loca deducit, in hoc altero secutus Homerum Odyss. ω 1—14. *uirga aurea* est Homeri *ῥάβδος χρυσείη* (ω 3).

18. *coerces:* ne disiectae palentur animae, sed ordinem seruent.

19—20. *superis deorum gratus et imis:* illis mandata fert, his animas suas adducit.

XI.

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
temptaris numeros. ut melius, quicquid erit, pati!
seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. sapias, uina liques et spatio breui

Paematice monocolos ad leuconoem *B.* Pragmatice monocolos ad Leuconoen suadens genesim omittendum esse inquirere per mathematicaen *H.*

1. *Mar. Victorinus et Diomedes l. c. Atilius Fortunat.* I 4 7, *Terentianus Maurus* u. 2716. 1. quesieris *H.* nephas *H.* 2. dii *BGH.* babilonios *BGH.* 4. iupiter *BGH.* 5. qui *Blandinii.* 6. Tyrrenum *G*, Tirrenum *H.* sapias, uina liques *Priscianus* XVIII 10 89. spacio *BGH.*

Carm. XI. Prooemium. *Noli, Leuconoe, magos percontari aut numeros Chaldaeorum temptare, ut meum tuumque finem rescisoas. Melius est, quicquid erit, pati ac frui aetate ante quam fugerit.* (Metrum 2)

Leuconoen puellam Baianam fuisse credo, Chaldaeis, quorum in locis illis amoenis et frequentibus magna copia erat, temere credentem. Haec enim hiberno tempore et in litore maris scripta sunt (u. 4—5). Bais autem Horatius aetate prouectior per hiemem solebat esse ante quam Antonius Musa gelidam undam ei suasit, id quod circa annum 731, ubi Augustum ille sanauit, factum puto (lege Epl. I 15 2—12); Bais et uicinis Puteolis moles pumiceae in litore maris spectantur, de quibus locutus est Flaccus u. 5. Vnde colligo hoc poema non ante annum 725 (a. Chr. 29), quo Augustus triplicem triumphum duxit, et non post annum 732 editum esse, quo Baiae superuacuae factae sunt Horatio arte Antonii Musae. *Leuconoe* puella uocatur, quod candida anima fuit aut futura subtili mente perspicere conata est.

1. *Tu ne quaesieris:* de *tu* cf. ad I 9 16. Paulo fortius *quaesieris, temptaris* quam *quaeras, temptes.* Tamquam magister instruit puellam inprudentem et nefas commissuram; causa breuiter interponitur addito *scire nefas.* Scilicet ipsa deorum uoluntas hanc scientiam homini denegauit.

2—3. *nec Babylonios temptaris numeros:* hoc tamquam alterum priori *tu ne quaesieris* adiunctum est: nam Leuconoe aut ad Chaldaeos siue Mathematicos ire eosque percontari potuit aut ipsa aggredi numeros et rationes Chaldaeorum. Numeri Babylonii uocantur, quod ars Chaldaeorum olim in urbe Babylonia nata atque inde profecta est. Particula *nec* est pro *ac ne.*

3. *ut melius — pati:* ut *est* facilius post *melius* suppleatur, facit proximum *quicquid erit.* Graecum est *ὡς ἄμεινον, ὅσῳ πλέον* (Hesiodi *E.* 40).

4—6. *seu plures hiemes — Tyrrhenum:* est *πρότασις*, cuius *ἀπόδοσις* incipit ab *sapias; hiemes* nominat, non *annos,* quod haec hiberno tempore composuit. Conf. Prooem. ad I 15.

5. *quae nunc — mare:* est maris Tyrrheni pars quae Baias alluit; u. Prooem.; cf. II 18 20: *marisque Bais obstrepentis — litora.*

6. *sapias:* sapienter agas, quod quomodo fiat, proxima docent. Fallitur Priscianus l. c. scribens: *Hora-*

spem longam reseces. dum loquimur, fugerit inuida
aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

XII.

Quem uirum aut heroa lyra uel acri
tibia sumis celebrare, Clio?

Saphicum de laudib; deorum atq, hominum *A*. Prosp(*h*)onetice tetracolos Ymnus *B*. (p)sphonetice tetracolos Ymnus de laudibus deoꝝ atque hominum *H*.

1. *Mar. Victorinus et Diomedes l. c.* lira *G*. 2. tibias *A*. sumes ς *u. Blandinius*. cęlebrare *G*. clo *B*. chlio *G*.

tius in primo Carminum: sapias, uina liques, pro si sapias. *uina liques:* liquantur uina per saccum *niuarium* aut per *colum niuarium*, ut clara fiant; cf. Serm. II 4 51. Martialis XIIII 103 et 104. Athenaei XI 60 p. 480 B. Beckeri Gallus III p. 235—237. *spatio breui:* breui uitae spatio a te sperando, cui opponitur *spes longa*, i. e. longae uitae spes. AP. 172 senex *spe longus* uocatur.

7—8. *inuida aetas: aetas* est iuuentutis (ὥρα), ut Epl. I 20 10: *donec te deseret aetas;* Carm. II 5 13: *currit enim ferox aetas.* Haec inuida est, quod cito absoluitur neque longum usum sui concedit.

8. *carpe diem:* ut dies qui adest cogitetur, facit contrarium *postero*. Hunc carpe, ne fugiat te aut lateat, ut possis uti tamquam flore qui carpitur.

Carm. XII. Prooemium. *Quem uirum aut heroa canam, quem deum? Deorum laudabo Iouem, Palladа, Liberum, Dianam et Apollinem, heroum dicetur Hercules, Castor et Pollux, hominum memorabuntur qui rem Romanam inlustrem reddiderunt a regibus usque ad Iulium Caesarem et Marcum Marcellum* (1—50). *Verum inter homines maximus omnium Caesar Augustus, cuius salus ab ipso Ioue custoditur: nam ad huius uoluntatem imperium laeti orbis ab illo administratur.* (Metrum Sapphicum)

Verba splendidi carminis (u. 48), *gentis humanae pater atque custos, — tibi cura magni Caesaris fatis data*, Augustum celebrant graui morbo a. 731 in extremum discrimen adductum, sed arte Antonii Musae remedium frigidae aquae adhibentis praeter spem sanatum. Dio LIII 30, Suetonius Aug. c. 81 et 59, Plinius NH. XIX 38 (8), XXIX 5 (1). Quae sequuntur de Ioue dicta, *tu secundo Caesare regnes*, tum de Augusto, *te minor laetum reget aequus orbem*, in quibus summum imperium Augusti principis agnoscitur, recens scripta sunt, postquam patres imperatori conualescenti omnem potentiam detulerant: decreuerant enim, ut Augustus tribunicia potestate perpetuo fungeretur, ut quamuis consul non esset, de quauis re posset referre, ut proconsulare imperium perpetuum haberet, ut eius in prouinciis potestas maior esset quam qui proconsules siue propraetores in eas mitterentur. De his accurate relatum est a Cassio Dione LIII 32. Sub finem anni 732 in Siciliam, mox in Achaiam et Asiam Augustus abiit et ex longinquo itinere anno 735 in urbem rediit (Dio LIIII 6). Huius expeditionis paratum spectant uersus 53 sqq.: *seu Parthos Latio imminentes egerit iusto domitos triumpho siue subiectos Orientis orae Seras et Indos.* Accedit aliud. Eodem anno, quo mortis periculum Augustus effugit, M. Marcellus sororis filius morbo

quem deum? cuius recinet iocosa
nomen imago

aut in umbrosis Heliconis oris,
aut super Pindo, gelidoue in Haemo,
unde uocalem temere insecutae
Orphea siluae

3. recinet *AHω u. Blandinius:* reciuit *correcti BGς.* 4. Nůmen *B.* 5. horis *G,* ıris *A.* 6. gelido ue *A.* hemo *ABGH.*

correptus et extinctus est. Dio LIII 30, Velleius II 93, Seruius ad Vergil. Aen. VI 862. Haec mors non ante kalendas Augusti mensis a. 731 accidit, quod docent Plinii uerba NH. XIX 6 (1): *Marcellus Octauia sorore Augusti genitus in aedilitate sua, auunculo XI. consule, a. d. kalendas Augusti uelis forum inumbrauit, ut salubrius litigantes consisterent.* Ad mortuum hunc Marcellum referenda sunt uerba (45): *crescit occulto uelut arbor aeuo fama Marcelli.* Quae argumenta satis ostendunt hoc carmen a. 732 (ante Chr. 22) scriptum esse. Scriptum autem est eo consilio, ut non tantum uitam principi seruatam gratularetur Horatius, sed etiam quod patres decretis firmauerant, dico summum imperium in Augustum collatum, suis uersibus celebraret. Quod tamen eo temperamento fecit, ut Iouem, humani generis parentem et custodem, pie colendum esse potentem principem admoneret.

1—2. *quem uirum — Clio?:* inuerso ordine Pindarus Olymp. II 1: *ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεόν, τίν᾽ ἥρωα, τίνα δ᾽ ἄνδρα κελαδήσομεν; acris* tibia est quae acri siue acuta uoce aures stringit. Quintilianus VIII 2 9: *at illud iam non mediocriter probandum, quod hoc etiam laudari modo solet, ut proprie dictum, id est, quo nihil inueniri possit significantius, ut Cato dixit, C. Caesarem ad euertendam rem publicam sobrium accessisse, ut Vergilius deductum carmen, et Horatius acrem tibiam, Hannibalemque dirum.* *sumis celebrare:* suscipis celebrandum, structura Graeca. *Clio:* haec historiae Musa etiam *κλέα ἀνδρῶν* prosequitur.

3—4. *cuius recinet iocosa nomen imago:* cf. I 20 8: *iocosa Vaticani montis imago*, h. e. echo montis Vaticani; *iocosa* imago (*der neckende Nachhall*) *ἠχώ* uocatur, quod audientem fallit ac ludit. In locis montuosis et saltibus si tibia canitur lyraue, uoces editae soni repercussu referuntur, quo tamquam imago uocis exprimitur. Vergil. Georg. IIII 50: *ubi concaua pulsu saxa sonant uocisque offensa resultat imago.* Cicero Quaest. Tusc. III 2: *ea* (incorrupta uox bene iudicantium) *uirtuti resonat tamquam imago.* Montes qui statim nominantur, Helicon Boeotiae ac Pindus Thessaliae Musis, Haemus Thraciae Orpheo et uatibus Thracum sacrati, tamquam propriae lyrae sedes celebrantur. Quicquid boni carminis ubicumque nascetur, illic cantum iri sperat.

7—12. *unde — quercus:* lyrae potentiam describit; *unde* refertur ad montem Haemum. Nam recentioribus temporibus Orpheus et Musaeus et Linus illis regionibus assignabantur, quam famam Horatius et Latini poetae secuti sunt: ueteres Graeci *Θρᾴκην* ad Parnassum in terra Phocensium positam cogitauere (Thucyd. II 29).

7. *uocalis:* lyrae uoce ualidus (*tonreich*), *φωνήεις, λιγύς.* *temere:* causam instinctus et impetus ignorantes.

8. *siluae:* arbores; cf. ad Epod. 11 6.

arte materna rapidos morantem
fluminum lapsus celerisque uentos,
blandum et auritas fidibus canoris
ducere quercus.

quid prius dicam solitis parentis
laudibus, qui res hominum ac deorum,
qui mare ac terras uariisque mundum
temperat horis?

unde nil maius generatur ipso
nec uiget quicquam simile aut secundum:
proximos illi tamen occupauit
Pallas honores,

proeliis audax. neque te silebo,

10. lapsos celerisque *A*, lapsus celerisq; *H*. 11—12. *Seruius ad Verg. Georg.* I 308. 11. blandum] doctum *Seruius*. 13. parentis *Aς u. Blandinius:* parentũ *GH*, parentum *corr Bω*, parentem *ς*. 14. ac *GHω*, *super u. ead. manu A:* et *Bς*. 17. nichil *G*. 20. *Probus* I 4 13. 20—21. honores. Proeliis audax; *H*. 21. p̄liis *A*, preliis *BG*.

9—12. Haec amplius uim artis musicae declarant, cuius ope Orpheus impetrauit, ut uolubilis fluuiorum uentorumque natura sisteretur, rigidae quercus loco mouerentur.

9. *materna arte:* arte musica a matre Calliope accepta. *fluminum lapsus:* flumina per alueum decliuem labentia.

11. *blandum — ducere quercus:* de structura uide ad I 1 18, de collocatione uerborum *blandum et* ad Epod. 9 13; quercus rigidas ita commouit, ut auribus instructae (*auritae*) esse uiderentur; easdem de loco mouit, sequentes quo ipse tendit. Seruius ad Verg. Georg. I 308 ad uerba *auritos lepores:* 'maiores aures habentes. Horatius aliter ... i. e. sensum audiendi habentes'. Siluae Orpheum insecutae generatim u. 7 iam memoratae sunt: nunc ars describitur, qua illud miraculum euenerit.

13—16. Deos dicere incipit. *laudes solitae* Iouis referuntur u. 14—16, quibus breuiter complexus est quae copiose exequitur Aratus Phaenom. 1—18.

15. *mundum:* caelum cum sideribus; Catullus 64 206: *concussitque micantia sidera mundus. Polum* hic noster uocauit I 28 6, III 29 44; Epod. 17 77. *uariisque — horis:* anni temporibus, quae uaria sunt caloris et frigoris, humoris aestusque temperie. *unde:* ex quo. Ipse maximus se maius non generat.

18. *nec uiget:* ex *unde* notio *cui* uel *cuius* suppletur.

19—21. *proximos — proeliis audax:* Pallas, quamquam ipsi patri neque similis neque secunda, tamen ex ceteris superis una honores Ioui proximos occupauit.

21. *proeliis audax:* uirtus maxime conspicua in uirgine lyrice memoratur. Alii haec uerba non recte cum sequentibus iungunt, ut Liber proeliis audax dicatur: nam *neque* praepositum pronomini (*neque te*) satis indicat inchoari nouum enuntiatum. Quod *Liber* nulla laude celebratur, consulto factum uidetur tam uarietatis causa quam symmetriae in proxima stropha conciliandae gratia: sic enim in hac primus deus, in illa

Liber, et saeuis inimica uirgo
beluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

dicam et Alciden, puerosque Ledae,
hunc equis, illum superare pugnis
nobilem; quorum simul alba nautis
stella refulsit,

defluit saxis agitatus humor,
concidunt uenti fugiuntque nubes,
et minax, quod sic uoluere, ponto
unda recumbit.

Romulum post hos prius, an quietum

22. seuis *GH*. 23. Beluis *ABGH*. metuendae *B*. 24. Phebe *BG*. 25. *Donatus ad Terentii Andr*. II 3 26. alchyden *G*. puerosque Ledae *Seruius ad Aen*. II 598, IIII 94. lędae *G*. 26. *hunc*] n̄c *A*. 29. defuit *A*, Refluit *G*. 31. quod *V* (*Vaticanus olim* 3260) *Turicensis codex Diuaei per lituram:* quia *BGHω*, di *Chisianus B*, nam ς, qui. *A*. sic] sic̄ *A*. 33. prius] p̣ẹtus (*h. e.* prius *correctum ex* petus. *puncta illa et superp. hoc ι ab ead. manu sunt*) *A*.

primus heros simpliciter nominatur, ac duo subsequuntur, in quibus paulo diutius poeta immoratur.

22. *et saeuis inimica uirgo beluis:* supple *et te non silebo*.

25—32. Venit ad heroas, ex quorum numero refert Herculem, *Alcaei* nepotem, Castorem et Pollucem. Ne desit uarium, de Hercule nihil, de geminis fratribus copiose canit, transitum ita praeparans ad mortales.

27. *quorum — refulsit:* cogita faculas ignis electrici in malis uelisue nauium inter tempestates aliquando conspicuas et nauigantibus exoptatas. De his Seneca NQ. I 1: *in magna tempestate adparent quasi stellae uelo insidentes. Adiuuari se tunc periclitantes existimant Pollucis et Castoris numine. Causa autem melioris spei est, quod iam adparet frangi tempestatem et desinere uentos. Aliquando feruntur ignes, non sedent. Gylippo Syracusas petenti uisa est stella super ipsam lanceam constitisse.* Plinius NH. II 37: *geminae autem salutares et prosperi cursus praenuntiae; — ob id Polluci et Castori id numen assignant eosque in mari deos inuocant.* Adde Horat. Carm. IIII 8 31—32. *alba stella:* refulget alba et splendida in atra tempestate. Theocrit. 22 17: *ἀλλ' ἔμπας ὑμεῖς τε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας αὐτοῖσιν ναύταισιν ὀϊομένοις θανέεσθαι. αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλάνα ἂμ πέλαγος· νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι.*

31. *quod sic uoluere:* librorum tantum non omnium scriptura (*quia* pro *quod*) aut sic nata est, ut archetypi librarius cognatae significationis particulam uerae substitueret, dum cogitatione potius quam oculis confidit, aut hinc emersit, quod idem a forma *qđ* ad similem *qa* aberrauit. Ex coniecturis *quom* et *quam* prope ad traditam lectionem accedunt, *nam* longius abest. Falsum est *di sic*, item *sic di:* nam heroas iam laudat poeta, non deos.

33—48. Ad homines delatus in iis qui iam defuncti sunt immoratur usque ad u. 48, in proximo uersu (49) ad Augustum transgreditur.

33—36. *Romulum — nobile le-*

Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
nobile letum.

Regulum et Scauros animaeque magnae
prodigum Paulum superante Poeno
gratus insigni referam camena
Fabriciumque.

36. letum *A:* lętum *G*, loetum *H*. 37—38. Regulum — Paulum *Priscianus* XVIII 2 19, animaeque prodigum Paulum *scholiasta Statii Theb.* III 603, VIII 406. 38. paulũ *ABGH*. 39. stratũ ĩsigni *A*.

tum: seriem temporis consulto non anxie curauit uarietati studens. Primum memorat tres ex regibus eisque iungit recentem Catonis Vticensis mortem; duos reges legitime creatos componit cum Tarquinio, qui regnum male partum ui retinuit. Hinc *superbos Tarquini fasces*. Aberrant qui non de Tarquinio Superbo, sed de Prisco cogitant. Horatius gloriam uiri et bella respexit, scelera tacuit.

35. *an Catonis nobile letum:* reges ante nominati imperio aut bellis inclaruerunt, Cato Vticensis morte similem gloriam adeptus est; cf. II 1 24.

37. *Regulum et Scauros:* uirum antiquum et Punici belli primi rebus notum componit cum duobus recentioris aetatis; hi fuere M. Aemilii Scauri pater et filius, pater consulatu et triumphi honore insignis a. 639, censuram adeptus a. 645, mox princeps senatus (egregie laudat hominem Cicero in Bruto c. 29, pro Fonteio c. 7, de Off. I 30; Tacitus Annal. III 66, Agr. c. 1; Valerius Maximus V 8 4: minus honorifice de eo iudicat Sallustius Iug. 15); filius Scaurus, a Cicerone defensus, huius laudibus et commendatione tamquam uir magnus et probus posteris traditus est. Horatius haud dubie nunc et patrem et filium memorauit, non, ut alii credunt, ea dicendi consuetudine usus est, ut plurali numero genus hominum, qualis fuit Scaurus pater, denotetur. Sic est apud Iuuenalem XI 90: *cum tremerent autem Fabios durumque Catonem et Scauros et Fabricios*. Verum Horatius non genera hominum, sed singulos prioris aeui uiros recensens utrumque Scaurum intellexit et non sine causa usque ad tempora sibi proxima descendit.

37—40. *animaeque — magnae — Fabriciumque:* antiquiorem subsequi facit, praecedere eum qui post uixit. Noua est iunctura et multum gratiae praeferens *prodigus animae magnae* de eo, qui uitam pretiosam nihil curans profudit. Imitatus est, ut uidetur, Ouidius Amor. III 9 64: *sanguinis atque animae prodige Galle tuae*, Statius Theb. III 603: *aequi inpatiens largusque animae*, VIII 406: *uitae prodiga uirtus*. De re conf. Liu. XXII 38 sqq. *Fabricium* dicit C. Fabricium Luscinum Pyrrhi uictorem, uirum fortem et abstinentia clarum.

41—44. Quasi finem non habiturus in tanta uirorum clarorum copia denuo incipit eique, quem proxime uocauit, similes adiungit.

41. *et incomptis Curium capillis:* dicit neglegentem corporis cultum et paupertati propiorem. Male huic loco conuenit *intonsis* a Quintiliano memoriae uitio l. c. relatum: nam intonsus pueros imitatur; cf. ad I 21 2. Fabricio addit aequalem, uirum aeque abstinentem et fortem belli ducem, *M. Curium Dentatum*.

42. *utilem bello* (χρηστὸν τῷ πολέμῳ): bello utilem ob scientiam et abstinentiam. Prisci temporis sim-

hunc et incomptis Curium capillis
utilem bello tulit et Camillum
saeua paupertas et auitus apto
cum lare fundus.

crescit occulto uelut arbor aeuo
fama Marcelli; micat inter omnis
Iulium sidus uelut inter ignes
luna minores.

41. *Charisius* I 18 28 p. 81, *Seruius ad Aen.* XII 100. incomptis *codices Seruius Charisius:* intonsis *Quintilianus* VIIII 3 18. 43. Seua *G.* aruitus (*h. e.* auitus) *A.* arto *Bentleius.* 44. fundis *A.* 45. uelud *G.* 46. om̄is *BH,* om̄s *A.* 47. sydus *G.* igne^{i}s *A, ceteri* ignes.

plicitatem uidetur uerbis aemulari. *Camillum:* retrocedit usque ad Gallicum incendium, unde maxime inlustris M. Furius Camillus, populi Romani a Gallica seruitute liberator, alter fere Romulus.

43. *saeua paupertas:* haec saeua disciplina usa magnos uiros tulit; conf. III 6 37—44. *auitus apto cum lare fundus:* fundum ab auis traditum, cui parua domus conueniebat, non augere sed uitam patriae destinare uoluerunt.

45—48. Regressus ex antiquitate et ad proxima sibi tempora traiciens celebrat M. Marcellum, Octauiae sororis Augusti filium, Iuliae Augusto genitae coniugem, qui mortuus est sub finem anni 731, et Iulium Caesarem, qui in stellam mutatus esse post caedem creditus est. Sed in ea re duo restant quaerenda, primum num antiquior M. Claudius Marcellus, Hannibalis aequalis et concertator, quinquies consul, intellegendus sit, ut cum aliis censet Orellius, dein num de uiuo Marcello haec scripta sint. Antiquior Marcellus non dicitur, quia sic iterum ad Hannibalis tempora iam decursa (u. 38) delaberetur poeta, quia non satis apte iungeretur uir ueteris aeui cum Iulio Caesare, ubi transitus ad Augustum praeparatur; accedit quod antiquioris Marcelli fama Augusti temporibus coaluerat neque crescere poterat. Non minus ueterem Marcellum excludit uera interpretatio uerborum *occulto uelut arbor aeuo,* quorum ratio nondum patefacta est. Tu converte: *wie der Baum von verborgener Lebensdauer,* ὥσπερ τὸ δένδρον ἀδήλου αἰῶνος, h. e. ut arbor illa, cuius uitae tempus nemo nouit, quae longum infinitumque tempus duratura est. Scilicet non incertam quandam arborem dixit, sed omnibus ciuibus urbis Romae bene cognitam, *ficum Ruminalem,* quae Remi Romulique infantiam texerat et Horatii temporibus in comitio fori Romani uirebat, semper, ut credebant, duratura. Conf. Dionysii Hal. AR. I 79. Liuius I 4. Plinius NH. XV 20 (18). Festus s. u. *Nauia.* Tacitus Ann. XIII 58. Vt illa arbor numquam deficit, sic Marcelli nuper extincti fama sine fine crescere perget. De mortuo Marcello si haec accipiuntur, adulatio in Flacco non ferenda uitatur et apte subsequitur Iulii Caesaris item mortui mentio: nimirum huc carminis propositum tendit, ut post insignes uiros prioris aeui poeta ad Augustum eiusque domum perueniat, ut Augustus unus uiuorum ceteris fato functis succedat. Peerlkampii coniectura *Marcellis,* quae placuit Hauptio, non necessaria est neque apta ad Horatii consilium, quo singulos recenset, non gentes persequitur.

47. *Iulium sidus:* Iulius Caesar caelesti sidere post mortem refulgens. De hoc cf. Plinius NH. II 23 (25), Vergilius Eclog. 9 47, Aen. VI 791 et ibi Seruius, Ouidius Metam. XV 749, Festus s. u. *Stella,* Suetonius Caes. c. 88.

gentis humanae pater atque custos,
orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

ille seu Parthos Latio inminentes
egerit iusto domitos triumpho,
siue subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

te minor laetum reget aequus orbem;
tu graui curru quaties Olympum,
tu parum castis inimica mittes
fulmina lucis.

50. satne (*h. e.* Saturne) *A*. 51. date *A*. 51—52. tu — regnes *scholiasta Statii Theb.* IIII 841. 53. par^h^tos *B*. inminentes *B*, īminentes *A*: imm. *GH*. 55. subiect3 *A*. horę *A*. 56. sera ĩ (= set) indos *A*. 57. laetum *Aς*, loetum *H*: latum *BGω*. reget *ABGHω*: regat *ς*. aeq^o^s (*h. e.* aequos) *A*, equus *BH*. 58. quacies *B*. olimpum *G*. 59. mites *G*.

49—52. Egregia transgressio ad Augustum etiamnum in uiuis agentem et imperantem, postquam uiri uita praeclare functi laudati sunt.

50—51. *tibi cura — data:* Augusti post graue periculum incolumitatem refert ad fata et Iouem. Iouis cura restitutus est Caesar et seruabitur; cf. Prooem.

51—52. *tu secundo Caesare regnes:* tu ita regnes, ut secundus sit Caesar; manifesto celebrat omnem potentiam in Augustum a. 731 collatam; cf. Prooemium.

53—56. *Seres*, unde Sericae uestes, in extremis Orientis oris, ubi nunc minor Bucharia. Cum Augustus ordinandis rebus Orientis anno 732 abiturus erat, rumor hominum in ciuitate sermonum auida uidetur iactasse, illum usque ad extremas terras penetraturum esse, quamuis re uera tantum usque ad prouinciam Syriam uenerit.

54. *iusto domitos triumpho:* ita domitos, ut iustus triumphus sequatur.

57. *te minor:* sic meretur Caesar ut hominibus imperare possit. III 6 5: *Romane, dis te minorem quod geris, imperas.* Vera lectio *reget* est, non *regat:* nam omnis dubitatio, quae inest in *regat*, remouenda erat. Augustus reget *laetum* orbem, h. e. principi suo cum laetitia obsequentem.

58—60. Iis rebus, quae ad tuum imperium pertinent, Caesar se non inmiscebit, sed tuum numen sancte uenerabitur tuosque monitus obseruabit. *graui curru:* curru grauiter incumbente, cum fulmina iaciuntur.

59—60. *tu parum — fulmina lucis:* hoc sibi uolunt uerba ascripta, Iouis uoluntatem et ostenta principi non parco deorum cultori semper cordi fore: quippe quotiens lucos Iuppiter fulmine tetigerit, Caesar iram caelestem procurare et sacris rite oblatis fauorem Iouis recuperare studebit.

XIII.

Cum tu, Lydia, Telephi
ceruicem roseam, cerea Telephi

laudas brachia, uae meum
feruens difficili bile tumet iecur.

Ad Lidiam primo uersu gliconium secundo asclipiadium metr̄ *A*. Protice (*pro* Erotice) dycolos Lidiae *B*. Prosphonetice dicolos. Ad Lidiam de Telepho *H*.

1. *M. Victorinus et Diomedes l. c.* LIDIA *A* (*primus uersus ibi litteris uncialibus* scriptus est), lidia *H*. thelephi *H* (*idem u.* 2. telephi). 2—3. cerea — brachia *Seruius ad Vergil. Ecl.* 2 53, lactea — brachia *Flauius Caper* 2242; *cf. Commentar.* 3. ue *BH*.

Carm. XIII. Prooemium. *Cum tu, Lydia, eximiam formam Telephi laudas, ira incendor ac sentio, quanto tui amore ardeam. Sed qui inpatienter amat, ut Telephus, perpetuus esse non solet, nihil autem melius est amore qui ante diem supremam non soluitur.* (Metrum 5)

Lepide liuorem amantis, cui felicior aemulus et forma praestantior praeniteat, suo nomine describit. Qui cum inparem sese esse riuali sentiat, alia uia rem aggreditur aemulumque tamquam barbarum et inconstantis fidei iuuenem calumniatur. Sic amicum Heliodorum, quem esse Telephum ad III 19 docebitur, simul celebrat, simul facete irridet. De Lydia dictum ad I 8.

1—3. *Telephi ceruicem roseam, cerea Telephi — brachia:* repetito *Telephi* nomine imitatur sermonem Lydiae carum sibi nomen saepe uocantis. *Roseam* cum laudat Lydia ceruicem, probat florem et decus iuuentutis (cf. Vergil. Aen. I 402, II 593), *cerea* brachia cum placent, tenera et *mollia* agnoscit. Hinc mollis pueri nomen Κήρινθος ductum est (Serm. I 2 81). Seruius ad Vergil. Eclog. 2 53: *CEREA PRVNA: aut cerei coloris aut mollia. Horatius cerea Telephi laudat* (sic) *brachia.* Contra Flauius Caper perantiquus grammaticus p. 2242: *lactea candida sunt, ut 'lactea laudat* (sic) *brachia' dicit Horatius.* Hoc (*lactea*) recepit Bentleius, qui *cerea brachia*, si cerei coloris dicantur, in nullo honore esse recte contendit. Verum nihil nos cogit, ut de colore cogitemus, sed *cerea* h. l. similem habet potestatem ut in Arte poet. 163: *cereus* (mollis) *in uitium flecti.* Qui de alba cera interpretantur, obliti sunt candorem naturalem cerae non esse, arte parari posse.

4. *feruens — iecur: iecur* sedes libidinis (inde Ixionis iecur ab aquila depascitur in poenam libidinis) atque irae. Cupidinem notat IIII 1 12: *si — torrere iecur quaeris idoneum;* cf. I 25 15: *iecur ulcerosum;* Epl. I 18 72: *non ancilla tuum iecur ulceret. Iram* h. l. significat, item Serm. I 9 66: *meum iecur urere bilis.* Iuuenalis I 45: *quanta siccum iecur ardeat ira;* VI 648: *rabie iecur incendente.*

difficilis: quae difficulter tractatur neque facile lenitur. *tumet:* Graecum *οἰδάνεται* siue *οἰδαίνεται.* Hom. Il. IX 554: *Μελέαγρον ἔδυ χόλος* (bilis peruasit), *ὅστε καὶ ἄλλων οἰδάνει ἐν στήθεσσι νόον.* Ibid. 646: *ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ.*

tum nec mens mihi nec color
certa sede manent, humor et in genas

furtim labitur, arguens
quam lentis penitus macerer ignibus.

uror, seu tibi candidos
turparunt humeros inmodicae mero

rixae, siue puer furens
inpressit memorem dente labris notam.

5. Tū *BGς:* tē *A*, Tunc *Hς*. michi *G*. 6. manent *BGHω:* manet *Aς*. 10. t'par̄ (= *turparunt*) *A*. inmodicae *BGH* (*hic* inmodice): īmodicae *A*. 12. inpressit *B*: impr. *AGH*.

5—8. Irae suae signa recenset animique inpotentiam lepide pingit.

5—6. *tum nec mens mihi nec color certa sede manent: tum* indicat quod auditis laudibus subsequatur, *tunc*, ut est in aliis libris, proximo *nec* assimilatum uidetur. *mens* et *color* (Herz und Farbe) sunt res diuersae et discretae, ideoque pluralis numerus (*manent*) subsequi potest: nam Bentlei norma, 'ubi duo singularia coniunguntur, cum utriusuis numeri uerbo congruunt, seu singularis siue pluralis: ubi uero, ut hic fit, disiunguntur, et usus et ratio postulat, ut uerbum etiam sit singulare', haec nimis angustos terminos Latinis praescribit. Vide Maduigii Gramm. Lat. § 213 b annot. 1. Maduigius laudat Ciceronis de Finib. III 21 : *nec iustitia nec amicitia esse omnino potuerunt, nisi ipsae per se expetantur.* Apud Horatium numeri lex pluralem requirit: nam quod Bentleius attulit Carm. II 13 16 *caeca timēt aliunde fata*, non licet raram ueniam dactylici numeri ad alteram choriambici pedis arsin transferre, certe in hac sede nullo exemplo illa adprobari potest.

6—7. *humor et in genas furtim labitur:* non satis cauenti mihi lacrimae delabuntur; *furtim* pertinet ad pudorem amantis.

8. *lentis:* qui non facile extinguuntur. *macerer:* Epod. 14 16: *me libertina — macerat.*

9—12. Pergit ad aliud, ad signa unde noscit Telephum apud Lydiam fuisse; haec ita delecta sunt, ut ferocem et indomitum Telephi animum arguant.

10—11. *inmodicae mero rixae:* rixae mero super modum accensae. Humeros turpauit iracundus, labra ob nimium amorem.

11. *puer furens:* furens amoris inpotentia et aetate. *memorem:* cuius uestigia retinentur.

13—16. Calumniatur aemulum, cuius indomitus animus inconstantiam prodat. Nam cum ferocia et impetus amantium eiusmodi puellis placere soleat, his non immoratur, sed quid inde consequatur, exponit.

13. *si me satis audias:* suauiter additum est et lepide *satis*, quo significetur contrarium fieri et beneuola praecepta non satis respici. *perpetuum:* qui perpetuo et constanter te amet. *dulcia — oscula:* ille oscula quamuis dulcia male remuneratur, dum impresso dente barbare laedit puellam. Hinc ingratus animus perspicitur: ab ingrato autem et feroce nulla constantia sperari potest.

15—16. *quae Venus — imbuit:* ut causam doceat, cur Lydiae oscula praeter cetera dulcia sint, addit *quae — imbuit.* Vis sententiae inest in pronomine *sui* (*ihres eigenen*): com-

non, si me satis audias,
speres perpetuum dulcia barbare

laedentem oscula quae Venus
quinta parte sui nectaris imbuit.

felices ter et amplius
quos inrupta tenet copula nec malis

diuolsus querimoniis
suprema citius soluet amor die.

15. Ledentem *BH.* 18. inrupta *BG:* irrupta *AH.* 19. diuolsus *Blandinii: diuulsus ABG*, diuulsis *pr. H.* cerimoniis *A.*

ponitur enim dulcedo oris puellae et Veneris sic, ut quinta pars nectaris quod Venus habet, tribuatur osculis puellae mortalis. Sappho Athenaei XI p. 463 E. (Bergk n. 5): *ἔλθε Κύπρι χρυσίαισιν ἐν κυλίκεσσιν ἄβροις συμμεμιγμένον θαλίαισι νέκταρ οἰνοχοεῦσα.* Aliter Meinekius in diario Antiquitatis 1851 p. 233: 'Verba haec de quibus multa parum apte disputata esse constat, mihi ex Hesiodi uersibus ab Apollodoro Bibl. 3 6 7 seruatis explicari posse uidentur: *οἴην μὲν μοῖραν δέκα μοιρῶν (μοιρέων) τέρπεται ἀνήρ, τὰς δέκα δ' ἐμπίπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα.* Hesiodus igitur uenereae uoluptatis decem partes statuit, quarum unam percipere marem, omnes decem explere feminam statuit. Haec si ad Horatii locum transferas, apertum est oscula illa duabus de decem uenereae suauitatis partibus siue quinta parte imbuta dici suauissime'. Venerea uoluptas non commiscenda uidetur cum osculis nectare Veneris imbutis. Alii de quinta essentia (*τῇ πέμπτῃ οὐσίᾳ*) ad mentem Pythagoreorum dicta cogitant.

17—20. Vt quantum desit amori non perpetuo magis appareat, amoris numquam diuulsi fortunam canit.

18. *inrupta:* quae rumpi nequit, *ἄρρηκτος*. *copulam* posuit pro *uinculis*, uitans inuidiosum quod inest in uinculorum nomine.

18—20. *nec malis — die:* sensus est: 'quosque non amor malis querimoniis diuolsus citius soluet quam suprema dies (soluet)'. Ablatiuus (*suprema die*) est comparationis, non temporis, *amor* ualet *ἔρως τις*.

XIIII.

O nauis, referent in mare te noui
fluctus! o quid agis? fortiter occupa
portum. nonne uides ut
nudum remigio latus,

Ad rem publicam tetracolos. Metr̄ duobus uersibus asclepiadeum, tertius ferecratius, quartus glyconius qui tripodia dactylica dnt' *A*. Paranetice tetracolos allegorice. Bruto uel ad R. P. *B*. In nauem de Bruto reparantē bellum ciuile ad rem publicam. Paranetice tetracolos *H*.

1. *Diomedes* III 35. 1—2. o nauis — fluctus *scholiasta Statii Theb.* I 193. 1—3. o nauis — portum *Quintilianus* VIII 6 44. 1. referunt ς.

Carm. XIIII. Prooemium. *O nauis, caue nouis fluctibus in altum mare referri, orbata scilicet quibus opus est ad tolerandas tempestates. Tibi portus debetur, uitanda tibi sunt Cycladum saxa.* (Metrum 19)

Allegoria usus rem Romanam bello ciuili nuper uexatam et in noua ciuium arma temere inclinantem naui comparauit post damna nouis undarum iniuriis inpari. Quintilianus VIII 6 44: *at ἀλληγορία quam inuersionem interpretantur, aliud uerbis, aliud sensu ostendit, etiam interim contrarium. Prius ut: 'o nauis, referent in mare te noui fluctus! o quid agis? fortiter occupa portum'; totusque ille Horatii locus, quo nauem pro re publica, fluctuum tempestates pro bellis ciuilibus, portum pro pace atque concordia dicit.* Pertinet carmen ad paratus belli tum a Caesare Octauiano, tum ab Marco Antonio Sextoque Pompeio per annum urbis 716 et initium anni 717 coeptos, de quibus dicetur ad Serm. I 5. Noui belli metus foedere Tarentino (cf. Taciti Ann. I 10) paulum dimoti sunt anno 717. Ante hoc foedus, fortasse in itinere Brundisino, quod fecit comes Maecenatis ad Antonium de pace missi, aut in ciuitate Tarentina hoc poema Horatius composuit anno 717 uel ante Chr. 37, saluberrimo consilio utrisque partibus bellum dissuasurus. Actiaci belli apparatus non spectari partim hinc clarum, quod illud bellum non pro ciuili sed pro externo iustoque in urbe habitum et ab ipso Horatio laudatum est; idem liquet ex iis quae ad u. 17 monita sunt. Vt nauis allegoria Flaccus uteretur, res ipsa impulit: nam in utrisque partibus naues classesque parabantur.

1—2. *referent — fluctus:* dubios nauigii ante portum fluctuantis motus prospiciens indignabundus simul et mirabundus exclamat: *o nauis, referent — te noui fluctus!* Signum interrogationis est in Bernensi altero (B) et libro Turicensi; futuri temporis forma unice conuenit huic asseuerationi, non *referunt*, ut est in libris nonnullis interpolatis. *noui fluctus: noui* post eos quos iam tolerasti.

2. *o quid agis?:* est interrogatio magnopere improbantis quod fieri uidet. *fortiter occupa portum:* forti labore opus est, ut fluctibus in mare ferentibus obsistatur, portus occupetur.

3—9. *nonne uides — aequor?:* clades rei publicae apud Mutinam et sanguinem ciuium in campis Philippensibus et bello Perusino effusum sub imagine nauis iam fessae et uarie concussae demonstrat.

3—6. *nonne uides, ut — gemant:* tria in naui necessaria manca esse et uitiosa docet, latus remigio nudum, h. e. remigibus magna ex parte nudatum, malum celeri Africo fractum,

et malus celeri saucius Africo
antennaeque gemant, ac sine funibus
uix durare carinae
possint imperiosius

aequor? non tibi sunt integra lintea,
non di quos iterum pressa uoces malo.
quamuis Pontica pinus,
siluae filia nobilis,

6. Antenaeque *G*, Antemnaeque *H*, antẽnnaeque *B*. gemunt *nonnulli*. finibus *A*. 6—9. ac sine — aequor *Seruius ad Vergil. Aen.* VIII 577. 8. possunt *Hς Seruius*. 10. dii *BH*. 11. Quanuis *BH*.

antennas non firmiter consistentes eoque gementes.

3—4. *ut nudum remigio latus:* h. e. ut nudum sit. Alii iungunt *ut nudum latus* cum proximo uerbo *gemant*. Sed nudum remigio latus *gemere* non solet. Singularis numerus *latus* poetico usu utrumque nauis latus denotat. Incipit a penuria remigum in lateribus considentium, tum uenit ad malum uulnere inualidum et antennas infirmas, mox descendit ad rates carinae atque inde reuersus linteorum uitia memorat et deos amissos. Non recte *remigium* interpretantur *remos:* ueriorem rationem ostendit Claudianus Horatium imitatus de sexto Consulatu Honorii 132: *qualis piratica puppis — uiduataque caesis remigibus* (= caeso remigio), *scissis uelorum debilis alis, orba gubernaculis, antennis saucia fractis, ludibrium pelagi uento iactatur et unda.* Adde ipsum Horatium Epl. I 6 63: *remigium uitiosum Ithacensis Vlixi.*

6—7. *sine funibus — carinae:* male se res habet, cum iuncturae carinarum, h. e. lignorum carinae, iam hiscunt ac funibus pice illitis contineri debent. Carinae (*die Kielbalken*) unius nauis intelleguntur, ut *rates* I 1 17: nam in longa naui plures in carina rates sternuntur. Funes sunt ὑποζώματα (*Hanfstreifen*). Plato Ciuit. X p. 616 c: εἶναι γὰρ τοῦτο τὸ φῶς ξύνδεσμον τοῦ οὐρανοῦ, οἷον τὰ ὑποζώματα τῶν τριήρων, οὕτω πᾶσαν ξυνέχον τὴν περιφοράν. Acta Apost. 27 17: βοηθείαις ἐχρῶντο ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον. Seneca Epl. 76: *nauis iuncturis aquam excludentibus spissa;* haec sine funibus durare potest. De fune retinaculo noli cogitare; id uel numerus prohibet.

imperiosius aequor: imperiosius quod saeuo imperio grassatur. Serm. II 5 110: *imperiosa Proserpina;* II 7 83: *sapiens qui sibi imperiosus.*

9. *non — integra lintea:* uela tempestatem iam experta ac scissuris laesa.

10. *non di — malo: tutela* nauis, h. e. numen tutelare in puppi nauis positum, amissa est. Seneca Epl. 76: *nauis bona dicitur non — cuius tutela ebore caelata est.* Vergilius Aen. X 171: *aurato fulgebat Apolline puppis.* Ouidius Trist. I 10 1: *flauae tutela Mineruae nauis.* Silius XIIII 410 et 543. Persius VI 30. Valerius Flaccus VIII 203. Nomen *di* generatim positum est pro: nemo deorum est in puppi. Horatius omnes nauigii non boni partes perlustrans in puppi desinit.

11. *quamuis Pontica pinus:* ad Pontum, praecipue in monte Cytorio Paphlagoniae, nobiles pinus nascebantur. Lege Catulli 4 9—17, cuius loci memor haec scripsit Horatius.

12. *siluae filia nobilis:* quam silua nobilis filiam tulit.

iactes et genus et nomen inutile,
nil pictis timidus nauita puppibus
fidit. tu nisi uentis
debes ludibrium, caue.

nuper sollicitum quae mihi taedium,
nunc desiderium curaque non leuis,
interfusa nitentes
uites aequora Cycladas.

13. nō (= *nomen*) *A.* 14. pupibʒ *A.* 16. debes) s *ab a. m. in A.* 17. *Probus* I 9 3. tedium *BGH.* 19. Interfusa *ABHω:* Inter fusa *G.* nitentis *pr B.* 20. equora *G.* cicladas *BH.*

13. *genus et nomen inutile:* genus pertinet ad nobilitatem matris siluae, nomen ad *Ponticam* pinum.

14—15. *nil — fidit:* praeclara breuiloquentia dicit inania quaedam ornamenta non abfuisse ab hac naui, cui uera uirtus deerat, quo ipso significauit partium in bellum festinantium uires speciosas esse, ualidas non esse. Seneca Epist. 76: *nauis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum aut aureum rostrum est, sed stabilis et firma et iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, uelox et non sentiens uentum.*

15—16. *nisi — ludibrium:* in oratione pedestri dicimus: *nisi forte uentis debes ludibrium. Ludibrium debere* est Graecum *ὀφλισκάνειν γέλωτα*, uelut Aristoph Nub. 1036: *εἴπερ τὸν ἄνδρ' ὑπερβαλεῖ, καὶ μὴ γέλωτ' ὀφλήσεις.*

16. *caue* (*nimm dich in Acht*) absolute positum est, ut Epod. 6 11: *caue, caue.*

17—18. *nuper sollicitum — non leuis:* scite iungit duos uitae suae status, priorem cum bellorum ciuilium cladibus malisque offensus desperauit et rei Romanae taedium imbiberat, cuius taedii testimonium edidit in epodo sexto decimo, alterum cum in Maecenatis amicitiam receptus nouo desiderio et cura rem publicam amplexus est. Vt *taedium* est taedii causa, sic *desiderium curaque* est desiderii et curae causa (ein Gegenstand der Sehnsucht und Besorgniss).

19—20. *interfusa — Cycladas:* uites mare naufragiis famosum: nam inter Cycladum saxa mille nauium pericula; *nitent* illae insulae ob scopulos calcis iisque ipsis periculosae sunt nauigantibus.

XV.

Pastor cum traheret per freta nauibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,

Ad Alaxandrum Paridem. Metrum tribus uersibus asclipiadeum, quartus glyconius *A.* Ypotetice tetracolos alexandri *B.* Ipothétice tetracolos. Sub persona Paridis exponit imminentia Illio *H.*

1. *Diomedes l. c.* 2. Ideis *BGH.* helenen *ABGω:* helenam *Hς u. Blandinius.*

Carm. XV. Prooemium. *Cum Paris Helenam a se raptam nauibus domum portaret, Nereus uentis otium indixit et adultero mala futura cecinit, urbis patriae excidium, caedem ipsius et contumelias post mortem ferendas.* (Metrum 18)

Allegoriam esse plura sunt quae commonstrent, praecipue insolita et quasi arcana carminis forma, dico Nerei senis marini uaticinium paucis uerbis introductum ac longe protractum, rerum tristium copiam seuere denuntiatam. Neque Horatius de Paride sic umquam cecinisset, nisi certam propositi rationem a temporibus suppeditatam secutus esset. Quod Porphyrion notauit, 'hac ode Bacchylidem imitatur: nam ut ille Cassandram facit uaticinari futura belli Troiani, ita hic Proteum', hoc doctius quam uerius dictum est. Nam supersunt quinque uersus carminis a Porphyrione significati, sine nomine auctoris a Clemente Strom. V 731 (apud Bergk. fr. 29 p. 972) recitati, qui ab Horatianis adeo differunt, ut Horatium de Bacchylide non cogitasse fidenter contendam. Allegoriam esse ad Antonium pertinentem recte pronuntiant notationes aliquot ueterum librorum et interpretes nonnulli, quorum primus fuit Landinus, sed nemo in carminis naturam altius penetrauit; quod ut iam faciamus, nobis reliquum est. Marcus Antonius pulsa uxore Octauia (a. 719) adulter cum Cleopatra uixit, ut Paris cum Helena; idem ex pugna Actiaca fugiens ex naui sua in Cleopatrae nauem se recepit (Plutarch. Anton. c. 67), ut Paris Menelai uim uitans in Helenae thalamum festinauit (u. 16); Antonius et Cleopatra tum celeri fuga Alexandriam petebant, ut Paris et Helena Troiam Lacedaemone profecti sunt; Alexandriam hostili exercitu Caesar Octauianus oppugnaturus appropinquabat, ut Troiam exercitus Achiuorum obsedit. Troiae expugnationem remorata est Achillis et Myrmidonum ira (u. 33—36): expeditionem Alexandrinam Caesaris retardauit seditio militum *hiberno* tempore in Italia exorta, quae causa fuit cur Octauianus a persequendo Antonio paulum desisteret, Brundisium ex Sami hibernis reuectus seditionem compesceret, mox Antonium et Cleopatram secutus Alexandriam oppugnaret. Suetonius Aug. 17. Dio LI 4. Hinc patet, cur *iracundae* classis Achilleae mentionem fecerit Horatius (u. 33 sqq.), cur moram belli memorauerit et in fine carminis haec scripserit: *post certas hiemes uret Achaicus ignis Iliacas domos.* Nam Caesar post hiemem anni 724 Alexandriam cum classe et exercitu contendit. Quae cum ita sint, hoc poema sub initium anni 724 (30 ante Chr.), cum Caesar Octauianus obsidionem Alexandriae parauit, factum esse colligo. Flaccus igitur duas ἀλληγορίας continuas composuit, alteram de Antonio et Octauiano bellum meditantibus, alteram de uicto Antonio conscriptam, utramque grauem et admirabili arte politam.

1—2. *Pastor — hospitam:* pastor Paris, qui olim in Ida monte expositus greges custodiuit, Helenam quasi praedam abduxit (traxit), non

ingrato celeris obruit otio
uentos ut caneret fera

Nereus fata. ‘mala ducis aui domum,
quam multo repetet Graecia milite,
coniurata tuas rumpere nuptias
et regnum Priami uetus.

heu heu, quantus equis, quantus adest uiris
sudor! quanta moues funera Dardanae
genti! iam galeam Pallas et aegida
currusque et rabiem parat.

3. celeris *A:* celeres *BGH.* ocio *GH.* 5—6. *Priscianus* VII 13 67. 6. g̅cia *A:* grecia *BGH.* 9. Heu heu *AHω:* He heu *G,* Eheu *Bς.* 11. egyda *G.*

quidem inuitam, sed tamen amoris ui subactam ideoque libero arbitrio carentem. *Hospitam* quod traxit, rei indignitatem et flagitium auget. Eodem spectat *perfidus,* h. e. perfido consilio usus in hospitem Menelaum. *Idaeis nauibus:* nauibus ex silua montis Idae fabricatis. Numerus multitudinis magnificum paratum et prodigentiam Paridis ostendit. Ceterum ex his disce, quid sit legentem in medias res rapere.

3—4. *ingrato — uentos:* uenti alioqui lenes et in altum tendentes ingrato otio tamquam mole ipsis odiosa obruuntur.

4—5. *fera — fata:* *ἀγρίους μόρους.*

5. *mala aui:* poetarum est ac rarum *aui* pro *auibus:* perinde III 3 61: *alite lugubri;* Epod. 10 1: *mala alite.* Catullus 61 20: *bona alite.*

7. *coniurata — nuptias:* de structura *coniurata rumpere* cf. ad I 1 18: *coniurata* (*συνώμοτος*) est iure iurando obstricta.

8. *uetus:* quod diu stetit, donec scelere uerteretur.

9—10. *heu heu — sudor:* uates proelii turbas et labores animo suo prospiciens ab re luctuosa grauiter abhorret; *equi* cogitandi sunt ex more aetatis heroicae curribus adiuncti, *uiri* de curru proeliantes.

10—11. *quanta — genti:* quanta et multitudinem denotat et dignitatem uirorum occisorum. *Dardanae* idem quod *Dardaniae* uel *Dardanidi;* cf. ad I 1 28. *moues:* dicitur de grauibus rebus et curis, ut IIII 1 2: *rursus bella moues.* Tacitus Hist. I 88: *igitur mota est urbis cura.*

11—12. *iam galeam Pallas — parat*· capiti parat galeam, pectori loricam, nam Mineruae thorax siue lorica est *aegis* apud ueteres artifices et poetas, excepto Homero cui est scutum Iouis. *rabiem:* ‘pro furore belli rabiem posuit’. Acron. Alii de Palladis ipsius rabie nomen accipiunt. Equidem Horatio rabiosam Pallada non assignauerim, quamquam apud Valerium Flaccum V 627 est *rabida Pallas.*

13. *ferox:* spiritus feroces ducens; caeca mente ferociter confidit praesidio quamuis infirmo. Idem tamquam praeceptor canendi et saltandi inter feminas uersatur, unicuique diuidens carmina ab ipsa cantanda.

14. *pectes caesariem:* fortasse obuersata sunt Horatio Homeri illa in Iliade *Γ* 54: *οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, ἤ τε*

nequiquam Veneris praesidio ferox
pectes caesariem grataque feminis
inbelli cithara carmina diuides,
nequiquam thalamo grauis

hastas et calami spicula Gnosii
uitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen, heu, serus adulteros
crines puluere collines!

13. Nequiquam *AG bis:* Nequicquam *B bis. H* nunc Neqcquam, *mox* Nequiquam. 14. cesariem *G.* 15. Inbelli *BG:* imb. *AH.* 16. grauis *A pr G:* graues *BH.* 17. gnosii *ABGHω Acron schol. Cruquii.* 18. et celerem sequi *A. Priscian.* XVIII 4 44. 19. seros *A. vv.* 20—32 *desunt A.* 20. Crines *BGH u. Blandinius:* Cultus ς *duo Blandinii.*

κόμη τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.

15. *inbelli cithara:* inbelli cithara instructus; inbellis indicat indolem carminum illorum quae mollia et amatoria. Cf. I 6 10: *inbellisque lyrae Musa potens.*

16. *thalamo:* in thalamum te recipiens, thalami refugio. Recordatus est poeta Iliad. *Γ* 381: *ἐκάλυψε* (Venus Paridem) *δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ, κὰδ δ' εἷσ' ἐν θαλάμῳ εὐώδεϊ, κηώεντι.* Conf. Prooemium.

17—18. *calami spicula Gnosii — strepitumque:* calamus Gnosi uetere sede Cretensium natus praedurus fuit et fama nobilis. Plinius XVI 65 (36): *calamis Orientis populi bella conficiunt, calamis spicula addunt inreuocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis. — Praecipuus hic usus in Creta bellatores suos praecipitauit. spicula* proprie aciem sagittarum denotat, tum ipsas sagittas. Vergil. Eclog. 10 59: *libet Partho torquere Cydonia cornu spicula. strepitumque* ad praegressum *calamum* refer, non ad Aiacem. Ceterum *spiculă Gnosii* in carmine anni 724 non magis debet offendere quam Serm. II 5 28 *sine gnatis;* cf. ad Serm. I 2 30.

18—19. *celerem sequi Aiacem:* non dicit Aiacem Telamonium stabilem certatorem, cui numquam aduersus stetit Paris, sed Aiacem Oilei filium, ob celeritatem pedum fugaci Paridi magnopere timendum; de hoc Homerus Il. *B* 527: *Οἰλῆος ταχὺς Αἴας.* Adde *K* 110, *N* 66, et praecipue *Ξ* 442—522.

19—20. *tamen, heu, serus — collines:* quamuis thalami refugium mortis moram affert, *tamen* post diuturnum tempus (*serus*) foedum uitae finem habebis. Crines Paridis *adulteri* uocantur, quod Helena capillorum pulchritudine potissimum ad adulterium corrupta fertur. Conf. IIII 9 13: *non sola comptos arsit adulteri crines.*

20. *puluere collines:* ut Achilles Hectorem occisum loris per solum traxit, sic Menelaus inimicum Paridem a Philoctete interfectum foedauit; hoc ab Horatio ad fidem Iliadis Paruae traditum. Proculus (editus a Gaisfordio post Hephaestionem p. 531): *Φιλοκτήτης — μονομαχήσας Ἀλεξάνδρῳ κτείνει· καὶ τὸν νεκρὸν ὑπὸ Μενελάου καταικισθέντα ἀνελόμενοι θάπτουσιν οἱ Τρῶες.* Ingentem hanc Paridis contumeliam animo prouidens Nereus exclamat *heu — collines!*

non Laertiaden, exitium tuae
gentis, non Pylium Nestora respicis?
urgent inpauidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens

pugnae, siue opus est imperitare equis,
non auriga piger. Merionen quoque
nosces. ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre:

21. non] An n̄ *ex corr. B.* lerciaden *B,* lerthiaden (a *super* e *alt. m. ascriptum*) *H,* lertiadem *G.* exicium *B.* 22. Gentis *BGHω* (*u. Blandinius*): Genti ς *tres Blandinii.* pilium *BG.* nestora Pylium *scholiasta Statii Theb.* VII 129. 23. urgent *BGH.* inpauidi *BG: H* imp. 24. Teucer, te ς *tres Blandinii:* Teucer et *BH*ς, Theucer *G.* stelenus *BH*, sthelenusq, *G.* 26. merionen *B:* merionẽ *GH.* 28. Tytides G, Titides *H.*

21—32. Tribus his strophis insigni breuitate complectitur mala in Paridem ante mortem a praecipuis Graecorum ducibus ingruentia.

21—22. *non — respicis?:* graui admonitione leuem hominem uel grauissima neglegentem urget. *exitium tuae gentis:* exitium Troianorum uocauit, quia parauit Vlixes quaecumque necessaria capiendae Troiae. Proculus l. c. Homeri Odyss. *δ* 240—289. Hinc illud est in principio Odysseae: *ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε.* Lectionem *gentis* praeter auctoritatem librorum commendat uarietatis lenocinium, cum modo praecesserit *Dardanae genti.*

24. *Teucer, te Sthenelus:* Teucer ob celeritatem persequendi hostes et sagittis consectandi memoratur: nam timido hosti et refugienti, qualis Paris, hic maxime formidolosus erat: Hom. Iliad. *Z* 31, *H* 266—334, *M* 336, *N* 91, 313 (*Τεῦκρός θ', ὃς ἄριστος Ἀχαιῶν τοξοσύνῃ, ἀγαθὸς δὲ καὶ ἐν σταδίῃ ὑσμίνῃ*), *Ψ* 859—883. *Sthenelus:* fortis socius et auriga Diomedis: Hom. Il. *B* 564, *Δ* 367—418, *E* 241—274 et passim. Quintilianus IX 3 10: *iunguntur interim schemata, 'Sthenelus sciens pugnae': est enim 'scitus Sthenelus pugnandi'.* Quemadmodum Teucro epitheton accedit *Salaminius,* sic Sthenelo *sciens pugnae,* utrique autem *inpauidi* commune est; hoc procreauit interpolatam lectionis formam *Teucer et Sthenelus.*

26. *Merionen:* cf. ad Carm. I 6 15.

27. *furit te reperire:* structura Graeca est. Theocritus 30 31: *ἐμαινόμαν φιλᾶσαι.* Hom. Il. *B* 863: *μέμασαν δ' ὑσμῖνι μάχεσθαι.* Diomedes furore bellico percitus te reperire cupit. Nihil de his in Iliade Homeri, ubi Menelaus potius reperire furit Paridem *Γ* 379 et 449 sq. Si non libere hoc finxit Horatius et uiro fortissimo assignauit id, quod de Menelao praedicandum erat, haec possunt referri ad illud momentum temporis, quo Achilles Paridis sagitta Apollinis ope caesus Diomedem furore et ulciscendi cupidine impleuerit. Proculus tamen ex Aethiopide Arctini in his rebus de Diomede nihil refert l. c. 530: *Ἀχιλλεὺς — ὑπὸ Πάριδος ἀναιρεῖται καὶ Ἀπόλλωνος· καὶ μέχρι (περὶ) τοῦ πτώματος γενομένης ἰσχυρᾶς μάχης Αἴας ἀνελόμενος ἐπὶ τὰς ναῦς κομίζει, Ὀδυσσέως ἀπομαχομένου τοῖς Τρωσίν.* *melior patre:* fortior patre Tydeo: cf. Hom. Il. *Δ* 405—418; melior de fortitudine ut Graecum *ἀμείνων.*

29—30. *uallis in altera uisum parte:* pauor consternati cerui significatur, qui statim in fugam se iacit, quamuis lupus sit in altera siue diuersa uallis parte. Sic Paris Diomedem ex longinquo uisum fugiet.

quem tu, ceruus uti uallis in altera
uisum parte lupum graminis inmemor,
sublimi fugies mollis anhelitu,
non hoc pollicitus tuae.

iracunda diem proferet Ilio
matronisque Phrygum classis Achillei;
post certas hiemes uret Achaicus
ignis Iliacas domos'.

30. inmemor *BG: H* imm. 34. frygum *A*, phrigum *H*, frigum *BG*. 36. Iliacas (*H* illiacas) *codices:* Pergameas *Glareanus.* domos] rl (= *reliqua*) *ascriptum in A.*

31. *sublimi anhelitu:* μετεώρῳ πνεύματι, cum spiritus ex pectore ductus per os prorumpit. 'Hinc grauiter anhelantes τὸ πνεῦμ' ἄνω ἔχειν dicuntur a Sosicrate Comic. frag. IIII p. 591 et ὀρθοπνοίᾳ laborantibus πνεῦμα μετέωρον tribuitur ab Hippocrate'. Meinekivs.

32. *non hoc pollicitus tuae:* hoc scribenti ante animum uersata est scena Homerica *Γ* 428—448. Marcus Antonius, quem hoc carmine respici docui (Prooem.), Cleopatrae suae regnum populi Romani pollicitus est. Lege Dionis XLIX 41, L 5.

33—36. Extremus Ilii dies paulum quidem proferetur Achillis irati classisque ducem secutae secessione, sed nihilo minus post tempus fatis constitutum Ilium ab Achiuis uretur. Conf. Prooem. Stropham et pulchram et necessariam Peerlkampius ut spuriam resecari uoluit.

33. *diem:* in pedestri sermone *diem extremum*, etiam *diem suum:* hunc intellegi ex proximis patet. *proferet:* remorabitur, ampliabit.

34. *matronisque Phrygum:* quod luctuosissimum est in capta urbe, trucidari aut in seruitutem duci matronas, memorari uoluit. De forma genetiui *Achillei* cf. ad I 6 7.

35. *post certas hiemes:* post hiemes fati ordine praefinitas. De *hiemis* uocabulo in Prooemio dictum est; cf. I 11 4: *seu plures hiemes seu tribuet Iuppiter ultimam.* Vates numerum annorum solito uaticinantium more reticuit, ut minus securus ageret Paris.

36. *ignis Iliacas domos:* in uersu glyconeo nunc basis est trochaica, cum alias Horatius spondeum praetulerit: trochaeum uero neque ratio excludit (nam in basi forma trochaica prima fuit ac ceteris subiecta est, $\acute{\times}\,\cup$), et consuetudo Graeca probauit. Apud Horatium quamquam alibi non reperitur, nunc tamen ante Graecum uocabulum trochaeus tolerandus uidetur. *domos: domus* saepe ampla ac diues intellegitur et hoc praecipue in numero multitudinis ualet, uelut I 35 24, II 18 19, III 6 18, 15 9. Eiusmodi *domos* etiam nunc in uetere ac nobili urbe dici putauerim.

XVI.

O matre pulchra filia pulchrior,
quem criminosis cumque uoles modum

Ad Tyndaridē. Metr̄ duobus uersibus alcaicum quod ɔstat ex spondeo, iambo, caesura iambica pentibemere (*pro* penthemimere) > (= *et*) duobus dactilis; tertius dimeter iambicus Ypercatalecticus, quartus pindaricus *A*. Palinodia Gratidiae *B*. Ad Tindariden faciens iamborum potestatem. Palistone Gratidice (*palinodia Gratidiae*) *H*.
1. *Diomedes l. c.* pulcra f. pulchrior *B*. 2. cunq; *H*.

Carm. XVI. Prooemium. *Animum redde mihi, matre pulchra filia pulchrior, quam ira concitatus iambis olim laedere ausus sum: iambos enim illos contumeliosos delendos esse ipse nunc censeo, iramque cui sorte humana succubui, improbo ac tristia mitibus mutare studeo.* (Metrum Alcaicum)

Est faceta recantatio (παλινῳδία) iamborum aduersus Canidiam in Epodo quinto et septimodecimo scriptorum, qui non ambigue significantur u. 2—3: *quem criminosis cumque uoles modum pones iambis.* Nam iamborum nomine soli Epodi ab Horatio notantur (cf. Epod. 14 7; Epl. I 19 23, II 2 59); nec alios criminosos iambos in *pulchram* feminam ille fecit. Sermonis, qui legitur in priore Sermonum libro octauus, in Canidiae contumeliam facti in hac παλινῳδίᾳ mentionem non fecit, ne uaria commiscerentur. Verum satiram illam post παλινῳδίαν scriptam esse caue credas: nam παλινῳδία Alcaei uersibus et strophis composita ante annum 724 (a. Chr. 30) facta esse non potest (cf. ad I 26), prior autem Sermonum liber ante bellum Actiacum (723) confectus est. Ipsa recantatio animi causa, non uero consilio instituta est, ac ridendi materia sic paratur, ut res leuis grauibus uerbis et magnificis sententiis peragatur. Ad quod propositum inprimis apta erat παλινῳδίας forma a Stesichoro accepta. 'Imitatus' (est) 'Stesichorum poetam Siculum, qui uituperationem scribens Helenae caecatus est et postea responso Apollinis laudem eius scripsit et oculorum aspectum recepit'. Acron. Reliqua de Helena Stesichori testimonia ueterum et frustula carminis legas apud Gaisfordium in Poetis min. Gr. t. III p. 339 uel in Bergkii Poetis Lyr. Gr. p. 746. Ceterum Horatius aliena uestigia premere non solitus Stesichorum non ultra imitatus est, nisi quod et ipse παλινῳδίαν temptauit ac primum fortasse uersum inde petiuit, de quo mox dicetur. Pulchra puella, quam Flaccus alloquitur, *Canidia* Romana est, non *Tyndaris* quam scholiastae Horatiani ex proxima oda praue sumpserunt, neque *Gratidia* Neapolitana, quam interpretes noui nominant. Verum de hac re ad Epodum quintum satis disputatum est.

1. *O matre — pulchrior:* Stesichorus cum scripsit παλινῳδίαν, allocutus est Helenam pulcherrimam feminam eandemque filiam Ledae, quae ipsa perpulchra fuit et Iouis desiderio expetita est. Hinc prima Horatii uerba ad exemplum Stesichori expressa existimo. A *pulchritudine* feminae iambis laesae prudenter initium fecit, ne haec recantatio referretur ad alios iambos a se in uetulam et turpem anum factos, dico epodum octauum et duodecimum.

2—3. *quem criminosis — iambis:* criminosi qui criminibus scatent: artium enim magicarum et caedis obprobrium in Canidiam coniecerat Ho-

pones iambis, siue flamma
siue mari libet Hadriano.

non Dindymene, non adytis quatit
mentem sacerdotum incola Pythius,
non Liber aeque, non acuta
sic geminant Corybantes aera,

4. adriano *G*. 5. n̄ disidimene n̄ *A*. dindimene *BG*, dīdymene *H*. aditis *ABGH*. quatis *A*. 6. phithyus *G*. 7. equę *A*. 8. sic] si *Bentleius*. choribantes *G*, coribantes *H*.

ratius. Non apta sunt haec epodo quintodecimo, de quo nonnulli cogitauerunt: nam ibi fidem a Neaera uiolatam esse conqueritur Flaccus, crimen quidem, sed adeo leue et in amoribus solitum, ut illi iambi *criminosi* uocari non possint. De tmesi *quem — cumque* cf. ad Carm. I 6 3.

4. *mari — Hadriano:* Hadrianum est mare quo Hadria urbs alluitur. Sic Cicero in Pisonem 38: *ultimus Hadriani maris oras petiuit* (Piso ex Dyrrhachio naui fugit Hadriam). Plinius NH. XIIII 6 (8) § 67: *ab intimo sinu maris Adriana* (uina). Horatius ipse, si uolet Canidia, iter facturus est ad longinquam Hadriam ibique criminosis iambis finem ponet in sinu maris superi, ut certissimum exitium paretur.

5. *Dindymene:* est Idaea mater (Cybele) a Dindymo monte Phrygiae appellata; Romam Pessinunte translata est bello Punico altero a. 549 (Liu. XXIX 14) in aedem Victoriae in Palatio, dein ipsa templum nacta a. 563 in Palatino monte: Liu. XXXVI 35. Dio XLVI 43. Becker Enchirid. Antiq. Rom. p. 421 sq. Constructio est: *non Dindymene aeque quatit mentem sacerdotum, non Pythius incola, non Liber;* tria sacerdotum genera memorantur, quae sui cuiusque numinis instinctu in furorem concitantur.

adytis: hoc liberius dictum pro *in adytis,* quod rarum est in nudo ablatiuo, sed concessum poetis; cf. II 5 6: *fluuiis grauem solantis aestum;* I 18 30: *Orci fine;* III 5 1: *caelo tonantem credidimus Iouem;* 11 51: *sepulcro scalpe querellam;* IIII 11 12: *flammae trepidant rotantes uertice fumum;* Epod. 5 55: *dum latent siluis ferae,* 9 19: *portu latent puppes;* Serm. II 3 48: *uelut siluis — ille sinistrorsum abit;* AP. 64: *receptus terra Neptunus.* Adyta sunt remota templi et plebis commercio subtracta: quippe Apollo significatur, cum oracula edit, cum in adytis sacerdotes suas, ueluti Pythiam Delphicam, Sibyllam Cumanam furore implet. Sacerdotes Bacchi cogita Bacchas thyrsum quatientes et insanientes.

6. *incola Pythius* (*Pytho's Bewohner*)*:* exquisitius hoc est quam *incola Delphicus:* nam Pytho uetus nomen est Delphorum. Varietatis causa secundo loco pro nomine dei (*Apollo*) periphrasin posuit. Nonnulli *incola sacerdotum* iungunt, in his Meinekius, qui prouocat ad uerba Plutarchi (de orac. def. p. 414 E): τὸν θεὸν αὐτὸν — ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν προφητῶν ὑποφθέγγεσθαι.

7—8. *non acuta sic geminant Corybantes aera: non sic* est *non tanto cum impetu*, quanto ira facit. *Corybantes siue Curetes* sunt custodes Iouis infantis. Vid. Lobeckii Aglaopham. p. 515. *acuta aera:* clipei acutum sonum edentes; sic *acris tibia* I 12 1, *cum stridore acuto* I 34 15, *uoce acuta* III 4 3, *sonum — acutum* AP. 349.

tristes ut irae, quas neque Noricus
deterret ensis nec mare naufragum
nec saeuus ignis nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

fertur Prometheus addere principi
limo coactus particulam undique
desectam et insani leonis
uim stomacho apposuisse nostro.

irae Thyesten exitio graui
strauere et altis urbibus ultimae

10. hensis *H.* 11. seuus *GH.* 12. Iuppiter *AGH:* Iupiter *B.* 14. undiq, rl *A, desunt uu.* 12—28. 17. thyestem *H,* tyhesten *B,* thiesten *G.* exicio *BH.* 18—20. et altis — funditus *Priscianus* XVII 7 49.

9. ***tristes ut irae*** (*wie finstere Zornes-Regungen*)*:* notionem in hoc carmine grauissimam postquam uarie praeparauit, sollerter in principio nonae strophae posuit ac deinceps usque ad finem strophae largis coloribus ornauit. ***tristes:*** quae tristi animo proficiscuntur.

9—12. *quas neque — tumultu: iras* suas poeta primum sic excusat ut affirmet, hanc esse naturam irae, ut nulla ui, nullo terrore reprimi possit.

9—10. *Noricus — ensis:* 'emphasis est, in ipsis enim locis et probatum ferrum est et optimi gladii fiunt, et ideo ex prouincia ferrum laudauit'. Acron. Conf. Epod. 17 71: *ense pectus Norico recludere.* Plinius NH. XXXIIII 41 (14).

11. *nec saeuus ignis:* quo res plurimae molliuntur aut absumuntur.

13—16. Alteram excusationem sui sic profert, ut iram ab origine gentis humanae mortalibus inditam esse demonstret. Prometheum ex limo homines fingentem a Graecis sumpsit Horatius (Apollodorus I 7 1, Ouidius Metam. I 81, Pausanias X 4 3, Lucianus Prometh. c. 3, Hyginus fab. 142), sed idem pro suo consilio ipse finxit cetera de particula *undique* desecta, de ui leonis stomacho nostro apposita.

13—14. *principi limo:* unde homo tamquam prima materie factus est. In Pandorae Sophocleae fragmento non recte Huschkius (de Archil. p. CCVI) temptauit ἀρχὸν πηλόν, felicius Brunckius ἀργὸν πηλόν, h. e. *limum non subactum,* pro ἄρχον uel ἄρχων.

14—15. *undique desectam: undique* quo referendum sit, patet ex proximis *et insani leonis* cet. Est igitur *ex omni animalium genere.*

15—16. *et insani leonis uim: et* ualet *etiam; uis* quomodo accipienda sit, additum *insani leonis* ostendit, h. e. insana animi uis, quae coerceri nequit.

16. *stomacho nostro:* stomachus irae sedes, ut I 6 6: *grauem Pelidae stomachum.* Hinc *stomachari, stomachosus.*

17—21. Graues casus euentusque ex ira consecutos pingit, quo mutuam aduersum sese iram Canidiae dissuadeat.

17—18. *Thyesten exitio graui strauere:* Atrei fratris irae Thyesten graui exitio prostratum dederunt.

18. *altis urbibus:* urbes arduis locis altisque propugnaculis munitae.

ultimae stetere causae: ultimae, unde ceterae pereundi causae originem duxerunt, h. e. praecipuae uel

stetere causae cur perirent
funditus inprimeretque muris
hostile aratrum exercitus insolens.
compesce mentem: me quoque pectoris
temptauit in dulci iuuenta
feruor et in celeres iambos
misit furentem. nunc ego mitibus
mutare quaero tristia, dum mihi
fias recantatis amica
obprobriis animumque reddas.

20—21. imprimeretque — aratrum *Isidorus Orig.* XV 2 4. 20. inprimeretque *B:* impr. *H.* imprimetque (*sic*) *Seruius ad Vergil. Aen.* IIII 212. 26. quero *BG.* 28. obprobriis *BGHg, ut solent.*

primariae; Vergil. Aen. VII 49: *tu* (Saturne) *sanguinis ultimus auctor.*

19. *stetere:* pro uulgari *extitere.*

20—21. *inprimeretque — exercitus:* signum urbis penitus euersae. Isidorus Orig. XV 2 4: *urbs autem aratro conditur, aratro uertitur.* Seneca de Clem. I 26: *inicere tectis ignem, aratrum uetustis urbibus inducere potentiam putat.* Propertius III 9 41: *moenia cum Graio Neptunia pressit aratro uictor Palladiae ligneus artis equus.* Adde Ciceronis Philipp. 2 40. *insolens:* Epod. 16 14. *ossa Quirini — dissipabit insolens.*

22. *compesce mentem:* tu irasci noli; praecibus cito defungitur, quas praeparauit graui descriptione malorum, quae consecuta sint iras.

23. *in dulci iuuenta:* cum scripsi iambos illos, dulcis iuuenta mea innoxia potius ac non laesura fundere debuit, sed nihilo minus temptanti pectoris feruori concessi, ut celeres iambi uel in hac aetate prodirent.

24. *in celeres iambos:* in aduersarios celeri impetu procurrentes. Aliud est in Arte poetica 251: *iambus, pes citus.*

25. *misit furentem:* noua est excusatio furorem et iniuriam confitentis.

27—28. *recantatis obprobriis:* 'recantari probra dicuntur, cum contraria probris carmina fiunt in eum, cui maledixerimus'. Porphyrion. Laudes probris contrarias statim in principio posuit Horatius: *o matre pulchra filia pulchrior.*

XVII.

Velox amoenum saepe Lucretilem
mutat Lycaeo Faunus et igneam
defendit aestatem capellis
usque meis pluuiosque uentos.

Ad eandem meritricem (*suprascripto* tyndaridem). Metrum (*cetera ut ad carm.* 16) *A.* Pracmaticen (*pro* pragmatice) ad Tindarĩ *B.* Paranetice Tindaridi. Ad eandem meretricem *H.*

1. *Diomedes l. c.* amenum *G.* sepe *BGH.* 2. lycaeo *H:* licaeo *A*, lyceo *B*, liceo *G.* 2—4. et igneam — meis *Seruius ad Verg. Ecl.* 7 47. 3. estatem *G.* capillis *A.* 4. *Diomedes* III 34 21.

Carm. XVII. Prooemium. *Veni, Tyndari, in uillam Sabinam, ubi solis aestum uitabis, canendo delectaberis, ruris honoribus frueris, tuta eris ab iniuriis Cyri amatoris.* (Metrum Alcaicum)

Coloribus late splendentibus et eximie delectis securitatem et amoenitatem uillae Sabinae pinxit ac modeste significauit suam Musam non leue decus his locis accessisse, admiscens iocos nonnullos ad augendam suauitatem carminis, quo uenustius uix ullum reperiri poterit. Idem amor praedii Sabini cum emineat ex paenultimo tertii libri poemate, quod anno 725 natum esse uidebimus, et cum utrumque aestatis tempore factum sit, hoc nostrum non diu ante ortum Caniculae (u. 17) anno 725 (ante Chr. 29) coeptum esse, mox alterum illud (III 29) ad Maecenatem missum successisse coniecerim. Hoc certum est, ante annum 724 non scriptum esse carmen, de quo nunc loquimur; cf. ad I 26.

1—12. Praedii Sabini securitatem a custode Fauno profectam describit.

1—2. *uelox amoenum — Faunus:* Faunum et Horatius et alii poetae Latini nihil discrepantem a Pane Graecorum, numine capripede et cornigero caudatoque, accipiunt. Ouid. Fast. II 423: *quid uetat Arcadio dictos a monte Lupercos? Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.* Vergil. Eclog. 6 27, Aen. VII 48, VIII 344 ibique Seruius. Ille igitur siluestrium locorum cultor et tutor modo in patrio monte Arcadiae (Lycaeo), modo in Lucretili Sabino prope uillam Horatianam uersatur. Cur Lucretilem mutet pro Lycaeo, eius rei causam epitheton *amoenum* continet. *Lucretilem mutare Lycaeo* nunc est asciscere Lucretilem omisso Lycaeo (*ἀντικαταλλάσσεσθαι*), quamquam alibi haec solent ualere 'Lycaeum petere prae Lucretili'. Idem redit Carm. I 34 13: *ualet ima summis mutare — deus;* II 16 18: *quid terras alio calentes sole mutamus?* III 1 47: *cur ualle permutem Sabina diuitias operosiores?* Epod. 1 27: *Calabris Lucana mutet pascuis.* Epod. 9 28: *punica lugubre mutauit sagum.* Serm. II 7 109: *puer uuam furtiuo mutat strigili.* Priscianus XVIII 23 188 solitam structuram respiciens scribit: *Horatius in I Carminum 'saepe Lucretilem mutat Lycaeo' pro 'Lycaeum mutat Lucretili'*. Ipse Lucretilis mons prope uillam Sabinam Horatii Digentiae riui uallem prospectat.

2—3. *igneam — aestatem:* nobili et generali uoce usus est pro aestiuo solis ardore siue *solstitio.* Hoc apud Vergilium Eclog. 7 47: *solstitium pecori defendite.*

inpune tutum per nemus arbutos
quaerunt latentes et thyma deuiae
olentis uxores mariti,
nec uiridis metuunt colubras

nec Martiales Haediliae lupos,
utcumque dulci, Tyndari, fistula

5. inpune *B:* imp. *AGH.* 6. querunt *pr BH.* thima *BGH.* 7. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 7 7. uxoris (i *mutatum in* e) *A.* 8. *scholiasta Statii Theb.* V 549. nec] hic *schol. Stat.* uiridis *A:* uirides *BGH.* colubras *ABg pr Hω Blandinii:* colubros *pr G corr Hς.* 9. martialis *A,* marciales *BH.* hędilię *Aς:* hediliae *B,* hoediliae *ς,* hoeduliae *ς,* ^h^ediliae *G,* ediliae *H,* edilia *g in A al. m. ascriptum* mons.

3—4. *defendit aestatem capellis usque meis:* quomodo *usque* (= semper) *defendit,* cum saepe absit in Lycaeo Arcadiae? Orellius suppleri uult *usque, cum adest.* Sed cum abest, num capellae urentur aestate? Immo sic res se habet: salubris loci natura tamquam donum dei siluestris cogitatur; haec autem cum eximia temperie semper gaudeat, capellae aduersus solstitium semper tutae sunt, siue adest Faunus siue in Arcadiam abiit. Cf. Epl. I 16 5—10.

5—12. Cur tutum pasci pecus tot uerbis cecinit? nimirum Tyndaridi, cui suspitio et ira Cyri imminebat, ostendi uoluit securitatem loci, quo ipsa se recipere posset. Primaria notio non sine causa in principio strophae ac sententiae posita et duobus expressa est uerbis (*inpune tutum*).

6. *deuiae:* de uia aberrantes et longinqua petentes pro more capellarum.

7. *olentis uxores mariti:* maritus olens (der duftende Gatte) est hircus, *uir gregis* apud Vergilium Eclog. 7 7 (ὦ τράγε, τᾶν λευκᾶν αἰγᾶν ἄνερ, Theocrit. 8 49). *olentem* errantes capellae ducem facilius sequuntur.

8. *uiridis colubras:* uirides ut ueneno tumentes.

9. *nec Martiales Haediliae lupos:* formam *Haediliae* commendant libri meliores. Sed *Haedilia* quid fuerit, grammatici certant. Qui haedorum stabula interpretantur, eos satis refutauit Bentleius, ipse *haeduleae* noue fingens pro *haeduli.* Orellius montem esse *Haediliam* opinatur secutus glossam non ueterem antiqui codicis Bernensis. Ego uici in montis uertice et in mediis siluis positi nomen esse contendo (*Bockenheim*), cui contrarium adest *Vstica cubans* item uicus, sed in ualle profunda. Qui offendunt in pagis duobus semel memoratis, meminerint *Mandelae* (Epl. I 18 105), riui *Digentiae* (ib. 104), montis *Lucretilis* cet. *lupi Martiales* sunt Marti sacrati. Vergil. Aen. IX 566: *agnum Martius a stabulis rapuit lupus.* Hinc *lupa* Romulum et Remum Marte genitos nutriuit, hinc etiam illud explicandum quod habet Seruius ad Aen. I 273: *haec* (Rea), *ut multi dicunt, cum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata refugit in speluncam, in qua a Marte compressa est.*

10—12. *utcumque — personuere saxa:* dulci fistula dum canit pius poeta, noxia capellis fugantur ipsaeque fidere incipiunt; *utcumque* particula de tempore posita est, ut II 17 10: *utcumque praecedes,* III 4 29: *utcumque mecum uos eritis;* Epod. 17 52: *utcumque fortis exilis puerpera;* cf. ad IIII 4 42.

ualles et Vsticae cubantis
leuia personuere saxa.

di me tuentur, dis pietas mea
et Musa cordi est. hic tibi copia
manabit ad plenum benigno
ruris honorum opulenta cornu;

hic in reducta ualle caniculae
uitabis aestus et fide Teia
dices laborantis in uno
Penelopen uitreamque Circen;

11. usti caecubantes *A.* 13. di — dis *A:* Dii — diis *BH*, Di — diis *G.* pietas] pltas *A*, *qui iungit* displtas. 14. hic *Hς:* hinc *A pr GgωΣ*, hi nc *B.* 15—16. om *A.* 18. estus *G.* 19. laborantis *A:* laborantes *BGH.* unũ *G.* 20. cyrcen *BG.*

11—12. *Vsticae cubantis leuia — saxa:* Vsticam alii montem esse uolunt, Orellius uallem. Ego uicum aliquem in depressa ualle situm, cui superimpendebant scopuli calcis, accipio. Sic *Vstica cubans* opponitur *Haediliae*, quae in edito monte a lupis infestatur. Monti *cubans* male conuenit, uallem quoque dissuadet, cum omnes ualles *cubare* dici possint. Praeterea huic explicationi proximum nomen *ualles* obstat.

13—14. *di me tuentur, dis — cordi est:* etiam dominum pecoris di tuentur ob pietatem et Musam dis amicam. Iam loci amoenitate, pecoris securitate, possessoris tutela narrata Tyndaridi tribus in rebus iucunditatem ruris ostendit, dum fructus laudat, salubritatem uallis ad canendum inuitantis, innocentis uini copiam.

14—16. *hic tibi — cornu: hinc* pro *hic* in pluribus antiquis libris substitutum est, quod id uerbo *manabit* melius conuenire uideretur. Sed *hic* u. 17 et 21 cum ui repetitum etiam h. l. requiritur. Saepius quidem simplice anaphora contentus est Horatius, sed aliquando amplius excurrit. Sic I 2 33—41 *siue* ter recurrit, item *quantus* I 15 9, *otium* II 16 1 sqq., *te* IIII 15 33—34, *ne* subsequente duplice *neu* Serm. I 3 106 (lege notam ad I 36 12). Ternarium in anaphora numerum non egreditur, nisi cum longam rerum seriem repraesentare uoluit, ueluti I 36 10—16, IIII 1 29 sqq., 15 17—24.

15. *ad plenum:* i. q. *plene, πλείως, abundanter.* Vergil. Georg. II 244: *undae ad plenum calcentur.* Idem foret *in plenum.* Copia tam diu manabit, ut plenum fiat. *copia — ruris honorum opulenta:* honores (τιμαί) sunt dona uel munera ruris, omne quo rus excellit, fruges poma flores. Serm. II 5 12: *quoscumque feret cultus tibi fundus honores.* Epod. 11 9: *siluis honorem decutit.* Tacitus Germ. 5: *ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis.*

16. *cornu:* 'cornu uidetur significare Fortunae, quod Hercules detractum Acheloo uictor dicitur donasse Fortunae, idque etiam uulgo cornu copiae dicitur'. Porphyrion.

17. *reducta ualle:* in recessu uallis per quam Digentia fluit. Epod. 2 11: *in reducta ualle mugientium prospectat errantes greges. Sinus reducti* Vergil. Georg. IIII 420.

18. *fide Teia:* carmen amatorium cantabitur ad lyram, quale olim adhibuit Anacreon Teio Asiae oppido ortus carminibusque amatoriis notus.

19—20. *laborantis — Circen:* cantabis quanta aegrimonia Circe Vlixem abeuntem dimiserit, quanto

hic innocentis pocula Lesbii
duces sub umbra, nec Semeleius
cum Marte confundet Thyoneus
proelia, nec metues proteruum

suspecta Cyrum, ne male dispari
incontinentis iniciat manus
et scindat haerentem coronam
crinibus inmeritamque uestem.

21. lesbi *G.* 22—24. nec — proelia *Seruius ad Verg. Georg.* II 455. 22. semelius *A.* 23. confundat *sed corr* confundet (*num manu secunda non liquet*) *A.* 24. Proelia *H:* Pręlia *G*, Prelia *B*, p̄lia *A.* metuas *H.* 25. cirum *H.* ne *BGH:* nec *A.* 26. ĩ͗tinentis *A:* incontinentes *BGH.* 27. scindit *A.* herentem *BGH.* 28. inmer. *BG:* im̃er. *A*, immer. *H.*

desiderio Penelope absentem expetierit. *Laborantes* est πόνον ἔχουσαι, neque pertinet ad ipsum amorem, sed ad laborem amantis animi et desiderium non expletum. *Vitrea* est *caerulea*, a colore *uitrei* ponti (IIII 2 3), quo circumfluitur Circes insula; cf. Epod. 13 16: *mater caerula* (Thetis). Statius Silu. I 3 85: *cedant uitreae iuga perfida Circes.* Idem I 5 15: *ite, deae uirides, liquidosque aduertite uultus, et uitreum teneris crinem redimite corymbis:* Vitream Circen post Penelopen memorat, ut mulieres natura diuersas amore insignis uiri arsisse significet.

21—22. *innocentis pocula Lesbii duces:* Lesbium dulcedine praestat; Athenaeus I pag. 28 E. cap. 51—52, II p. 45 E, IIII p. 129 D. Hinc Lesbos insula εὔοινος apud Athen. XIII p. 598 C. ἐρισταφυλος III p. 92 E. Conf. Aristoteles Gellii XIII 5: *Rhodium et Lesbium oppido bonum, sed ἡδίων ὁ Λέσβιος.* *innocens:* quod sine noxa bibitur; *duces* pingit securitatem bibentis et largam appositi uini copiam.

22—24. *nec Semeleius — proelia:* sese non inmoderate potaturum neque rixaturum esse aut certantes ad uina adhibiturum pollicetur. *Thyoneus:* est cognomentum Bacchi a furendo (θύειν) impositum; hinc Bacchi mater Θυώνη, cf. Apollodorus III c. 4 § 3 et c. 5 § 3. Pausan. II 31 2.

24—28. E regione ponit iniurias a Cyro amatore in urbe ferendas, quo facilius puellam eliciat.

25. *suspecta:* laesae fidei suspecta importuni hominis iras magis timere debet. *male dispari:* minime pari ad defendendum Cyrum. Conf. Serm. I 3 31: *male laxus*; ibid. 45: *male paruus — filius;* Serm. I 4 66: *rauci male.*

26. *incontinentis:* incontinentes propter suspitionem et amorem in uino erumpentem.

28. *inmeritamque uestem:* in calumniando aemulo paulatim assurgens graui Cyri crimine concludit poema, dum ipsum non modo proteruum, sed etiam stolidum et incogitantem describit, cuius rabies in uestem nihil mali meritam se conuertat. Cf. Epl. I 14 12: *locum inmeritum.* Cyrus praeterea memoratur I 33 6.

XVIII.

Nullam, Vare, sacra uite prius seueris arborem
circa mite solum Tiburis et moenia Catili.

Ad Varum Quintilium. Metrum coriambicum ex spondeo, tribus coriambis et pirricho uel iambo siue phaleucium *A*. Pragmatice monocolos ad Varum *B*. Alloquitur Varum Quintillum de uitibus, summam dicens uini, sed cum modo holuptatem *H*.

1. *Diomedes et Mar. Victorinus l. c., Terentianus Maurus u.* 2717. sacraui te *A*. 2. tyburis *BG*. menia *G*. cathili *B*, cathilli *GH*, catthilli *A*.

Carm. XVIII. Prooemium. *Bacchi munera, Vare, magnum rebus humanis adiumentum afferunt: inmodice sumpta multis malis nos affli- ctant.* (Metrum 2)

Missum est hoc poema ad Quintilium Varum, locupletem poeticae uirtutis iudicem (AP. 438 sqq.), quem anno 730 (ante Chr. 24) mortuum defleuit carmine uicesimo quarto huius libri. Etiam hos uersus non diu ante mortem Quintilii factos esse putauerim; quae coniectura nititur uerbis (u. 14—16): *quae subsequitur caecus amor sui, et tollens uacuum plus nimio gloria uerticem, arcanique fides prodiga, perlucidior uitro.* Haec me iudice respiciunt illustrem Vergilii Quintiliique amicum *nimio mero* pessumdatum, dico *Cornelium Gallum* poetam Foroiuliensem, qui anno 728 accusatus et senatus consulto ad mortem damnatus gladio suo occubuit. Gallo uitio dabatur inter uina Augusti arcana prodidisse et superbius de suis rebus locutum esse. Ouid. Trist. II 445: *fuit obprobrio — linguam nimio non tenuisse mero;* Amor. III 9 63: *tu quoque, si falsum est temerati crimen amici* cet. Hoc illud est ab Horatio in extremo uersu significatum. Idem Gallus Aegypto praefectus tota prouincia statuas suas posuit et res gestas pyramidibus inscripsit. Dio LIII 23. Hic est *caecus amor sui*. Non minus Gallo nocuit gloriandi insolentia, de qua diligenter a Dione l. c. relatum est. Adde Suetonii Aug. 66. Eo uidetur spectare paenultimus huius carminis uersus: *et tollens — uerticem.* Itaque Horatius quae nuper acciderant generatim eloqui et exornare sic suscepit, ut haec etiam ab illis percipi possent, qui de Gallo non cogitarent. Numeros choriambicos, iam a Catullo (30) temptatos, suppeditauit Alcaeus, cuius hic uersus ab Athenaeo X p. 430 C affertur: μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδριον ἀμπέλω. Vltra tamen Alcaeum non uidetur imitatus esse, ut parebit comparantibus eiusdem carminis reliquias in fragmento 39 a Bergkio (Poetae Lyr. Gr.) p. 715 collocatas. Diomedes III 35 18 metrum *Sapphicum heccedecasyllabum*, III 34 22 *Archilochium* nominauit.

1. *Nullam — uite prius seueris arborem:* in adhortatione per negantem uocem illata perfectum coniunctiui praesente fortius uoluntatem suadentis eloquitur, ut I 11 1: *tu ne quaesieris. Arborem* cum *uite* poeta recte composuit, quod uites more uetere in arboribus numerabantur. Gaius Comment. IIII § 11: *unde cum qui de uitibus succisis ita egisset, ut in actione uites nominaret, responsum est eum rem perdidisse, quia debuisset arbores nominare, eo quod lex XII tabularum, ex qua de uitibus succisis actio conpeteret, generaliter de arboribus succisis loqueretur.* Plinius NH. XIIII 1: *uites iure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. Sacra* uitis nominatur, quod est in tutela Bacchi ad homines iuuandos; u. ad u. 3. Ennius Charisii II 18 22 p. 214 in Athamante: *his erat in ore Bro-*

siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
quis post uina grauem militiam aut pauperiem crepat?
quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
at ne quis modici transiliat munera Liberi,

5. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 738, *Nonius* p. 255 19. miliciam *BH.* crepat *A*ς *Blandinii Nonius:* increpat *B* (in *al. m. punctis subnotatum*) *GH,* crepet *Seruius.* 6. pocius *H.* bache *BG.* 7. At ς (*Blandinii*): Ac *ABGHgω.* tr̄sileat *A.*

mius, his Bacchus pater, illis Lyaeus, uitis inuentor sacrae.

2. *et moenia Catili:* est epexegesis uerborum *mite Tiburis solum,* in quo Vari uilla, cuius reliquias sibi agnouisse uisus est Fea prope Tibur in loco et parietinis quibus nomen *Quintigliolo. Catilum* pro uulgato *Catillo* ausus est Horatius: hoc apud Vergilium Aen. VII 672 et Silium IIII 225, VIII 366. Primam syllabam corripuit Statius Silu. III 3 100: *Alciden dictumque lyra maiore* (Horatii lyram dicit) *Catillum.* Conf. Lachmannus ad Lucret. I 360 p. 36. De re Solinus c. 2: *Tibur, sicut Cato facit testimonium, a Catillo Arcade praefecto classis Euandri, sicut Sextius, ab Argiua iuuentute. Catillus enim Amphiarai filius post prodigialem patris apud Thebas interitum — tres liberos in Italia procreauit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulsis ex oppido* (Tibure) *incolis ueteribus Sicanis, a nomine Tiburti fratris natu maximi urbem uocauerunt.* Plinius NH. XVI 87 (44): *apud eos* (Tiburtes) *extant ilices tres, etiam Tiburto conditore eorum uetustiores —. Fuisse autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit una aetate ante Iliacum bellum.* Seruius ad Vergil. Aen. VII 670: *de Graecia tres fratres uenerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tiburtus. Hi simul omnes unam fecere ciuitatem et eam de fratris maioris nomine Tibur appellauerunt.*

3. *siccis:* contrarium est *uuidus;* IIII 5 39: *dicimus integro sicci mane die, dicimus uuidi, cum sol Oceano subest.* Epl. I 19 9: *forum Putealque Libonis mandabo siccis.*

omnia dura deus proposuit: deus non est Bacchus, sed qui regit uitam et res hominum, ipse Iuppiter; *omnia dura* (*lauter Hartes*): quaecumque moliuntur, non sine labore faciunt, atque hoc numine deorum sic institutum est. III 21 13: *tu* (testa uini) *lene tormentum ingenio admoues plerumque duro.* Haec et proxima respexit Horatius Epl. I 19 10. Collocatio uerborum *siccis omnia nam* Graeca est; cf. Epod. 17 45: *et tu, potes nam, solue me dementia.*

4. *mordaces — sollicitudines:* II 11 17: *edaces curae,* apud Graecos δακέθυμοι, θυμοβόροι.

5—6. Vuidis faciliora omnia reddi et prompta ostendit.

5. *post uina:* post benignam compotationem; numerus multitudinis copiam denotat. Sic *inter uina* III 6 26 et Epl. I 7 28; *ad uina* IIII 5 31. *grauem militiam aut pauperiem crepat:* quis de graui militia aut pauperie intentius tamquam de rebus iniucundis loquitur? Crepare dicitur qui uoce elata rem sibi gratam aut ingratam saepius effert. Epl. I 7 84: *uineta crepat mera.*

6. *decens Venus:* decens est χαρίεσσα, contrarium grauis militiae, ut I 4 6: *decentes Gratiae.*

7. *at ne quis — Liberi:* ad alteram partem carminis et contrariam accedit per particulam aduersatiuam. Plurimi quidem codices praebent *ac,* et hoc amplexus est Bentleius. Sed particulae *ac* locus est, ubi nouum

Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
debellata, monet Sithoniis non leuis Euhius,
cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
discernunt auidi. non ego te, candide Bassareu,
inuitum quatiam nec uariis obsita frondibus

8. lapitis *A*. 9. sythoniis *BH*. euhius *BG*: euhyus *A*, euchius *Hg*. 11—12. non ego — quatiam *schol. Persii* I 101. 11. candidi *A*. bassareu *H*, bas sareu *B*, basareu *G*, basar eu *A*. 12. opposita *A*.

prioribus adiungitur, non ubi contrarium sequitur cum graui admonitione, ueluti III 7 21: *at tibi ne uicinus Enipeus plus iusto placeat caue;* I 28 23: *at tu, nauta, uagae ne parce malignus arenae.*

transiliat munera Liberi: transilire temerarii est et inpii: Carm. I 3 24: *inpiae non tangenda rates transiliunt uada. Munera Liberi:* quae Liber donat et muneri destinat: quae supra sunt, deo inuito fiunt. *Liber* Latinus deus, cui respondet *Libera*, a poetis adaequatus est Dionyso siue Baccho Graecorum.

8. *Centaurea — cum Lapithis rixa:* obserua Latinam collocationem uerborum, qua uerba pendentia *cum Lapithis* media intercedunt iis, unde apta sunt; cf. I 1 31: *Nympharumque leues cum Satyris chori.*

8—9. *super mero debellata: super mero* proprie dictum accipe, ut super mero humi effuso corpora Centaurorum Lapitharumque sternerentur et funera super *mero* iacerent. Sic *super foco* I 9 5, *super ceruice inpia* III 1 17, *super Pindo* I 12 6, *campis atque Neptuno super* Epod. 7 3. Quod Orellius explicat *de mero, propter merum*, pedestris foret sermonis, et pugnat cum tradita fabula. Cf. Hom. Odyss. φ 295. Ouidius Metam. XII 169. *Debellata:* praepositio intendit uim significationis. Conf. ad I 7 13.

9. *monet Sithoniis non leuis Euhius: monet* praecipua notio per anaphoram apte repetitur. De Sithoniorum Thracum regione Herodotus VII 122. Sithonii, Bisthones, Edoni nominantur tamquam in merum nimii: Thraces enim (I 27 1) inmoderati et uino dediti, quibus Bacchus intemperantiae poenam rixas et caedes immittit. De forma *Euhius* cf. ad II 11 17.

10. *exiguo fine libidinum: ut exiguus sit finis* inter fas et nefas, qualem libidines seruant, quae plerumque nihil seruant curantque.

11. *auidi* (*mit Hast*): h. e. libere appetentes quaecumque cupiunt. Cf. I 28 18: *auidum mare;* III 4 58: *auidus Vulcanus;* Serm. II 3 151: *auidus heres.*

11—13. *non ego — rapiam:* ebrium qui tacenda proloquitur, adaequauit ei qui arcana Bacchi audeat euulgare, ut appareat quantum fugienda sit uini intemperantia.

11. *candide Bassareu:* Bassareus cognomentum Bacchi, cuius causa et origo uarie explicatur. Scholia Persii I 101: *Bassaris ipsa Agaue, a qua Bassarides omnes bacchae dictae sunt; — quibusdam uidetur, a genere uestis, qua Liber pater utitur, demissa ad talos, quam Thraces bassarin uocant. Quidam a uulpibus, quarum pellibus bacchae succingebantur, et lyncum pantherarumque pellibus.* Similia scholia ad Horatii uerba; cf. Lobeckii Aglaopham. p. 293.

candidus: candidum dicit libere loquentem quae sentit, ut Epod. 14 5. Poetice dicitur *quatere deum inuitum,* qui ueracitate in uinis solita abutitur, ducto loquendi genere a bacchis thyrsum quatientibus.

12. *uariis obsita frondibus:* dicit mysteria et arcana Bacchi cistis clausa et frondibus obsita. Ea ex aedibus aut cistis sacris sub diuum rapere est hominis insanientis.

sub diuum rapiam. saeua tene cum Berecyntio
cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui,
et tollens uacuum plus nimio gloria uerticem,
arcanique fides prodiga, perlucidior uitro.

13. seua *BGH.* cumbere cinthio *H.* berecinthio *ABG.* 14. tymphana *GH*, tĭphana *B e correctione.* cecus *GH*, *om A.* 15. *Seruius ad Aen.* VIIII 633. Extollens *Gς*, Attollens *nonnulli et Seruius*, nimia *A.* 16. Archanique *BGH* (*in H* Archanaque *correctum ead. m.* Archanique). uitro] ultro *A.*

13—14. *saeua tympana:* deprecatur instrumenta fanaticorum inter uina adhibenda, ut quibus animi in superbiam et iactationem et ad fidem laedendam impellantur. Cornu Berecyntium est tuba Phrygia, uocata a Berecynto monte Phrygiae, ubi Cybele colebatur. Eiusdem sunt tympana. *Saeua,* quod saeuos et uehementes affectus excitant.

14. *caecus amor sui:* de his dictum in Prooemio. *gloria:* gloriandi libido; cf. Prooem.

15. *tollens uacuum plus nimio uerticem:* uino calidi qui gloriantur, plerumque rebus leuibus a se gestis nimium tribuunt, hoc est illud *uacuum* tollunt uerticem. *Nimio plus* noue dictum ad analogiam *iusto plus, aequo plus.* Apud Plautum Mil. glor. II 6 104 est *plus multo.*

16. *arcanique fides prodiga:* tertium ebrietatis malum est quod arcana produntur. Laesam fidem noue uocauit *fidem prodigam arcani;* cf. III 24 59: *fides periura,* et annot. ad I 12 38. Prouerbium Graecorum τὸ ἐν καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῇ γλώσσῃ τοῦ μεθύοντος meminit Schol. Platonis p. 960 ed. Orellianae. Conf. Prooem.

perlucidior uitro: in qua omnia conspicua, ut in uitro et speculo. Dicendum restat de neglecta diaeresi (non *caesura*) in fine prioris partis Choriambici uersus (× – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒). Nam cum Graecorum exemplaria hunc uersum ita haberent, ut post secundum Choriambum aut diaeresin admitterent, sic × ⏓ –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒, aut caesuram in principio alterius ordinis, sic × ⏓ –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – –́ | ⏑ ⏑ – ⏑ –, aut denique utramque neglegerent, Horatius seueriorem legem secutus post utrumque choriambum diaeresin uoluit esse, eo tamen admisso temperamento, ut in commissuram uocabuli compositi diaeresis cadere posset. Id nunc usu uenit *arcanique fides prodiga per|lucidior uitro.* Item in breuiore uersu choriambico (× – –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒) II 12 25: *dum flagrantia de|torquet ad oscula.* Eodem pertinet IIII 8 17: *non incendia Karth|aginis inpiae,* ut suo loco monstrabitur.

XVIIII.

Mater saeua cupidinum
Thebanaeque iubet me Semeles puer

et lasciua Licentia
finitis animum reddere amoribus.

Ad puerum suum de glycerea meritrice. Metrum glyconium primus uersus, secundus asclipiadeus *A*. Pragmatice. Dicolos Glicerae *B*. Ad euerum (*puerum*) suum de Cliceri amore. Erotice dicolos *H*.

1. *Diomedes l. c.* seua *BGH*. 2. thebaneque *B*. iubent *A*. semeles ς *Acron Cruquii commentator:* semelae *GH corr Bω,* semele *pr Bg,* semel ea *A*. o puer *A*. 3. licencia *B*.

Carm. XIX. Prooemium. *Glycerae nitor me impulit, ut ad finitos amores redirem. Saeuo subiectus imperio Scytharum et Parthorum arma dicere non possum, sed sacris factis Venerem lenire studeo.* (Metrum 5)

Occasio carminis explicatur comparatis uerbis ex I 34 13: *ipsum me melior cum peteret Venus, grata detinuit compede Myrtale.* Nimirum *melior Venus,* quae Flaccum petebat, est honestae puellae in matrimonium ducendae conditio, quam accipere et amores finire ipse aliquamdiu inclinauit. Quod cum animo uolueret, teneram puellam tunc oblatam nomine *Lalages* bis cecinit, primum quinto carmine libri secundi, tum uicesimo secundo libri primi. Verum enim uero quod bene coeptum erat, mox cecidit interuentu Cinarae, formae illecebris poetam adeo uincientis, ut consilium ante initum Flaccus omitteret. Id ille primum in Epodi 14 fine Maecenati confessus est, tum in hoc carmine excusauit, mox in tricesimo quarto Tibullo narrauit. *Mutatum* consilium in hoc carmine quarti uersus uerba profitentur: nam *finitos amores* caue accipias de uenere omittenda, quod in hoc poeta triginta sex annos tunc nato nemo crediderit. Reddit igitur animum amoribus paulo ante certam ob causam finitis, quae causa ex I 34, collatis odis I 22 et II 5, perspicitur. *Cinaram* esse (sic suo nomine meretricem a se amatam uocauit Horatius, ubi illa ex uiuis excessit ac ueri nominis tacendi causa abiit, IIII 1 4, 13 21; Epl. I 7 28, 14 33), quae *Glycerae* nomine in hoc carmine celebratur, plura sunt quae prodant. Primum syllabarum ratio in ficto nomine et uero concordat, tum regium imperium, quod Horatius IIII 1 4 Cinarae assignauit, in Glycera describitur et hoc loco et I 30 et III 19; praeterea primum huius carminis uersum repetiuit IIII 1 4 eo in loco, ubi de regno Cinarae mentionem iniecit. Non aliam esse *Myrtalen* I 34 14, item *Phrynen* in Epodo 14 extremo nominatam suo loco monstratum est.

Tempus carminis compositi definire poterimus ex his uerbis (u. 10): *nec patitur Scythas et uersis animosum equis Parthum dicere, nec quae nihil attinent.* Quae qui referunt ad Scythas et Parthos a Romanis debellandos, uerbis uim faciunt: nam Romani nulla uoce significantur. Immo arma dicit a Scythis Asiae aduersus Parthos a. 724 illata, quibus Prahates, a Teridate ante regno suo pulsus et profugus ad Scythas, in regnum restitutus est, Teridates autem Arsacidarum solio deiectus ad Octauianum in Syriam confugit. Dio LI 18. Iustinus XLII 5, cuius error, cum scribit *Teridates — cum magna amicorum*

urit me Glycerae nitor
splendentis Pario marmore purius;

urit grata proteruitas
et uultus nimium lubricus aspici.

in me tota ruens Venus
Cyprum deseruit, nec patitur Scythas

et uersis animosum equis
Parthum dicere, nec quae nihil attinent.

5. glicerae *BG*, glicere *H*. 7. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 2 14. 8. aspici *ABGH*. 10. scytas *G*, scithas *BH*. 11—13 *et* 15 *om* A. 11. et uersis] et *om B*, auersis *tres Blandinii*. 12. Partum *pr B pr G*. nichil *BH*. attinet *unus Blandinius*.

manu ad Caesarem, in Hispania *bellum tunc temporis gerentem* pro in *Syria* ex Dione singula longe diligentius narrante corrigendus est. Illarum rerum nuntius principio anni 725 Romam perlatus est. Dio LI 20. Hinc intellegitur hoc poema scriptum esse anno 725 uel ante Chr. 29.

1. *mater saeua cupidinum:* falso scribunt *Cupidinum:* nam Cupidinem unum edidit Venus, *mater autem cupidinum* uocatur, quod amoris cupidines excitat; *saeua* quae saeuo imperio dominatur. De hoc uersu IIII 1 5 repetito cf. Prooem.

2. *Thebanaeque — Semeles puer:* uino indulgens incuriose amore magis incendor. Bacchum Amoris et Veneris comitem alloquitur Anacreon apud Dionem Chrysost. Orat. II § 62 (fragm. 2): *ὦναξ, ᾧ δαμάλης Ἔρως — πορφυρέη τ' Ἀφροδίτη συμπαίζουσιν.*

3. *lasciua Licentia:* tertia amandi causa accedit liberius uiuendi genus. Imitatus uidetur Claudianus de Nuptiis Honorii u. 78: *hic* (in comitatu Veneris) *habitat nullo constricta Licentia nodo.* Catullus fere idem *otii* nomine expressit 51 13: *otium, Catulle, tibi molestum est: otio exultas nimiumque gestis.*

4. *finitis — amoribus:* amores finiti uidebantur, cum Flaccus uxorem ducere destinasset; cf. Prooem.

5. *urit me Glycerae nitor:* praecipua notio *urit* mox per anaphoram repetitur, perinde ut *monet — monet* I 18 8, *pone — pone* I 22 17.

6. *Pario marmore purius:* dictum de candido puellae colore, quod Parium marmor candore praecellit. Vergilius Georg. III 34, Aen. I 593.

8. *lubricus aspici* (*σφαλερὸς θεάσασθαι*): structura Graeca est; cf. ad I 1 18; qui aspicit uultum eius, tam facile labitur, quam qui incedit in uia lubrica. Excusat inconstantiam suam et mutatum consilium; cf. Prooem.

10. *Cyprum deseruit:* quod in me sese totam coniecit, insulam natalem et sedem prae ceteris dilectam deseruit.

10 — 12. *Scythas — Parthum dicere:* conf. Prooem.

11—12. *uersis animosum equis Parthum:* Parthum uel in fuga audacem timendumque. II 13 17: *perhorrescit — miles sagittas et celerem fugam Parthi.* Vergilius Georg. III 31: *fidentemque fuga Parthum uersisque sagittis.* Propertius III 9 54: *Parthorum astutae tela remissa fugae.* Tacit. Ann. VI 35: *Parthus sequi uel fugere pari arte suetus.*

12. *nec quae nihil attinent:* quaeque alia a me aliena sunt; obscure, sic enim uoluit, res gestas Caesaris Octauiani signauit.

hic uiuum mihi cespitem, hic
uerbenas, pueri, ponite turaque
bimi cum patera meri:
mactata ueniet lenior hostia.

13. cespitem *BGH.* 14. turaque *AHg pr B:* thuraque *G.* 16. hostia] *in A superpositum est* '*uel agnus*'.

13—16. Post impatientis amoris descriptionem poeta redit ad suam consuetudinem et praecepta: quippe ipse modi in omnibus rebus studiosus etiam suae cupidinis lenimentum quaerit hostia mactata ad placandam Venerem.

13—14. *uiuum mihi cespitem — ponite:* cespitem ponendum praecipit, qui arae uice fungeretur; *uiuum:* ex uirentibus herbis factum. Tacitus H. IIII 53: *tum Heluidius Priscus — lustrata suouetaurilibus area et super cespitem* (= aram) *redditis extis* cet.

14. *uerbenas — turaque:* haec praecipue Veneri offerebantur. Vergilius Aen. I 416: *ubi* (Paphi) *templum illi, centumque Sabaeo ture calent arae sertisque recentibus halant.* De *uerbenis* u. ad IIII 11 7.

15. *bimi cum patera meri:* sic uetusto more solitum. Festus s. u. *spurcum: spurcum uinum est, quod sacris adhiberi non licet, ut ait Labeo Antistius l. X commentarii iuris pontificii, cui aqua admixta est defrutumue.* Tibullus IIII 6 14: *ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.* Haec scribit in uilla sua duobus annis ante accepta (723); *bimum* uinum intellegas anno ante conditum, quo signo colligitur hoc poema aestatis tempore, certe ante uindemiam factum esse, cum *hornum* uinum nondum suppeteret; cf. ad I 31 2.

16. *ueniet lenior:* non tota Venus, ut adhuc factum est, in me *irruet*, sed lenior mitiorque mihi ueniet. Non recte Porphyrion et ceteri scholiastae: 'Veneri scilicet mactata hostia, Glycera lenior ueniet; de qua bene hoc dictum est, quia proteruam eam esse iam dudum ostenderat'.

hostia: quod Acron annotauit, 'quae (Venus) non placatur sanguine', hoc perpetuum non fuit; lege Taciti H. II 3: *hostiae, ut quisque uouit, sed mares deliguntur* (Veneri Paphiae): *certissima fides haedorum fibris. Sanguinem arae offundere uetitum: precibus et igne puro altaria adolentur.* Frustra Venerem *expertem sanguinis* ex Catulli carmine 66 90 sumpsit Orellius, falsam scripturam secutus. Martialis IX 90 16: *et cum ture meroque uictimaque libetur tibi candidas ad aras, secta plurima quadra de placenta.*

XX.

Vile potabis modicis Sabinum
cantharis, Graeca quod ego ipse testa
conditum leui, datus in theatro
cum tibi plausus,

Saphicum ad Maecenatem *A*. Pragmatice ad mecenatem inuitatum ad uinum ab ipso *B*. Prosphonetice Mecenatem ad cenam inuitat *H*.
1. *Diomedes l. c.* 2. cantaris *ABH*. greca *BGH*, gca *A*.
3. eleui *Gς*. teathro *A*.

Carm. XX. Prooemium. *Potabis apud me, Maecenas, uile Sabinum, sed diligenter conditum et tempore tibi laeto repositum. Nobilia uina, quae domi tu bibes, mihi desunt.* (Metrum Sapphicum)

Diem quo aliquot annis ante Maecenas e graui morbo conualuerat, ut festum celebraturus amicum inuitat, ac sese uino non pretioso, sed huic festo unice apto grati temporis memoriam recolere uelle pollicetur. Mentio uini Sabini a poeta conditi ostendit Maecenatem in uilla Sabina expectari.

Tempus odae sic potest definiri. Kalendis Martiis anni 724 trunco arboris collabentis paene sublatus est Horatius: III 8 9. Eodem anno Maecenas graui morbo laborauit ac feliciter conualuit: II 17 22—29. Vinum tunc oblitum iustam temperiem quattuor annis assumpserit, ut Maecenas posset potare: I 9 7. Itaque ad annum urbis 728 (a. Chr. 26) deducimur, quo Caesar Augustus in Hispania uersatus est, in urbe Marcus Agrippa et Marcus Marcellus hominum oculos in se aduerterunt. Quapropter non solum Maecenatem, sed etiam ceteros ciues, ad quos horum uersuum notitia perueniret, Horatius admonuit eius temporis, quo summis rebus ille praepositus tam iuste egerat, ut salus eius ab omni populo magna cum laetitia celebraretur.

1. *uile potabis — Sabinum: uile* uinum non est malum, sed quod paruo pretio constat (*wohlfeilen Sabiner*). Esse uile uinum a Maecenate mox bibendum statim ab initio professus est, ut proxime pretium eiusdem a solito diuersum et eximium celebretur. Meinekius Sabinum febricitantibus utile memorari dicit, quod Maecenas fere quartana laboraret. Hoc si uoluit Horatius, dilucidius efferre debuit.

2. *cantharis:* pocula binis ansis praedita et magna uocantur canthari, quos a Cantharo figulo nominatos esse refert Pollux VI § 96. Adde Athenaei XI p. 474 D et E, p. 488 F. Macrobius Saturn. V 21: *scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus.* Plinius XXXIII 53 (11): *C. Marius post uictoriam Cimbricam cantharis potasse Liberi patris exemplo traditur, ille arator Arpinas et manipularis imperator.* Vergilius de Sileno Ecl. 6 17: *et grauis attrita pendebat cantharus ansa.* Horatii canthari non nimis magni sed *modici* fuere. Itaque largam uini copiam (eo spectat etiam *potabis*), sed tamen non inprobam promittit Maecenati. *Graeca — testa:* quod naturae uini deest pretium, id ei conciliauit diligentia et cura possessoris, etiam momentum temporis quo conditum est. *Graeca testa:* 'quod in amphoram Graecam miserit, ut inde aliquid traheret suauitatis'. Acron. Chii uini uel Lesbii amphoram dixit.

3. *leui:* leuit testae corticem pice aut resina constrictum. Contrarium III 8 9: *hic dies corticem adstrictum pice dimouebit* (= relinet) *amphorae.*

3—8. *datus in theatro — montis imago:* haec in illustri loco po-

care Maecenas eques, ut paterni
fluminis ripae simul et iocosa
redderet laudes tibi Vaticani
montis imago.

5. Kare *H*, *ceteri* Care: Clare *codex regiae societatis Londinensis.* mecenas *BGH*. 6. et iocosa. simul *A*. 8. Fontis *G in loco correcto*.

sita prae ceteris ita eminent, ut in his finem carminis agnoscamus; cf. Prooem.

3—4. *datus in theatro cum tibi plausus:* theatrum dicit Pompei, in campo Martio ad circum Flaminium, in nona regione non procul ab amne Tiberi situm, aut illud, quod Statilius Taurus a. 724 in campo Martio aedificauerat (Dio LI 23): theatrum Balbi et Marcelli demum a. 741 a Balbo et Augusto dedicatum est. Conf. Beckeri Enchirid. Ant. Rom. I p. 678.

5. *care Maecenas eques:* alloquitur hominem et sibi *carum* et populo Romano. Suam caritatem proxime ostendit, amorem populi demonstrat in subsequentibus. Tum uerbo (eques) tangit moderationem Maecenatis intra equestrem dignitatem se continentis (*theurer Maecenas, du Ritter*); cf. ad I 1 1. De ceteris alloquendi formulis ab Horatio ad Maecenatem scribente positis dictum ad Serm. I 5 27. Bentleius interpolatum *clare* ex uno libro recepit.

5—6. *paterni fluminis ripae: paternum* Maecenatis flumen Tiberim uocat ut terminum ueteris regni Etruscorum, unde ortus est Maecenas (u. ad Carm. I 1 1). Liuius I 3: *pax ita conuenerat ut Etruscis Latinisque fluuius Albula, quem nunc Tiberim uocant, finis esset.* Vergil. Aen. II 781: *ubi Lydius — leni fluit agmine Tibris.* Paulo aliter explicandus est *Tuscus alueus* III 7 28. Ripae dextri fluminis celsiores sunt (Carm. I 2 14) et prope iacet Ianiculus mons, unde uocis repercussus. Structura est: *ut ripae laudes redderent tibi et simul Vaticani montis imago redderet.*

6—8. *simul et Vaticani montis imago:* Vaticanus item in altera Tiberis ora paulo magis a theatro Pompei septentrionem uersus situs est: hinc *et simul.* Audita est igitur propior echo et remotior. *iocosa — imago montis:* echo, quae proprie *uocis* imago est, nunc *montis* imaginem uocauit, quia uox monti quasi impressa inde recutitur. Conf. ad Carm. I 12 3. *Vatĭcanus* est Horatio: *Vatīcanus* Iuuenali (VI 344: *et Vaticano fragiles de monte patellas*) et Martiali (I 19 2, VI 92 3, X 45 5, XIII 48 14). Conf. Lachmann. ad Lucret. I 36 p. 37.

9—10. *Caecubum — bibes uuam:* non obliuiscendum nobis est hoc poema ex Sabinis in urbem ad Maecenatem missum esse; inde explicatur quomodo *bibes* ualeat *domi bibes* uel *in urbe bibes*. Est futurum coniectantis: *du wirst* (zu Hause) *wohl trinken.* Sollerter poeta quattuor uina generosa, quae sibi deesse fatetur, non deinceps enumerauit, sed uulgarem ordinem deseruit et uarietatem secutus est, dum a Maecenate duo uina domi bibi refert, tum duo nominat his cognata et uicina, quae a sua mensa procul absint. Vinorum nunc laudatorum duo nascuntur in Latio (Caecubum et Formianum), cetera in Campania. De Caecubo Plinius VI 8 (6) § 61: *antea Caecubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu Amyclano, quod iam intercidit et incuria coloni locique angustia, magis tamen fossa Neronis, quam a Baiano lacu Ostiam usque inchoauerat.* Strabo V 3 § 5: τὸ δὲ Καίκουβον, ἑλῶδες ὄν, εὐοινοτάτην ἄμπελον τρέφει, τὴν δενδρῖτιν. Idem § 6: ἔχεται δὲ τοῦ Καιάτου

Caecubum et prelo domitam Caleno
tu bibes uuam: mea nec Falernae
temperant uites neque Formiani
pocula colles.

9—10. Caecubum — uuam *Seruius ad Vergil. Georg.* II 59.
9. Cecubum *B'GH.* p̃lo *BH*, proelo *G*, proelio *eraso* i *A*.
10. tum *Doederlein.* bibes *BBGHω Seruius.* ųuã *A.* falerne *H.*
11. Tenperant *B.* 12. calles *A.*

κόλπου τὸ Καίκουβον, τούτου δὲ Φοῦνδοι, πόλις ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ κειμένη. πάντες δ' εἰσὶν οἱ τόποι οὗτοι σφόδρα εὔοινοι· ὁ δὲ Καίκουβος καὶ ὁ Φουνδανὸς καὶ ὁ Σητινὸς τῶν διωνομασμένων εἰσί, καθάπερ ὁ Φάλερνος καὶ ὁ Ἀλβανὸς καὶ ὁ Στατανός. Martialis XIII 115: *Caecuba Fundanis generosa cocuntur Amyclis, uitis et in media nata palude uiret. Caleno: Calenum* Campaniae uinum non minus generosum a Calibus nominatum. Plinius XIV 8 (6) § 65: *iuncta his* (Statanis) *praeponi solebant Calena et quae in uineis arbustisque nascuntur Fundana.* Carm. I 31 9: *premant Calena falce quibus dedit Fortuna uitem;* IIII 12 14: *pressum Calibus ducere Liberum si gestis.*

10—11. *Falernae — uites:* Plinius XIV 8 (6) § 62: *secunda nobilitas Falerno agro erat et ex eo maxime Faustiano.* Idem ibid.: *Falernus ager a ponte Campano laeua petentibus Urbanam coloniam Sullanam nuper Capuae contributam incipit.* Strabo V 4 § 3: *καὶ μὴν τὸν οἶνον τὸν κράτιστον ἐντεῦθεν ἔχουσι Ῥωμαῖοι τὸν Φάλερνον καὶ τὸν Στατανὸν καὶ Καληνόν.* Hoc uinum (Falernum) prae omnibus Horatius nobilitauit: I 27 10, II 3 8, 6 19, 11 19, III 1 43; Epod. 4 13; Serm. I 10 24, II 2 15, 3 115, 4 19 et 55, 8 16; Epl. I 14 34, 18 91. Tibull. I 9 34: *Bacchi cura Falernus ager.*

11. *temperant:* h. e. miscent, hoc idem quod *implent;* cf. III 24 18.

11—12. *Formiani—colles:* cf. III 16 34: *nec Laestrygonia* (= Formiana) *Bacchus in amphora languescit mihi.*

XXI.

Dianam tenerae dicite uirgines,
intonsum, pueri, dicite Cynthium
Latonamque supremo
dilectam penitus Ioui.

Ad chorum uirginum et puerorum. Metrum duobus uersibus asclepiadeum, tertius ferecratius, quartus glyconius *A*. Hymnus ad cho♃ in dianam et apollinem *B*. Laudes ad chorum uirginum et puero♃. In Dianam et Apollinem *H*.

1. *Diomedes l. c. Seruius ad Vergil. Ecl.* 5 1. 2. cinthiũ *ABH*. 3. lato nãq, *A*.

Carm. XXI. Prooemium. *Vos, uirgines, Dianam, uos, pueri, Apollinem dicite matremque Ioui dilectam, siquidem Apollo uestra motus prece bellum lacrimosum, famem pestemque a populo et principe Caesare in Persas atque Britannos abiget.* (Metrum 19)

Carmen hoc est species παιᾶνος ad pestem auertendam sedandaeque famis gratia in honorem Dianae et Apollinis decantandi, siue re uera cecinerunt uirgines et pueri, ut mihi uidetur factum esse, siue Horatius id fieri finxit. Spectauit famem Italiae et pestilentiam anni 732 (a. Chr. 22), de qua Dio Cassius LIIII 1: πονούμενοι οὖν ὑπό τε τῆς νόσου καὶ ὑπὸ τοῦ λιμοῦ (ἐν τῇ γὰρ τῇ Ἰταλίᾳ πάσῃ ὁ λοιμὸς ἐγένετο καὶ τὴν χώραν οὐδεὶς εἰργάσατο) κτλ. Quibus malis plebes pressa in seditionem paene processit, patres in curia circumsessos coegit, ut dictaturam Augusto decernerent, neque multum abfuit, quin nimio principis fauore ui grassaretur. Eo pertinent uerba (u. 13): *hic* (Apollo) *miseram famem pestemque a populo et principe Caesare in Persas atque Britannos aget.* Eodem enim anno expeditionem in Orientem Augustus parauit, mox exequi coepit (Dio LIIII 6), bellum tamen Parthis inferendum auertit obuium Prahatis regis erga Caesarem obsequium. Hinc explicatur illud *bellum in Persas* (= Parthos) *aget.* Quod etiam Britanni nominantur, inde noli suspicari haec scripta esse a. 727, quo expeditio aduersus Britannos parata est: tunc enim neque pestis fuit nec fames. Immo Britanni tamquam hostes extremi, qui praeter Parthos arma Romanorum inuitarent, nunc memorantur: nam in priore Augusti expeditione, quam in Galliam Hispaniamque fecerat, Britanni sepositi potius quam omissi esse uidebantur.

Quod attinet ad formam carminis, paeanem Proculus (editus apud Gaisfordium post Enchirid. Hephaestionis pag. 419) sic definiuit: ὁ δὲ παιὰν ἔστιν εἶδος ᾠδῆς εἰς πάντας νῦν γραφόμενος θεούς, τὸ δὲ παλαιὸν ἰδίως ἀπενέμετο τῷ Ἀπόλλωνι καὶ τῇ Ἀρτέμιδι, ἐπὶ καταπαύσει λοιμῶν καὶ νόσων ᾀδόμενος.

1. *Dianam — uirgines:* quis hortatur uirgines et pueros, ut carmen in Dianam et Apollinem rite peragant? Est praesul carminis et chori, ὁ ἐξάρχων παιᾶνα. Dianam nouo ritu pro Graecorum Artemide accepit poeta et noua aetas, cum in antiqua theologia Romanorum esset lucis dea et *Iano* mari conueniret, unde nomen eius *dea Iana* et hinc *Diana*.

2. *intonsum — Cynthium:* Epod. 15 9: *intonsosque agitarit Apollinis aura capillos;* III 4 61: *qui rore puro Castaliae lauit crines solutos.* Homero Il. Υ 39 est Φοῖβος ἀκερσεκόμης, apud Pind. P. III 14: ἀκειρεκόμᾳ μιχθεῖσα Φοίβῳ. Nimirum deo florenti semper et uirenti non deci-

uos laetam fluuiis et nemorum coma,
quaecumque aut gelido prominet Algido,
nigris aut Erymanthi
siluis aut uiridis Cragi.

uos Tempe totidem tollite laudibus
natalemque, mares, Delon Apollinis,

5. loetam *B.* coma *BGHω:* comam *Aς Blandinii.* 6. Quaecunque *H.* 7. erimanthy *A,* erimanthi *B,* herimanthi *G,* erumanti *H.* 8. Cragi *ς:* gragi *ABGH.* 10. *Seruius ad Aen.* VIIII 641.

dunt comae, ut illis qui ex ephebis excedunt; cf. Carm. IIII 10 3. Apollon. Rhod. II 708: *αἰεί τοι, ἄναξ, ἄτμητοι ἔθειραι, αἰὲν ἀδήλητοι.* Tibullus I 4 37, II 5 121. Cynthius nunc est pro nomine substantiuo, h. e. *Cynthi incola,* item *Cynthia* pro Diana III 28 12: *celeris spicula Cynthiae.* Aliter III 4 64: *Delius et Patareus Apollo.* De re cf. hymnus Hom. 25: *Λητὼ τέκε (Φοῖβον) κλινθεῖσα πρὸς Κύνθου ὄρος κραναῇ ἐνὶ νήσῳ, Δήλῳ ἐν' ἀμφιρύτῃ.*

3—4. *Latonamque — Ioui:* Latona obiter celebratur ob liberos insignes e se natos. Hymnus Homericus in Apoll. 14: *χαῖρε μάκαιρ', ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα.*

5. *laetam fluuiis et nemorum coma:* nemora et fluuii cordi sunt Dianae ut uenatrici. Hinc *Ἄρτεμις ποταμία* apud Pindarum Pyth. II 7, ubi conf. Boeckhius et Dissenus, *Λιμνᾶτις* Taciti Ann. IIII 43 et Pausan. IIII 4 2. Egregie Catullus 34 7: *quam mater prope Deliam deposiuit oliuam, montium domina ut fores siluarumque uirentium saltuumque reconditorum amniumque sonantum.* *coma* (*κόμη*) pro fronde arboris praeeunte Catullo (12) a Graecis sumpta. Homerus Odyss. ψ 195, Sophocles Antig. 419, Euripides Alcest. 170.

6—8. Loca siluestria uenanti Dianae grata et dicata enumerat, siluis olim a Graecis celebratis patrium Algidum primo loco admiscens.

6. *quaecumque* (coma) — *prominet Algido: prominet* est prostat in uertice Algidi montis, qui non procul a Tusculo. Ibi quercus et ilices: III 23 10: *nam quae niuali pascitur Algido deuota, quercus inter et ilices;* IIII 4 57: *duris ut ilex tonsa bipennibus nigrae feraci frondis in Algido.* Re uera cultam esse Dianam in Algido colligas ex Carm. saecul. u. 69: *quaeque Auentinum tenet Algidumque, Diana.* Quippe Diana uetus Latii numen delubrum habebat in Auentino et Algido.

7—8. *nigris aut Erymanthi siluis:* Erymanthum Arcadiae Dianae sacrum sumpsit ab Homero Odyss. ζ 102. Nigrae siluae sunt, quod pinifer Erymanthus. Hinc IIII 12 11: *nigri colles Arcadiae.*

8. *aut uiridis Cragi:* ad haec repetendum ex proximis non *nigris siluis,* sed nihil nisi *siluis,* quod ut fieri facilius posset, prouisum est interposito nomine *Erymanthi.* Nam Cragus, Lyciae mons, epitheto *uiridis* tamquam fagis et quercubus et platanis obsitus monstratur, dum Erymanthus piceas arbores alit. De Crago Stephanus Byz.: *Κράγος, ὄρος Λυκίας.* Strabo XIIII 3 § 5: *εἶθ' ἑξῆς ὁ Ἀντίκραγος, ὄρθιον ὄρος, ἐφ' ᾧ Καρμυλησσὸς χωρίον ἐν φαραγγίῳ κείμενον, καὶ μετὰ τοῦτο ὁ Κράγος ἔχων ἄκρας ὀκτὼ καὶ πόλιν ὁμώνυμον.* In Crago teste Stephano *θεῶν ἀγρίων ἄντρα* fuere.

9—12. Vbi uirgines chori adhortatus est, ut Dianam et loca Dianae

insignemque pharetra
fraternaque humerum lyra.

hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
uestra motus aget prece.

11. faretra *H*. 13. hē (*h. e.* hinc) bellum *A*. 14. et misero caesare *A*. 15. brittānos *B*. 16. agit *A*.

grata laudent, iam pueros admonet, ut Apollinem et regiones ei dilectas canant.

Tempe: uallis fluuii Penei inter Olympum et Ossam in ora Thessalorum; cf. I 7 4, III 1 24. Ibi cultum esse Apollinem testatur Aelianus VH. III 1. *natalemque — Delon Apollinis* breuiter pro: *Delon natalem sedem Apollinis;* cf. III 4 63: *natalem siluam* (= Cynthum Deli).

11 — 12. *insignemque — lyra:* iunctura simplex est et antiqua, 'tollite laudibus *insignem pharetra fraternaque lyra humerum Apollinis:* nam humerus Apollinis cum laudatur, ipse deus laudatur. De re III 4 60: *numquam humeris positurus arcum. Fraterna* lyra, quod inuentam a se lyram Mercurius Apollini fratri donauit; cf. hymnus Homericus 490 et 499 — 502.

13. *bellum lacrimosum* (*δακρυόεν*): dicit bellum ciuibus dolendum, h. e. bellum domesticum; cf. Prooem. Bellum externum minime auersatur poeta, immo nunc ipsum suadet.

13—14. *hic miseram famem pestemque:* quod Apollo uult, Diana non prohibet, immo iuuat, quandoquidem eadem uis est in utroque numine. Hinc in clausula poematis de uno Apolline loquitur, quod huius in auerruncandis malis praecipuae partes erant. Pausanias VIII 41 § 5: *τὸ δὲ ὄνομα (τοῦ Ἐπικουρίου) ἐγένετο τῷ Ἀπόλλωνι ἐπικουρήσαντι νόσῳ λοιμώδει, καθότι καὶ παρ' Ἀθηναίοις ἐπωνυμίαν ἔλαβεν Ἀλεξίκακος, ἀποτρέψας καὶ τούτοις τὴν νόσον.* Dicit famem pestemque anni 732; cf. Prooem.

a populo et principe Caesare: Romanum populum intellegi adiuuat additum *principe Caesare*. De *principis* nomine u. Prooemium carm. I 2.

14—15. *in Persas atque Britannos:* ad ueterem morem populi Romani gentes nondum subactas pro hostibus habet. *Persae* sunt Parthi, ut I 2 22. Duobus modis Apollo Romanis placatus hos iuuabit: primum pestem famemque depellet, tum isdem miseriis hostes populi Romani affliget. De rebus a Flacco significatis conf. Prooem.

XXII.

Integer uitae scelerisque purus
non eget Mauris iaculis neque arcu,
nec uenenatis grauida sagittis,
Fusce, pharetra,

siue per Syrtis iter aestuosas
siue facturus per inhospitalem

Ad Fuscum. Metr̄ saphicum endecasillabum, quartus adonius *A*. Ad amaristium fuscum. Laus innocentiae *B*. Ad Aricium Fuscum. Laus inn. *H*. *Omisit hanc oden Diomedes* III 35.
1. celerisque *G*. 2. mauris *ABGH Blandinii:* mauri *ς*. neque *AGς:* nec *BHς*. 4. pharethra *G*. 5. syrtis *BGς:* sirtes *A*, syrtes *H*. estuosas *G*. 6. sū (*h. e.* siue, *non* sum) *A*.

Carm. XXII. Prooemium. *Bonus et innocens uel periculosa loca tutus potest adire, quod magno documento ipse nuper expertus sum. Iam uel in terra non habitabili durare et Lalagen meam cantare posse mihi uideor.* (Metrum Sapphicum)

Lalagen non esse meretricem, sed honestam puellam, de qua in matrimonium ducenda Flaccus aliquamdiu cogitauit, tum ex carmine libri secundi quinto, ubi eiusdem mentio facta est, tum ex illis apparet, quae ad I 19 exposita sunt. Itaque nunc cecinit caram sibi uirginem, quam interiecto aliquo tempore uxorem ducere, quacum in Sabinis montibus suauissime uiuere destinauerat, laetus sua innocentia et meliorem Venerem, quae ipsum petebat (I 33 13), non sine gaudio uenientem expectans. Hoc consilium abiecerat, cum scripsit carmen I 19, quod factum esse a. 725 supra uidimus. Itaque poema, de quo nunc loquimur, anno urbis 724 (a. Chr. 30) assignare licebit.

1. *Integer uitae scelerisque purus:* structura ad exemplar Graecorum ὁ ἁγνὸς τοῦ βίου καὶ καθαρὸς τῆς πονηρίας. Serm. II 3 220: *integer est animi?* Vergil. Aen. VIIII 255: *integer aeui Ascanius,* ubi Seruius: *Ennius deos aeui integri dicit quibus multum aeui superest.* Latinus mos ablatiuum praefert, ut Serm. II 3 213: *purum tibi est uitiis cor,* sed ablatiui et genetiui uis cognata est; cf. III 17 16: *operum solutis.* Integer uitae est qui nullo flagitio semet commaculauit, sceleris purus ille qui nihil facinoris aduersum alios ausus est.

3—4. *uenenatis grauida sagittis — pharetra:* grauida largam copiam sagittarum defendenti praebet, uenenatae sagittae aduersarios terrebunt. Conf. Plinius NH. XVIII 1: *quod tamen eorum* (animalium) *tela sua, excepto homine, uenenis tingit? nos et sagittas tingimus ac ferro ipsi nocentius aliquid damus.*

4. *Fusce:* est Aristius Fuscus, grammaticus et homo facetus, fortasse potentium uirorum cliens et familiaris; conf. Serm. I 9 61, 10 83; Epl. I 10, annot. ad Serm. I 9 61.

5. *Syrtis — aestuosas:* solis aestu feruidas; Syrtes Africae maior et minor sitae inter Cyrenem et Carthaginem, de quibus Plinius NH. V 4 § 26: *tertius sinus Africae diuiditur in geminos, duarum Syrtium uadoso ac reciproco mari diros.* Adde Sallustii Iug. 78—79. Easdem Horatius dicit II 6 3: *barbaras Syrtis, ubi Maura semper aestuat unda;* Epod. 9 31: *exercitatas — Syrtes noto.*

Caucasum uel quae loca fabulosus
lambit Hydaspes.

namque me silua lupus in Sabina,
dum meam canto Lalagen et ultra
terminum curis uagor expeditis,
fugit inermem:

8. Ambit *G*. 11. expeditis *A pr BHω 'Blandinii:* expeditus *G corr Bς*.

Aestuosas tamen de unda aestuante in hoc loco noli accipere, quia maris nunc nulla facta est mentio, sed cogita de solis aestu et feruore. Sic I 31 5: *aestuosae grata Calabriae armenta;* sic I 17 17: *caniculae uitabis aestus.* Ita iam Catullus 7 5: *oraculum Iouis aestuosi;* 46 5: *Nicaeaeque ager uber aestuosae.*

7—8. *uel quae loca fabulosus lambit Hydaspes:* postquam bis posuit *siue per,* non longius perrexit eodem tramite, ne fastidium moueret legentibus, sed nouam structuram inchoauit. Minus curiosus Catullus 11 2: *siue in extremos penetrabit Indos, siue in Hyrcanos Arabesque molles seu Sacas sagittiferosque Parthos, siue quae septemgeminus colorat aequora Nilus, siue trans altas gradietur Alpes.* In uerbis *Caucasum uel quae* obserua prouidentiam poetae. Post uocem monosyllabam in quarta sede uersus Sapphici positam non nisi monosyllabam in quinta subsequi pro more suo fecit. 'Causa haec est, quod, ni ita fecisset, caesura ex quinta syllaba, ubi est legitima, retracta perperam esset in quartam. — Neque aliter fecit in genere Alcaico'. Boeckh. de Metris Pindari c. XVI p. 95. Sapphicos huiusmodi uersus habes I 2 17: *Iliae dum se nimium querenti;* 12 14: *laudibus qui res hominum ac deorum;* 23: *beluis; nec te metuende certa;* 31: *et minax* (*quod sic uoluere*) *ponto;* 33: *Romulum post hos prius an quietum;* II 2 10: *spiritum quam si Libyam remotis;* 4 13: *nescias an te generum beati;* 8 5: *crederem: sed tu simul obligasti;* 10 17: *summouet non si;* III 11 1: *Mercuri* (*nam te* cet.); 30: *inpiae, nam quid;* 49: *i, pedes quo te;* 50: *dum fauet nox et;* 20 9: *interim, dum tu;* IIII 2 45: *tum meae, si quid;* 11 21: *Telephum, quem tu;* Carm. saec. 57: *iam Fides et Pax et Honos Pudorque.* Eandem legem in uersibus Alcaicis obseruauit, ueluti I 9 2: *Soracte, nec iam;* 18: *morosa. nunc et;* 17 14: *et musa cordi est;* 26 6: *securus. o quae;* 27 2: *pugnare Thracum est;* 14: *mercede. quae te;* 21: *quae saga, quis te;* 31 6: *armenta, non aurum aut ebur Indicum;* 35 34: *fratrumque. quid nos.* Adde II 1 33, 17 17, 20 17; III 2 5 et 6, 3 21, 4 5, 6 45, 21 21, 26 6, 29 46; IIII 4 22 et 25 et 33, 9 38, 14 5, 15 18.

7—8. *fabulosus — Hydaspes: fabulosus,* de quo multae fabulae narrantur. Aliud est III 4 9: *fabulosae — palumbes,* simile I 4 16: *fabulaeque manes.* Hydaspes lambit ripas aluei sui ut tardus fluuius in terra aestu solis calente. Imitatur Statius Theb. IIII 51: *quos pigra uado Langia tacenti lambit;* conf. Horatii (I 31 8) *mordet — amnis.*

9—16. Praemissam sententiam suo exemplo probat simulque se pium et innocentem poetam esse pronuntiat. Est media pars carminis, quae duabus strophis ut prior et proxima (17—24) peragitur.

9. *silua in Sabina:* dicit siluam Haediliae uico, quem supra (I 17 9) inuenimus, propinquam et lupis infestam.

quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
nec Iubae tellus generat, leonum
arida nutrix.

pone me pigris ubi nulla campis

13. militares *A*. 14. Daunias *A pr H*ς *Blandinii Porphyrion:* Dauniae *G*, Daunia *B corr H,* Daunia in ς. aesculetis *ABH:* esculetis *G*. 17. pigri sub ī ulla *A, h. e.* pigris ubi nulla, *ut uulgo*.

10. *dum meam canto Lalagen:* de Lalage dictum in Prooemio; *meam* est 'mihi dilectam'; *canto* ualet 'carmine celebro', nihil amplius. Errat Porphyrion scribens: '*canto Lalagen*, compono scilicet librum Lalagen; ita liber sextus decimus Lucilii Collyra inscribitur, eo quod de Collyra amica scriptus sit'.

10—11. *ultra terminum:* amplius quam quo prodire tuto licet, h. e. in intimos recessus siluae Sabinae. *curis uagor expeditis: expeditis* est 'amotis' uel 'proiectis'. Sic I 8 12: *trans finem iaculo nobilis expedito;* correctori debetur *expeditus*.

13 — 16. Horrendam beluam describit, quo magis appareat deorum praesidium et pii uatis tutela.

13—14. *militaris Daunias:* Daunias est terra Apulorum. Paulus ex Festo: *Daunia Apulia appellatur a Dauno Illyriae gentis claro uiro, qui eam propter domesticam seditionem excedens patria occupauit.* 'Daunias Apulia, dicta a Dauno rege socero Diomedis, quam *militarem* dixit, quia militiae aptos uiros habet'. Porphyrion. Conf. Strabo VI 3 8. Plinius NH. III 16 (11). Addidit *militaris* in laudem terrae patriae; cf. III 5 9. *Daunias* pro uulgari *Daunia* est ἅπαξ λεγόμενον paulo liberius concinnatum, de quo cf. Bentleius.

14. *latis aesculetis:* aesculus siue esculus est arbor glandifera similis quercui. Plinius NH. XVI 8. Porphyrion: 'aesculeta ab *aesculo* arbore ita dicuntur, ut *pineta* a pino'. Carm. II 9 7 sunt *querceta aesculetum* alibi non reperitur.

15. *nec Iubae tellus:* Iuba est filius regis Numidarum a Iulio Caesare anno 708 deuicti; pater cladi superesse noluit (Liuius Epitoma 114), filius in urbem ductus et liberaliter educatus praeceptorem ibi nactus est Heliodorum, amicum Horatii; cf. ad III 19, Serm. I 5 2. Iubam etiam Flacco familiarem fuisse et doctor Heliodorus et studiorum genus et haec commemoratio ostendit. *Iubae tellus* est Numidia natale solum Iubae, non Mauritania, ut dicunt Acron et Porphyrion: Mauros enim Iuba rex anno 729 demum accepit (Dio LIII 26, Plinius NH. V 1, Tacitus Ann. IIII 5), haec autem oda ante scripta est. Idem comes Caesaris Octauiani in expeditione aduersus Cleopatram et Antonium post deditam Alexandriam (2. Septembr. a. 724) partem Numidiae recepit (Dio LI 15), sed hoc regnum nunc *Iubae tellus* non uocatur. Nam hoc carmen per aestatem anni 724 factum est, cum Iuba in regnum nondum redisset.

17—24. Sequitur tertia ac postrema pars carminis. Post felicem illum successum, post fauorem caelestem claro experimento cognitum tanta fiducia repletus sum, ut in quouis terrae tractu me incolumem fore confidam.

17. *pone me:* ex quinque zonis tres (frigidas duas et calidam) tamquam humano generi negatas percenset. In frigidis immoratur hac stropha, ad calidam in proxima uenit. Anaphora utitur, sed ea moderatione quam I 18 8, 19 5 obseruauimus. Sic etiam I 26 7: *apricos necte flores, necte meo Lamiae coronam.*

arbor aestiua recreatur aura,
quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;

pone sub curru nimium propinqui
solis, in terra domibus negata:
dulce ridentem Lalagen amabo,
dulce loquentem.

18. *Mar. Victorinus* IIII 2 110 *p.* 2604. estiua *G.* aura] umbra *Victorinus.* 20. Iuppiter *AH:* Iupiter *BG.* urget *ABGHg.*

pigris — campis: pigri campi sunt qui moueri et fodi nequeunt ob rigorem frigoris. Hinc *iners bruma* est IIII 7 12. Lucretius V 744: *bruma niues adfert pigrumque rigorem.*

19. *quod latus mundi:* mundus h. l. est terra cum caelo superiecto. Sic III 24 38: *boreae finitimum latus durataeque solo niues.*

21—22. *pone — negata:* breuius frigidam et calidam zonam composuit III 3 54: *uisere gestiens qua parte debacchentur ignes, qua nebulae pluuiique rores.*

23. *dulce ridentem:* structura poetis solita et ex Graecis expressa. Sappho Longini de Sublim. c. 10 (fragm. 2 5): *γελαίσας ἰμερόεν.* Id conuertit Catullus 51 5: *dulce ridentem.* Horatius II 12 14: *lucidum fulgentes oculos;* 19 6: *mens — turbidum laetatur;* III 27 67: *perfidum ridens Venus;* Serm. I 8 41: *resonarent triste et acutum;* II 4 18: *malum responset.* Silius I 398: *saeuum arridens.* Ouidius Art. amat. III 513: *ridenti mollia ride.* Tacitus poetas uarie imitatus Ann. IIII 60: *Tiberius toruus aut falsum renidens.*

24. *dulce loquentem:* gratam clausulam carmini conciliauit primum repetita per anaphoram uoce *dulce,* tum ponendo uerbi formam priori sono conuenientem.

XXIII.

Vitas hinnuleo me similis, Chloe,
quaerenti pauidam montibus auiis
matrem non sine uano
aurarum et siluae metu.

nam seu mobilibus ueris inhorruit
aduentus foliis, seu uirides rubum
dimouere lacertae,
et corde et genibus tremit.

Ad Cloen. Metrum (*cet. ut ad XXI*) *A*. ad Cloen meretricem *B*. Ad Cloen puellam fugientem se *H*.

1. *Diomedes l. c.* Vitas ς *Cruquii commentator Diomedes:* Vitat *ABGHωΣ*. hinnuleo ςΣ *Cruquii commentator:* hinuleo *B*ς, hinulo *G*, ĩnuleo *A*, inulo *H*. cloe *G*. 2. Querenti *B*. 6. uiridis *pr A*.

Carm. XXIII. Prooemium. *Vitas me fugisque, Chloe, ac uano metu matrem sectaris. Ego uero non ut tigris uel leo frangere te cupio. Tandem relicta matre uirum sequi uelis.* (Metrum 19)

Est lepidum Musae iocosae poema. Chloe praeterea in Carminibus III 9 nominatur, ubi *Thressa* uocatur, tum III 26. Alia est quae septimo carmine libri tertii memoratur, non Romana puella, sed Orici oppidi mulier. Huius carminis tempus certius definiri nequit, nec quicquam attinet.

1. *hinnuleo similis:* hinnuleus est ceruus pullus; Plinius NH. XXVIII 42 (9): *summis autem remediis* (aduersum serpentes) *praefertur hinnulei coagulum matris* (ceruae) *uteri exsecti.* νεβρὸς νεοθηλής est apud Anacreontem Athenaei VIIII p. 396 D et Aeliani HA. VII 39 (ed. Bergk. frag. 52):

ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα
γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλης κεροέσσης
ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.

2—3. *quaerenti pauidam — matrem:* mater ipsa pauet aut pro sua natura et indole aut anxia propter deuium hinnuleum.

3—4. *non sine uano — metu:* uanum esse metum grauiter monet, respiciens scilicet innocentem suam, ut putat, naturam et benignum erga Chloen animum. Nomen *silua* tribus syllabis effertur; sic etiam Epod. 13 2.

5—8. In media carminis parte hinnulei per siluam uagantis timor sic describitur, ut leues causae, unde metus proficiscitur, cum graui pauore componantur.

5—6. *seu mobilibus — foliis: ueris aduentus* est 'uer aduenienś', cuius accessus proditur aura fauonii per interualla spirante, quae inhorret *mobilibus siluae foliis;* tertius casus est *mobilibus foliis*, e uerbo composito *inhorruit* aptus. Infeliciter Bentleius temptauit *uepris inhorruit ad uentum.*

6—7. *seu uirides — lacertae:* alium strepitum non minus lenem et innocentem priori adiungit. *rubum — dimouere:* hoc pingit lubricos lacertarum lapsus, qui uel per densos rubos facile euadunt.

8. *et corde et genibus tremit:* metus tam est uehemens, ut et cor tangat et genua inuadat.

atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusue leo frangere persequor.
tandem desine matrem
tempestiua sequi uiro.

XXIIII.

Quis desiderio sit pudor aut modus
tam cari capitis? praecipe lugubris

9. tygris *BG.* prospera *superposito ead. m.* aspera *A.* 10. Getulus ue *ABH,* Getulusue *G'.* 11—12. desine — uiro *scholiasta Statii Theb.* VIIII 825.

Ad Virgilium Maronem. Metrum tribus uersibus asclipiadium, quartus glyconius *A.* Thren' in quintilium uirgilium amantem *B.* Frenus in Quintillium a Virḡ amato (*uoluit* amatum) *H.*
1. *Diomedes l. c.* 2. lugubris *A pr BHω*: lugubres *Gς.*

9—12. In tertia parte siue clausula ad se reuertitur atque timorem Chloes non minus uanum esse demonstrat quam pauorem hinnulei modo expositum.

9. *atqui* sic posuit, ut pedestris sermonis auctores *quamquam* in principio enuntiati (*gleichwohl*). Conf. III 5 49, 7 9; Epod. 5 67.

9—10. *tigris ut aspera Gaetulusue leo:* memor eorum quae proxime posuit, iam eas beluas nominat, quae hinnuleis uerum et grauem timorem iniciunt. Tigris aspera est unguibus et dentibus. Vergil. Georg. II 151: *at rabidae tigres absunt et saeua leonum semina.* De *Gaetulus* pro *Gaetulicus* u. ad I 1 28. In terra Gaetulorum, qui Mauris contermini interiores Africae sedes occupauerant, atrocissimi leones.

11—12. Breuiter optata sua eloquitur et haec tamquam consilium beneuolentis hominis ac prudenter suadentis promit; qua in re ne suam utilitatem sequi uideatur, causam generatim addit (*tempestiua uiro*). Comparatur Vergilii Aen. VII 53: *iam matura uiro, plenis iam nubilis annis.*

Carm. XXIIII. Prooemium. *Deplora, Melpomene, Quintilium, uirum praeter ceteros iustum, fidelem, uerum, amicum tibi, Vergili, carissimum morte sublatum. Verum lacrimae nihil proficiunt, ac melius fit patientia, quicquid mutare non licet.* (Metrum 18)

De Quintilio Varo Hieronymus in Eusebii Chronicis (ex Suetonio) haec memoriae prodidit sub Olymp. 189 1 ($= \frac{730}{731}$ a. u.): *Quintilius Cremonensis, Vergilii et Horatii familiaris, moritur.* Inde cognoscitur hoc carmen anno 730 (a. Chr. 24) uel 731 factum esse, duobus annis post quam duodeuicesimum huius libri ad uiuum Quintilium missum esse supra uidimus.

1—2. *quis — capitis: quis sit* est percontatio coniectantis uix ullum esse pudorem aut modum desiderio amissi amici, h. e. neminem pudeat, neque ullus modum adhibeat desiderio tam cari capitis.

3. *Melpomene:* Melpomenen quasi praecipuam Musarum et lyrae praesidem (III 30 16, IIII 3 initio) precatur, ut *cantus* se doceat qui de mortuis edi solent. *liquidam uocem:* h. e. clare sonantem, imagine sumpta a liquido caelo uel aere. Lucretius

cantus, Melpomene, cui liquidam pater
uocem cum cithara dedit.

ergo Quintilium perpetuus sopor
urget? cui Pudor et Iustitiae soror,
incorrupta Fides, nudaque Veritas
quando ullum inueniet parem!

multis ille bonis flebilis occidit,
nulli flebilior quam tibi, Vergili.

3. me phomene *A*, mel pomene *B*, mel pomenę *H*. 4. uoces *A*. cytbara *GH*. 5. quintilium *ABGH*. 5—6. ergo — urget *Seruius ad Vergil. Ecl.* 5 20. 6. Vrget *ABGHg*. iusticiae *BGH*.

9—10. *Priscianus* VII 5 18. 10. uergili *A cum paucis:* uirgili *BGHω*.

IIII 978: *citharae liquidum carmen chordasque loquentis auribus accipere;* V 1377: *liquidas auium uoces imitarier ore.* Vergil. Georg. I 410: *liquidas corui — uoces ingeminant.* Ouidius Amor. I 13 8: *liquidum tenui gutture cantat auis. Vox* de cantu intellegenda, cui cithara comes. *Pater* est Iuppiter genitor Musarum.

5—8. Sequitur cantus qualem poposcit, in quo desiderium paucis absoluitur, laudes Quintilii copiosius celebrantur.

5—6. *ergo — urget: ergo* promit sententiam eius, qui quod adesse uidet uix credere potest. Serm. II 5 101: *ergo nunc Dama sodalis nusquam est?* Mox *urget* est 'incumbit', ut mouere se non possit. Vergil. Aen. X 745: *illi dura quies oculos et ferreus urget somnus.* Lucretius III 980: *diuom metus urget inanis mortalis.* Catullus 5 5: *nobis — nox est perpetua una dormienda.*

6. *Pudor:* pro persona inductus *Pudor* non offendit, quamquam repetitus post u. 1. Pudor (αἰδώς) eius est, quem pudet laedere alios, qui uitat iniqua et iniusta. Hinc continuo sequitur cognata uirtus, *Iustitiae soror, incorrupta Fides; incorrupta,* quae corrumpi nequit. Cic. Off. I 7: *est enim fundamentum iustitiae fides.* Vergil. Aen. I 292: *cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus, iura dabunt.* Pindarus Pacem et Iustitiam sorores Eunomiae facit Olymp. XIII 6: ἐν τᾷ (Κορίνθῳ) γὰρ Εὐνομία ναίει, κασίγνηταί τε — Δίκα καὶ ὁμότροπος Εἰράνα.

7. *nudaque Veritas:* animus Quintilii simplex et uerus, qualem describit Horatius AP. 438—444.

8. *inueniet:* pro *inueniet* Aldus substituit *inuenient,* quem proximi editores inprudenter secuti sunt: sed illud Flacci consuetudini magis conuenit, ut recte monuit Bentleius. Nimirum poetae singula sequi et ponere solent, quamquam hoc non semper obseruarunt. Exempla Horatii haec attulit Bentleius: I 2 38, 3 3 et 10, 4 16, 6 10, 34 12, 35 21 et 26, II 13 38, III 3 10, 6 10 et 14, 11 22 et 50, 16 22, IIII 5 18 et 22, 8 27.

9—12. Altera laudum series: obitum hominis optimi tum alii lugent, tum Vergilius graui dolore prosequitur.

10. *nulli — Vergili:* sollerter utitur anaphora, sed ita ut notio primaria (*flebilis*) non solum repetatur, sed in repetitione aucta prodeat. I 36 5: *caris multa sodalibus, nulli plura tamen diuidit oscula quam dulci Lamiae.* De forma *Vergili* dictum ad I 3 5—6.

tu, frustra pius, heu non ita creditum
poscis Quintilium deos.

quid si Threicio blandius Orpheo
auditam moderere arboribus fidem?
num uanae redeat sanguis imagini,
quam uirga semel horrida,

non lenis precibus fata recludere,
nigro compulerit Mercurius gregi?
durum: sed leuius fit patientia
quicquid corrigere est nefas.

11. pîos *GH.* 13. Quid si *AB corr Gω:* Quodsi *pr GHς.* 14. moderare *A.* 15. Num *ABGHω:* non *codex Martinii apud Cruquium.* 18. conpulerit *B.* 19. pacientia *BH.* 19—20. *Donatus ad Terent. Hec.* IIII 2 27. *In hoc carmine desinunt pulchrae in principiis uersuum litterae codicis G, sed uacuum spatium eis relictum est in principio carminum; interdum primae litterae omnium uersuum omissae sunt.*

11—12. *tu, frustra pius — deos:* Vergilius pia anima amicum dis crediderat, ut Quintilio consulerent: hoc illi fecerunt, sed contra quam uoluerat Vergilius. Verba *frustra pius* hoc ualent 'postquam piis precibus hostiisque amicum dis frustra tradidisti'.

non ita creditum: non ita creditum, ut tolleretur. Alii *frustra* iungere malunt cum *poscis*, et *creditum* accipiunt *creditum Vergilio*. Sed *frustra* reposci Quintilium poeta demum in proximis dicit.

13—18. clausula τοῦ θρήνου. Tantum abest, ut querellis quicquam proficiatur, ut alter Orpheus uitam Quintilio reparare nequeat.

13—14. *quid si — fidem?:* non concludit rationem, sed nouum et maius intulit. Recte igitur accepimus *quid si,* non *quod si*, ut in libris perpaucis scriptum est.

15. *num uanae redeat:* hoc dicit, 'si deos inferos lyra flexeris, ut olim flexit Orpheus, hi nihil nisi imaginem uanam, non solidam speciem et sanguine repletam reddere poterunt'. Vulgata huius loci scriptura *non — redeat* ex uno et malo codice adhuc memorata est: *num* bene se habet in quaestione, quam negari expectat qui quaerit. Plane sic II 12 21: *num tu — permutare uelis crine Licymniae?*

uanae — imagini: sic scripsit respiciens Homeri νεκύων εἴδωλα et ἀμενηνὰ κάρηνα. Cf. Vergilii Aen. VI 284: *somnia uana;* ibid. 293 sq.

16. *uirga — horrida:* horrida uocatur, quod apud inferos omnia horrent, quamquam Mercurius lenis deus est. Cf. I 10 18: *uirgaque leuem coerces aurea turbam.* De structura *non lenis recludere* cf. ad I 1 18. Nomen *precibus* pendet ex *lenis.*

18. *nigro compulerit — gregi:* niger animarum grex est in tenebris inferorum. Datiuus perinde I 28 10: *iterum Orco demissum.* Audacior structura Serm. II 5 49: *siquis casus puerum egerit Orco.* Nam hic excusatio a uerbo composito, ut apud Vergilium Ecl. 2 30: *gregem uiridi compellere hibisco;* Aen. VIIII 527: *quem quisque uirum demiserit Orco.* Idem liberius Aen. VIIII 785: *iuuenum primos tot miserit Orco.*

19. *leuius fit patientia.* Donatus in uita Vergilii c. 18: *solitus erat dicere, nullam uirtutem commodiorem homini esse patientia, ac nullam adeo asperam esse fortunam, quam prudenter patiendo uir fortis non uincat. Quam sententiam in quinto Aeneidos inseruit* (u. 710):

XXV.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
iactibus crebris iuuenes proterui,
nec tibi somnos adimunt, amatque
ianua limen,

quae prius multum facilis mouebat
cardines. audis minus et minus iam

Ad Lidiam. Saphicum endecassillum *A*. **Exprobratio in meretricem Lydiam** *B*. **Ad Lidiam de superbia ipsius exprobratio** *H*. *Diomedes omisit.*

1. Parcius] artius *G*. 2. Iactibus *ABGω Blandinii:* Ictibus *Hgς*. 5. facilis *A Blandinii:* faciles *BGHω*.

'*Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur, quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est*'. Primus admonuit Georg. Fabricius, sua aduersus Vergilium sententia Flaccum usum esse.

20. *quicquid nefas:* nefas quod pugnat aduersus legem a dis sancitam (ἀθέμιτον).

Carm. XXV. Prooemium. *Parcius te, Lydia, iuuenes iam expetunt; mox tristiora offendes.* (Metrum Sapphicum)

De Lydia puella dictum ad I 8. Hoc carmen spectat ad nonum libri tertii, siquidem discordia nunc significata illic componitur. Temporis nota non adest.

1—2. *parcius — proterui:* dormire Lydiam cogitat in superiore parte aedium: nam ibi fenestrae, in inferiore ad uiam nullae; cf. Propertius IIII 7 15. Liu. XXIIII 21. Beckeri Gallus t. II p. 220 sqq. ed. 2. *iactibus crebris: iactus* cogita lapidum, testarum, glebarum. Bentlei coni. *uectibus* non probanda, quod uectium usus est in expugnanda ianua, non in fenestris pulsandis. Ceterum *iactibus* scripsi ueteres secutus libros: quod recentiores offerunt (*ictibus*), id in re ludicra nimium uidetur esse. *Ictus* enim nonnisi de graui iactu dicitur. *iunctas:* nocturnum tempus indicat: tunc enim fenestrarum ualuae siue fores (Ouidius ex Ponto III 3 3 *fenestrae bifores*) sera occlusae sunt, per diem fere patent.

3. *nec tibi somnos adimunt:* te dormientem non sollicitant. Sententiam incboatam amplius et per negationem eloquitur.

3—4. *amatque ianua limen:* non ueniunt amatores, qui ianuam loco demoueant. Hoc ad ipsam ianuam transfertur, quae amore quodam limen seruat tenetque.

5—6. *quae prius — cardines:* praesens tarditas ianuae (talis enim fingitur) componitur cum ea quae olim fuit facilitate. Nam cum amatores accessere, saepe cardines mouit ianua et perfacilis erat ob frequentem usum; *multum facilis* ualet *perfacilis*, ut Serm. I 3 57: *multum demissus homo;* II 3 147: *medicus multum celer atque fidelis;* II 5 92: *multum similis metuenti;* Epl. I 10 3: *multum dissimiles;* II 2 62: *multum diuersa. Multum miseri* Ouidius Met. IIII 155. Plinius Epist. I 9: *multum inepti labores.*

'me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?'

inuicem moechos anus arrogantis
flebis in solo leuis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia uento

cum tibi flagrans amor, et libido
quae solet matres furiare equorum,

7. metu . õ *A*, metu õ *BH*. 8. lidia *AB*. 9. mechos *BGH*. arrogantis *A*: *BGH* arrogantes. 10. lenis *G*. 11. Tracio *H*, t„cio *A*. bachante *BH*, bacante *G*. 13. Cum et tibi *H*. cupido *suprascr. eadem manu* l libido *A*.

7. *longas pereunte noctes: longas noctes* accipere possis de amatore *saepius* excluso, cui longae noctes sunt ob impatientiam amoris, ut Epl. I 1 20: *ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque longa uidetur opus debentibus:* sed uidetur praestare ut cogitemus de noctibus hibernis; sic cantor tum amore suo tum longitudine noctium misericordiam mouebit. Asclepiades Anthol. Pal. V 189: *Νὺξ μακρὴ καὶ χεῖμα, μέσην δ' ἐπὶ Πλειάδα δύνει, κἀγὼ πὰρ προθύροις νείσσομαι ὑόμενος.*

9—20. Altius assurgens ex statu iam descripto peiora praedicit poeta de futura Lydiae sorte.

9—10. *moechos — arrogantis flebis:* h. e. ob arrogantiam moechorum flebis; flere aliquem possumus aut misericordia moti aut ira et aegrimonia incitati; hoc alterum Lydiae nunc conueniet. Qualis sit arrogantia moechorum postremo carmine declaratur: quippe uetulas aspernantur, uirides sectantur. *Moechi* amatores nunc nominantur inuidioso iratae Lydiae uocabulo.

10. *in solo leuis angiportu* (*unbeachtet im einsamen Gässchen*): *leuis* est nullius pretii, ut Tacit. H. IIII 80: *unde paulatim leuior uiliorque haberi* (Antonius). Seneca Hercul. fur. 1308: *anima leuis* (= uilis). *solus:* h. e. *solitarius, desertus.* Vergil. Georg. III 212. *tauros procul atque in sola relegant pascua;* 249: *male tum Libyae solis erratur in agris.*

11—15. *Thracio bacchante magis sub interlunia uento cum tibi flagrans amor — saeuiet circa iecur ulcerosum:* structura est *cum tibi magis flagrans amor quam Thracius bacchans sub interlunia uentus saeuiet circa iecur ulc.*, in qua iunctura ne *magis* iusto licentius positum uideatur, *Thracio bacchante* per se constare et *sub interlunia uento* tamquam epexegesin accedere obserues, quod sic imitaberis: *wann dir eine Brunst, stärker lodernd als der rasende Thracier, der Wind zur Neumondszeit, in der eiternden Leber toben wird.* Distinctionem post *uento* poni solitam recte sustulit Mitscherlichius, sed idem non bene iunxit *magis saeuiet,* quod frigide dictum esse liquet. Qui distinctionem illam retinent, Thracii uenti mentionem iuste explicare nequeunt.

11—12. *bacchante sub interlunia:* Vegetius de Re mil. IIII 40 (V 10): *interluniorum autem dies tempestatibus plenos et nauigantibus quam maxime metuendos non solum peritiae ratio sed etiam uulgi usus intellegit.* Theophrastus de uentis c. 3: *αἱ σύνοδοι τῶν μηνῶν χειμερινώτεραι. Interlunia* (*Neumond*) est biduum quo luna non uisitur. Plinius NH. II 10 (13) § 56: *solisque defectus non nisi nouissima primaue*

saeuiet circa iecur ulcerosum,
non sine questu,

laeta quod pubes hedera uirenti
gaudeat pulla magis atque myrto,
aridas frondes hiemis sodali
dedicet Hebro.

15. Seuiet *ABGH*. uicerosum *A*. 17. *Marius Victorinus* IIII 2 111. loeta *B*. edera *Hg*. uirenti *ABHω codex Parisinus Victorini saeculi IX:* uirente *g Graeuianus Victorini edd.* 18. mirto *GH*. 19. sodalis *A*. 20. dedecet *A*. haebro *B*, euro *Aldus*.

fieri luna, quod uocant coitum (lunae cum sole); XVIII 75 (32) § 324: *in coitu uero (quod interlunium uocant), cum apparere desierit* (luna).

13—14. *et libido quae solet matres furiare equorum (und eine Lustgier, welche die Mütter der Rosse zur Raserei treibt):* his additis *flagrans amor* declaratur et uerba grauia *circa iecur ulcerosum* praeparantur.

14. *quae — equorum:* h. e. extrema et furiosa libido. Talem in equabus describit Vergilius Georg. III 267 — 281; *furiare* est *in furorem concitare.* Vergil. Aen. II 407: *furiata mente Choroebus.*

15. *iecur ulcerosum:* iecur sedes libidinis; cf. ad I 13 4.

16. *non sine questu:* cf. I 23 3: *non sine uano — metu;* III 7 8: *non sine multis lacrimis*; III 4 20: *non sine dis animosus infans.*

17—20. Causam exponit, cur Lydia mox plane neglegatur a pube.

17—18. *hedera uirenti gaudeat pulla magis atque myrto:* h. e. uirenti hedera gaudeat magis (πλέον) quam pulla hedera et pulla myrto. 'Pullus enim hederae myrtique color est autumno recteque opponitur uirenti'. Meinekius. Allegoria usus est pro comparatione. Acumine abutitur Gesnerus, dum *pulla* interpretatur *tenera*, seductus a uero per commentatorem Cruquii. Conf. I 4 9: *uiridi nitidum caput impedire myrto.*

19—20. *hiemis sodali — Hebro:* calidis adolescentibus opponitur frigidus Hebrus (Epl. I 3 3, 16 13), qui ob rigorem et niues hiemis sodalis uocatur. Obserua descensum a uirenti hedera (h. e. a puellis teneris) ad pullam, qua notantur prouectioris aetatis feminae, a pulla ad aridas frondes, quae uetulis respondent. *Pullam* myrtum hederamque iuuenes utcumque tolerant, aridas frondes ad flumen niuali compede uinctum amandant. Aldi coniectura *Euro* pro *Hebro* carere possumus.

XXVI.

Musis amicus tristitiam et metus
tradam proteruis in mare Creticum
portare uentis, quis sub Arcto
rex gelidae metuatur orae,

Ad musas de Celio Lamia metrum *cet. A.* Ad musas delamia elio *B.* Ad m. de Elio Lamia *H.*
1. *Diomedes l. c.* tristiam *A,* tristiciam *BGH.* 4. horae *G.*

Carm. XXVI. Prooemium. *Meum est non curare externa, sed Lamiam amicum nouo carmine ad exemplum Alcaei facto celebrare.* (Metrum Alcaicum)

Hoc poema primum est eorum, quae strophis ab Alcaeo nominatis facta sunt, ut docent uerba (u. 10): *hunc fidibus nouis, hunc Lesbio sacrare plectro — decet.* Conf. Lachmannus ad Lucret. IIII 1 p. 213. Eo magis operae pretium est natalem eius accurate indicare, quod fieri licet auxilio uerborum (u. 3): *quis sub Arcto rex gelidae metuatur orae, quid Tiridaten terreat, unice securus.* Scilicet rex gelidae orae est rex Scytharum, cuius auxilio Prahates in regnum reuersus est et Tiridaten, qui ipsum ante de patrio solio deiecerat, imperio Parthorum exuit. Tiridates pulsus ad Augustum in Syriam anno 724 confugit, cuius rei nuntius ineunte anno 725 ad urbem Romam perlatus est. Lege Dionis LI 18 et 20, annotationem ad I 19, III 8. Sed nunc Tiridates nondum ut profugus uel supplex significatur, sed pro regno timere dicitur. Itaque metus eius ob Prahaten auxilio Scytharum in regnum reuersurum notatur, qui timor ante principium anni 725 et ante Alexandriam Octauiano Caesari deditam obtinuit, ut licet uidere ex narratione Dionis LI 18. Inde colligitur hoc poema medio fere anno 724 (a. Chr. 30) natum esse. Lamia ab Horatio celebratus alius uidetur fuisse, quam L. Aelius Lamia, consul a. 756, mortuus 786 (Tacit. Annal. VI 27). Opportune igitur frater Lucii Lamiae memoratur (Epl. I 14 6—7), recens mortuus, cum Horatius epistulam primi libri quartam decimam scripsit, et *Q. Aelius Lamia triumuir* monetalis nominatur in nummo ab Eckhelio (t. V p. 120) edito. Ad Quintum Lamiam igitur et hoc carmen et III 17 scriptum esse credibile est, idemque I 36 7 memorari uidetur: qui fratri superstes fuit (Epl. I 14 6), item Horatio familiaris, Lucius Lamia fuit, de quo l. c. a Tacito relatum est.

1. *Musis amicus:* continet hoc causam uerborum *tristitiam — uentis:* nam qui Musis est amicus, amoenis laetisque numinibus gaudet, a tristitia abhorret et timorem exuit. *tristitiam et metus* (*Niedergeschlagenheit und Besorgnisse*): tristitia tristem animi statum denotat, *metus* timoris affectus subinde emergentes. Vergilius Georg. II 491: *felix qui — metus omnes et inexorabile fatum subiecit pedibus.*

2—3. *proteruis — uentis:* cur *proteruis?* ut quam celerrime auferant metus et tristitiam. Epod. 16 22: *proteruus Africus.*

3—4. *quis sub Arcto — orae:* est rex Scytharum, cuius praesidio Prahates in regnum redire et Tiridaten expellere parabat a. 724; *quis* est nominatiuus, non datiuus pluralis, ut ostendit proximum *quid.*

5. *quid Tiridaten terreat:* Pra-

quid Tiridaten terreat, unice
securus. o quae fontibus integris
gaudes, apricos necte flores,
necte meo Lamiae coronam,

Pimplea dulcis: nil sine te mei
prosunt honores: hunc fidibus nouis,
hunc Lesbio sacrare plectro
teque tuasque decet sorores.

5—6. *desunt A.* tyridaten *B,* tyridatem *G,* tridatẽ (*in rasura, suprascripto* mi *et* tiridatẽ) *H.* 7. gauges *A.* 9. Pimplea *ςΣ:* Piplea *ABGω,* Pyplea *H,* Piblea *g.* te *om G.* 10. Prosuut *ABGHgω:* Possunt *ς.*

hates Scytharum auxilio in regnum reuersurus; cf. Prooem.

6—7. *quae fontibus integris gaudes:* integri nunc sunt *puri,* non *inlibati* ut apud Lucretium IIII 2: *iuuat integros accedere fontis.*

7—8. *apricos — coronam:* necte flores in coronam meo Lamiae, h. e. cantu Lamiam orna.

9. *Pimplea:* est dea uel Musa Pimplea a fonte Pimplea Macedoniae Musis sacro. Strabo VIIII 2 § 25: *ἐνταῦθα* (in Boeotia) *δ' ἐστὶ τό τε τῶν Μουσῶν ἱερὸν καὶ ἡ Ἵππου κρήνη καὶ τὸ τῶν Λειβηθρίδων νυμφῶν ἄντρον· ἐξ οὗ τεκμαίροιτ' ἄν τις Θρᾷκας εἶναι τοὺς τὸν Ἑλικῶνα ταῖς Μούσαις καθιερώσαντας, οἳ καὶ τὴν Πιερίδα καὶ τὸ Λείβηθρον καὶ τὴν Π ί μ π λ ε ι α ν ταῖς αὐταῖς θεαῖς ἀνέδειξαν.* Festus: *Pimpleides Musae a fonte Macedoniae dictae propter liquoris eius unicam subtilitatem.* Sed Bentleius auctore N. Heinsio *Pimplei* legendum censet et in *Pimplea* uitium deprehendit, quia Musa sit *Pimpleis*, fons *Pimplea.* Pimpleam esse nomen fontis uerum est, sed eadem simul entheam uim fontis, h. e. ipsam Musam siue Nympham in fonte agentem denotat. Statius *Pimplea* usus est, ut eadem et fons et dea esset, Silu. I 4 25: *licet enthea uatis excludat Pimplea sitim, nec conscia detur Pirene;* II 2 36: *non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes et superet Pimplea sitim,* cet.

9—10. *nil sine te — honores:* honores Musa non adiuuante a me dati nullius pretii sunt et utilitatis. Nonnulli codices a Bentleio memorati habent *possunt*, sed hoc cum *nihil* sociatum pedestrem orationem redolet.

10—11. *fidibus nouis — sacrare:* nouo Lesbii carminis genere, h. e. ad morem Alcaei composito; cf. Prooem.

11. *hunc Lesbio sacrare plectro:* paulo ingratior nomini proprio concessa est diaeresis, qua post primi ordinis finem numeri continua iunctura tollitur. Hoc alibi Horatius non nisi in uoce monosyllaba admisit, scilicet ut praecedente caesura uis proximae diaereseos obscuretur; conf. I 9 15: *appone, nec dulces amores;* 19: *lenesque sub noctem susurri;* 16 23: *temptauit in dulci iuuenta;* 17 15: *manabit ad plenum benigno;* 29 7: *puer quis ex aula capillis;* 31 7: *non rura quae Liris quieta;* 15: *inpune. me pascunt oliuae;* 19: *cum mente, nec turpem senectam;* 34 7: *plerumque, per purum tonantes;* 37 15: *redegit in ueros timores;* 19: *uenator in campis niualis;* II 3 23: *de gente sub diuo moreris;* 5 3: *aequare, nec tauri ruentis;* 7 15: *te rursus in bellum resorbens;* 19: *depone sub lauru mea, nec;* 19 15: *disiecta non leni ruina;* 20 3: *uates, neque in terris morabor.* Adde III 1 11 et 31, 2 3 et 19, 4 3 et 7 et 19 et 27 et 59 et 67, 5 23, 21 11, 23 7, 26 7, 29 27 et 59; IIII 4 7 et 39 et 43 et 59 et 71 et 75, 9 19 et 39 et 51, 14 43, 15 19.

XXVII.

Natis in usum laetitiae scyphis
pugnare Thracum est. tollite barbarum
morem uerecundumque Bacchum
sanguineis prohibete rixis.

Ad sodales. Metrum *cet. A.* Ad conuiuas sodales suos de hilaritate *B.* Ad sod. suos *H.*
1. *Diomedes l. c.* 1—2. natis — Thracum est *scholiasta Statii Theb.* II 85. 1. laeticiae *BGH.* sciphis *B,* cyphis *G.* 2. tracum *H.* 3. bachum *BGH.* 4. phibe (= prohibete) *A.*

Carm. XXVII. Prooem. *Pugnare poculis, sodales, Thracum est et magis inmane telis uti inter uina; non in pugnam prosilire, sed cubito remanere presso decet. Si uultis me quoque sumere partem seueri Falerni, unus uestrorum amores suos mihi dicat: ingenuo enim neque erubescendo igni uritur. Ah, contra cecidit quam speraui. Vorago est qualis Charybdis, qua misere conficitur puer meliore flamma dignus.* (Metrum Alcaicum)

Est παροίνιον facetum et ingeniosum. Modici Bacchi uenerator Horatius ad rixantes potores ingressus uariis artibus calidos sodales ab intemperantia ad iocos traducit. Minus uere Porphyrion: 'ode προτρεπτική est ad hilaritatem' (hilaritatis modum suadet), 'cuius sensus sumptus est ex Anacreonte in libro tertio'. Anacreontis uersus exhibet Athenaeus X p. 427 A et XI p. 447 C ab Horatianis dissimiles (apud Bergkium fr. 64):

ἄγε δηὖτε μηκέθ' οὕτω
πατάγῳ τε κἀλαλητῷ
Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ
μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς
ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις.

Anacreon suos potores cantu lenire uoluit, Horatius alloquio et artibus a tumultu et rixa reuocauit.

Carmen compositum est circa annum 730 (a. Chr. 24), ut docere conatus sum in Prooemio carminis quarti in libro altero.

1—2. *natis — Thracum est:* cogita monitorem cummaxime ingredi ad eos qui scyphis comprehensis se petituri et in pugnam erupturi sunt. Ille corripit insanientes et praua moliri ostendit (u. 1—8), tum (9—12) mentem lymphatam alio uertere studet, mox iocatus in amorem unius omnes a rixa auocat (13—24).

2. *Thracum est:* mos est Edonorum, Bistonidum, Sithoniorum (I 18 9). Thraces sunt inmoderati et uinosi, inhumani et rixosi. Pausanias VIIII 30 3: *ὡς δὲ ἐνεφορήσαντο οἴνου* (mulieres Thraciae Orpheum discerpturae), *ἐξεργάζονται τὸ τόλμημα, καὶ τοῖς ἀνδράσι ἀπὸ τούτου κατέστη μεθυσκομένους ἐς τὰς μάχας χωρεῖν.*

3. *uerecundumque — Bacchum:* a rubro uini colore Bacchus *uerecundus* siue oris uerecundi exhibetur, id est genis rubore suffusis, quod pudoris et modestiae signum est; cf. ad Epod. 17 21. Hinc *uirginea puerum forma* Bacchum uocat Ouidius Metam. III 607. Itaque uerecundiae color Bacchi cum rubore sanguinis effusi componitur. Contrarium huius est *inuerecundus deus* Epod. 11 13. Conf. I 18 7: *modici — munera Liberi.* Qui scyphos in se iaciunt, deum ipsum prostituunt et *uerecundum* inpiis rixis miscent.

uino et lucernis Medus acinaces
inmane quantum discrepat. inpium
lenite clamorem, sodales,
et cubito remanete presso.

uultis seueri me quoque sumere
partem Falerni? dicat Opuntiae
frater Megillae, quo beatus
uulnere, qua pereat sagitta.

5. acinaces ς (*u. Blandinius*) *Acron:* acinacis *ABGHgω Porphyrion.* 6. Inmane *B*, ĩmane *A*: Immane *GHg*. discrepet *A*. ĩpium *g:* impium *ceteri.* 8.. remanente *A*. 9. uoltis (v *est ab ead. m.*) *contra morem A.* seuere *A*. 10. dicato puntiae *A*. 11. megyllae *AG*, maegyllae *H*.

4. *sanguineis prohibete rixis:* h. e. *procul a sanguineis rixis habete;* Horatius ablatiuum sine praepositione uerbo *prohibere* et similibus ita consociauit, ut nomen attributiuum substantiuo adiungeret. Sic Epl. I 1 31: *nodosa corpus nolis prohibere cheragra;* AP. 398: *concubitu prohibere uago.* In hoc carmine 21: *quis te soluere Thessalis magus uenenis — poterit.* Nimirum notio remouendi facilius percipitur, ubi nomen substantiuum et nomen attributiuum iuncta sunt, quam cum illud nudum comparet.

5—8. Gladiis uti inter uina et clamore bellico magis inprobum quam pugnare scyphis; non recte Mitscherlichius: 'eadem fere sententia, alio tantum ornatu instructa', quod graue uitium foret, si uerum esset.

5. *uino et lucernis:* uino inter lucernas sumpto; III 8 14: *uigiles lucernas perfer in lucem. Medus acinaces:* de forma *Medus* pro *Medicus* cf. ad I 1 28. Medicum acinacen posuit, ut rei inmanitatem efferret, ensem Persarum acutum et pugioni similem memorando. *inmane quantum* (*ἀμήχανον ὅσον*): noue dictum et paulo fortius quam *nimium quantum* uel *mirum quantum* (*θαυμαστὸν ὅσον*). Imitatur Tacitus H. IIII 34: *inmane quantum suis pauoris et hostibus alacritatis indidit.*

6—7. *inpium lenite clamorem:* inpius clamor est, quod Bacchi *uerecundi* munera ab ebriis profanantur.

8. *cubito remanete presso:* suadet ut in lectulis reclines, h. e. cubito puluillis lecti innixo, remaneant.

9—12. Dum nihil respondent potores, hortator alio deflectit, dicens qua mercede bibere ipse cum illis uelit.

9—10. *seueri partem Falerni:* ualidi potores et nobile uinum et acre (*seuerum* siue austerum) bibunt. Plinius NH. XIIII 8 (6): *tria eius* (Falerni) *genera, austerum* (Horatii *seuerum*), *dulce, tenue. Athenaeus* I c. 48 pag. 26 C: *εἴδη δ' αὐτοῦ δύο, ὁ αὐστηρὸς καὶ ὁ γλυκάζων.* Catullus 27 1: *minister ueteli puer Falerni, inger mihi calices amariores.* Sic etiam in Hungariae uinis acerba et dulcia discernuntur (*herber Ruster, süsser Tokayer*).

10—12. *dicat — sagitta:* est *ἀπόδοσις* ad *πρότασιν* interrogatione prolatam. *Opuntiae frater Megillae:* ex pulchra et peregrina sorore honor accedit uni ex conuiuis, quem amore torreri constabat. Hunc fuisse Xanthiam Phocensem Horatii familiarem ostendere conatus sum in Prooemio Carm. II 4.

11—12. *quo beatus uulnere:* est *ὀξύμωρον.* Laborat uulnere amoris, sed in dolore tamen beatus. *qua pereat sagitta:* perire proprium in amore. Catullus 45 3: *ni te perdite amo atque amare porro omnes sum assidue paratus annos, quantum qui pote plurimum perire.*

cessat uoluntas? non alia bibam
mercede. quae te cumque domat Venus,
non erubescendis adurit
ignibus, ingenuoque semper

amore peccas. quicquid habes, age
depone tutis auribus. ah miser,
quanta laborabas Charybdi,
digne puer meliore flamma.

13. uoluntas *pr B*ς*:* uoluptas *AGHg*ω. 14. q̄ tecū q̄ *A*, quaecūq; (te) *B*. 16. ingenioq, *A*, genioq, *G*. 18. ab *G*ς (*u.*) *Blandinius:* ·a· *A*, o *H*, ha *B*ς. 19. laborabas *ABGH* (*in B syllaba* ab *alia manu punctis delenda notata est*) *g*ω *u. Blandinius cum alio Bland.*; laboras ς, laboras in *perpauci*. charibdi *AH*, caribdi *BG*.

13. *cessat uoluntas?:* cum non statim obsequitur ille frater Megillae et nomen puellae suae reticet, Horatius insistens quaerit: *cessat uoluntas?* h. e. *non satis uoluntatis adest?* Tum pergit non nisi hac mercede se potaturum esse. Antiqua est scripturae diuersitas *uoluntas* et *uoluptas*, uera haud dubie *uoluntas*, quam in Blandiniis fuisse suspicor ob glossam inde proditam 'supple confitendi'. Hanc legit Acron scribens: *cessat uoluntas,* scilicet confessionis et deest *si*'; alteram Porphyrion: '*cessat uoluptas,* bibendi scilicet'.

14—17. Quo magis impellat ad fatendum, bonam de amore eius spem mouet et puellam eleganter delectam significat. Contrarium est Catulli 6 1: *Flaui*, *delicias tuas Catullo*, *ni sint inlepidae atque inelegantes*, *uelles dicere nec tacere posses: uerum nescio quid febriculosi scorti diligis*, *hoc pudet fateri*.

14. *quae — cumque:* cf. ad I 6 3. *Venus* est ipsa dea amoris, non puella, ut dicit Mitscherlichius.

15. *adurit:* uri te facit.

16—17. *ingenuoque — amore peccas:* ingenuae puellae amore modum egrederis.

17—18. *quicquid — auribus:* tutae aures quibus arcanum tuto concreditur. Contentum se fatetur, si ille nomen puellae solus soli sibi dicat. Catullus 6 15: *quicquid habes boni malique*, *dic nobis*.

18. *depone — auribus:* ut thesaurus, sic arcana deponuntur apud fidum amicum. Post haec in aurem Horatii nomen amicae insusurrauit frater Megillae.

19—24. Praeclare et praeter expectationem mirabundus potores omnes aduertit in amantem conuiuam et ipse miseram huius sortem dolet.

19. *quanta laborabas Charybdi:* imperfectum de re positum, quae cum ante coepisset, nunc demum qualis sit paret. Graece est ἄρ' ἐπόνεις. Vt *aestu maris laborare* recte dicitur, sic aliquis etiam Charybdi laborare potest. Ipsum hoc nomen et rapacem puellam denotat et eam quae amoris illecebris amatores suos ita constrictos et irretitos teneat, ut ex grauissimo seruitio sese expedire non possint.

20. *puer:* hoc et misericordiae significationem habet et *inprouidum* amatorem arguit; cf. I 5 1. *meliore flamma:* Catullus 45 15: *ut multo mihi maior acriorque ignis mollibus ardet in medullis.* Apud Horatium loci festiuitas augetur eo, quod hortator tamquam peritissimus existimator amoris et amicus ad misericordiam promptus inducitur.

quae saga, quis te soluere Thessalis
magus uenenis, quis poterit deus?
uix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

XXVIII.

Te maris et terrae numeroque carentis harenae
mensorem cohibent, Archyta,

22. magis *A*. 23. illigatum *ABH:* inlig. *Gς*, ῑlig. *g*. 24. chimera *ABGH*.

Ad Archytã Tarentinum. Metr. *cet. A*. Ad architen geometren expulsum de naufragiis *B*. Ad Architan philosophum genere Tarentinum, arte geometrẽ expulsum naufragiis *H*. Ad Architam philosophum *G* (*h. l. habet titulum etiam G*).
1. *Diomedes l. c.* harenae *ABG Diomedes:* arenae *H*. 2. Censorem *corr G*. archita *ABGH*.

21—24. Desperatum amantis statum amplius describit, tanti mali uix ullum remedium explorari posse profitendo.
21—22. *Thessalis—uenenis:* sunt uenena in Thessalia, terra sagarum, parata et mixta, quibus inueterata mala superantur.
23—24. *illigatum te triformi — Chimaera:* est compendiaria locutio, altero comparationis membro suppresso, pro 'te amore illo illigatum tamquam triformi Chimaera'. Haec triformis, quod πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.
Pegasus: breuiter dictum pro 'Bellerophontes cum Pegaso'. Cf. Homeri Il. *Z* 180 sqq Hesiodi Theogon. 325.

Carm. XXVIII. Prooemium. *Tu quoque, Archyta, animo ingens sub puluere exiguo in litore Tarentino quiescis, neque fugere potuisti sortem omnibus hominibus communem. Alii aliis moriendi modis uita excedunt, hi maris periculo, illi bellorum casibus, alii morborum uiolentia. Etiam me tempestas obruit in ora Illyrica. At tu, nauta, corpori meo inhumato ter puluerem inicias, quod cum feceris, omnia bona tibi eueniant: si neglegas, meritas poenas non uitabis.* (Metrum 8)

Vmbra hominis Tarentini, tempestate maris Illyrici qui perierat (u. 22), ad portum urbis patriae uagatur, ibi tumulum Archytae conspiciens sortem humanam et suam miseretur. Inter quae nautam ex portu Tarenti uecturum conspicatus ille hunc monet, ut corpori suo inhumato ter maris arenam (in litore Illyriae) iniciat. Varios interpretum errores de dialogo Archytae et nautae narrantium, aut adeo de sermone ipsius Horatii cogitantium, aut unum carmen in duo dissecantium recensere et longum est et nihil utilitatis habet. Rectius quaeritur quis sit, cuius uerba referuntur. Qui nautam esse credunt, pro sua opinione nihil possunt afferre nisi uerba (u. 21): *me quoque — Illyricis notus obruit undis*, quasi nautae tantum naufragio perire soleant. Verum ἦθος loquentis a nauta prorsus abhorret. Bene ille nouit studia Archytae (u. 1—6), fabulas ueteres (7—9), Pythagorae placita (10—15), sortem mortalium (15—16), casus morientium (17—20), quae omnia a nautis aliena sunt. Est potius qui placita et studia sapientium hausit. Itaque doctum iuuenem esse puto,

pulueris exigui prope litus parua Matinum
munera, nec quicquam tibi prodest
aerias temptasse domos animoque rotundum
percurrisse polum morituro.
occidit et Pelopis genitor, conuiua deorum,
Tithonusque remotus in auras

3. lytus *H*, latū *A*. 4. nec tibi quicquam *AG*. 5. aereas *A*. 8. Tythonusque *B*, Thitonusque *G*.

qui ex Apollonia Illyriae oppido uel ex alia eius orae ciuitate Tarentum rediturus in eo itinere prope litus Illyricum naufragio perierit, mox inhumatus et quietis apud inferos expers in solo patrio horis nocturnis uagari dictus sit. Flaccus, credo, respexit rem multorum sermonibus tunc in urbe Tarentina uulgatam, cum ipse Maecenatem Brundisium, mox Tarentum comitatus est anno 717. Conf. annotatio ad Serm. I 5 104, etiam ad Carm. II 6. Itaque hoc carmen a. 718 (a. Chr. 36) natum esse et primis ab Horatio editis annumerandum putauerim.

1—2. *te maris — mensorem:* componit γεωμέτρην, qui ingentes terrae plagas et maris tractus emensus liberrimeque, quamdiu uixit, animo suo per caelum uagatus est, cum exiguo tumulo, quo iam post mortem cohibetur.

3—4. *pulueris — munera:* 'suprema mortuorum munera (tumulus exiguus) in solo Tarentino te cohibent'. Mortui Archytae sepulcrum siue tumulum uocauit *parua munera pulueris exigui*. Errant qui de Archytae corpore *inhumato* hariolantur, de naufragio nescio quo boni philosophi somniantes. Archytam Tarentinum Tarenti sepultum iacuisse et per se uerisimile est, neque contrarium alicubi proditum est. Strabo VI 3 4: ἀπεδέξαντο (οἱ Ταραντῖνοι) δὲ καὶ τὴν Πυθαγόρειον φιλοσοφίαν, διαφερόντως δ' Ἀρχύτας, ὃς καὶ προέστη τῆς πόλεως πολὺν χρόνον. Adde Diogenis Laert. VIII c. 4. Sed quaeritur *prope litus Matinum* num ualere possit *in agro Tarentino*. Non posset, si uerum esset quod narrat Orellius (h. l. et ad Carm. III 2 27, ad Epod. 16 28): 'Matinus mons siue promontorium prope radices Gargani montis in Apuliae litore, nunc *Matinata*'. Hic et auctor eius *Romanelli* (Topografia del regno di Napoli t. II p. 209) prouocant ad Lucani Pharsal. VIIII 183: *sic ubi — renouare parans hibernas Apulus herbas igne fouet terras, simul et Garganus et arua Vulturis et calidi lucent buceta Matini;* sed in his nulla Gargani montis et Matini uicinia significatur, quamquam ad Apuliam Matinus ibi refertur. Verum Apuliae finis meridianus non procul est a Tarento, ac Matinus in Apulis incipiens in Calabros, in quorum agro Tarentum positum est, procurrit. Hoc inde colligitur, quod Archytas ciuis Tarentinus *prope litus Matinum* sepultus esse dicitur, et quod nauta Tarentinus ex portu Tarenti nauem soluere perhibetur (u. 29). Acron quoque *Matinum* a Lucano nominatum Calabris, non Apulis, uindicauit: nam ad Horatii uerba (Carm. I 31 5) *aestuosae Calabriae armenta* annotauit: 'aestuosa enim regio est aptior pecori, ut *calidi lucent buceta Matini*'. Perinde Porphyrion ad Epod. 16 28 Matinum *Calabriae montem* uocauit. Eo accedit quod *apem Matinam* Calabriae apem uel Tarentinam Horatius nominauit: ille enim IIII 2 27 *apis Matinae more modoque grata carpentis thyma* scripsit; idem III 16 33 posuit *quamquam nec Calabrae mella ferunt apes*, II 6 14 *ubi* (in agro Tarentino) *non Hymetto mella decedunt;* conferatur Varro apud Macrobium Saturn. II 12: *ad uictum optima fert ager Campanus frumentum*, *Faler-*

et Iouis arcanis Minos admissus, habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco

demissum, quamuis clipeo Troiana refixo
tempora testatus nihil ultra

9. archanis *BGHg*. admis} *A*. 10. Panthoidem *G*. orcho *G*. 11. quanuis clypeo *H*. 12. nil *A*, nichil *B*.

nus uinum, — *mel Tarentinus;* Strabo VI 3 § 6: *μέλι δὲ καὶ ἔρια τῶν λίαν ἐπαινουμένων ἐστί* (*ἡ χώρα Ταραντίνων*). Itaque litus *Matinum* esse Tarentinum Calabriae litus affirmare licebit.

5—6. A geometria progreditur ad astronomiam.

5. *aerias — domos: domus aeriae* (*Luft-Paläste*) sunt sidera et lumina maiora (sol et luna), domus caelestes sitae in aere, cui statim polus aeris terminus et stellarum sedes adiungitur. Epitheton *aerius* nunc generatim notat quicquid supra *terram* et *mare* elatum est. Meinekius *aëtherias* coniecit. *Rotundus polus* est caelum in formam concamerati tecti cauum. *temptasse:* hoc fortem et audacem explorantis animum denotat. Tacit. Germ. 34: *ipsum quin Oceanum illa temptauimus*. Iunge *animoque morituro*, non *tibi — morituro:* nam hoc si esset, non *prodest* sed *profuit* praecedere debuit.

7—15. Pergit umbra enumerare alios insignes uiros, qui quamuis praecipuo deorum fauore gauderent, tamen mortem oppetiuerunt. Qui haec Archytae tribuunt, redarguuntur uerbis (u. 14): *iudice te non sordidus auctor naturae uerique*, quae dicta sunt ad Pythagoricae philosophiae sectatorem et existimatorem Archytan.

7. *Pelopis genitor, conuiua deorum:* in pedestri sermone foret, *quamuis esset conuiua deorum.* Pindar. Olymp. I 54: *εἰ δὲ δή τιν' ἄνδρα θνατὸν Ὀλύμπου σκοποὶ ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος οὗτος.* Tantalum ludibrio usum esse aduersus deos ac poenas dedisse apud inferos, hoc non respexit Horatius, sed ipsum post insignes honores communi hominum sorti occubuisse.

8. *remotus in auras:* ab Aurora pro coniuge in auras caelestes elatus et diuino coniugio dignus habitus. Euripides Troad. 855: *ὃν ἀστέρων τέθριππος ἔλαβε χρύσεος ὄχος ἀναρπάσας.* Apollodor. III 12 4. Hymn. in Ven. 218—238. Hesiod. Theog. 984. Horat. Carm. II 16 30: *longa Tithonum minuit senecta*. Hoc, longa senecta minutum esse, nunc non curauit poeta, sed occidisse dicit, quamuis Aurorae coniux fuisset.

9. *Iouis arcanis Minos admissus:* quamquam arcana consilia sua Iuppiter et leges Cretensibus dandas communicauerat. Homer. Odyss. *τ* 178: *τοῖσι δ' ἐνὶ Κνωσός, μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.*

9—15. *habentque — uerique:* in Pythagora et diutius uersatur, ut in celebri auctore sectae quam secutus est Archytas. *Panthoiden* Pythagoram appellauit secutus famam, qua Pythagoras habitus est pro Euphorbo Panthoide, quem Troiano bello occidit Menelaus (Hom. Il. *Π* 808, *P* 9 sqq.). Euphorbi anima caesi translata primum in alia corpora, tum in Pythagoram. Diogenes L. VIII § 4—5. Scholiasta Sophocl. Electr. 62. Ouidius Met. XV 153. Maximus Tyrius XVI 2.

10—11. *iterum Orco demissum:* primum in Orcum demissus erat, ut certe uidebatur, a Menelao, iterum ubi Pythagorae nomine in Italia obiit. De structura *Orco demissum* cf. ad I 24 18.

11. *clipeo refixo:* hoc est a sede sua reuulso. Scilicet clipeum Argis

neruos atque cutem Morti concesserat atrae,
iudice te non sordidus auctor

naturae uerique. sed omnes una manet nox
et calcanda semel uia leti.

dant alios Furiae toruo spectacula Marti;
exitio est auidum mare nautis;

mixta senum ac iuuenum densentur funera, nullum
saeua caput Proserpina fugit.

15. oms̄ *A*, om̃s *BH*. nox] mors *H*. 16. loeti *AB*, laeti *GH*. 18. exicio *H*. 20. Seua *BGH*. capud *pr B*.

in templo Iunonis uel Mineruae sacratum a Menelao suum agnoscebat et Euphorbi Panthoidae nomen inesse praedixerat, ut fidem faceret indicio. *tempora Troiana testari* est 'se fuisse temporibus Troianis testari'. Testem citauit Pythagoras clipeum Argis asseruatum.

13. *neruos atque cutem: nerui* (Muskeln) carnem corporis denotant, ipsi cum cute corporis exuuias. Si quid est irrisionis, hoc cadit in Menelaum et Mortem, quibus nulla uis fuit in talem uirum.

14—15. *iudice te — uerique:* tibi quasi magister et praecipuus auctor Pythagoras, cuius dogmata de natura rerum et anima hominum tibi probantur. *non sordidus auctor: non sordidus* est *locuples*, qui testis et auctor esse potest; locutio ducta est a *locuplete teste*. Sic Tacit. Germ. 28: *summus auctor diuus Iulius*.

15—16. *sed omnes — leti:* his complexus est orator quod ex allatis exemplis consequitur.

17—20. Quamuis uaria sint leti genera, nemo tamen morti non succumbit. His aditus paratur ad ea quae de suo exitu narraturus est.

17. *dant — Marti:* in bello Furiae dicuntur Marti, saeuo numini, spectaculum praebere, cum proelia committuntur et fortes uiri occiduntur. Locutio petita est a spectaculis gladiatorum; I 2 38: *quem iuuat clamor galeaeque leues. toruo Marti:* inmanis deus toruo uultu spectat. Hinc eum iuuat *acer Mauri peditis cruentum uultus in hostem* (I 2 40).

18. *auidum mare:* quod auide multiplicem praedam deuorat; III 29 61 est *auarum mare*.

19—20. *mixta — fugit:* alii non casibus, sed domi suae moriuntur; *densentur* est prisca forma pro *densantur*. Vergilius Georg. I 248: *obtenta densentur nocte tenebrae;* Aen. VII 794: *totis agmina densentur campis*. Imitatus est Vergilium uel Horatium Tacitus Ann. II 14: *denserent ictus*.

20. *saeua: imperiosa* est Serm. II 5 110, ἐπαινή Odyss. κ 491, λ 47; nunc est summa et quasi una inferorum domina, ut alibi apud Graecos Ἅιδης. *caput:* caput tamquam praecipua uitae sedes nominatur.

21—22. *me quoque — undis:* hoc loco demum qui adhuc locutus est, quis sit declarat. Scilicet est uaga umbra, quae inhumato corpore Stygia coercetur unda neque ad sedes inferorum penetrare potest. Hinc arcanum aliquid orationi conciliatur et praecipuam uim nanciscitur consideratio de sorte humana. Etenim circa urbem patriam (Tarentum) uagus ille contemplatur humilem Archytae tumulum, quo conspecto suas miserias paulum obliuiscitur, mox nautae uela soluentis aspectu ad memoriam sui reuoluitur.

me quoque deuexi rapidus comes Orionis
Illyricis notus obruit undis.

at tu, nauta, uagae ne parce malignus harenae
ossibus et capiti inhumato

particulam dare: sic, quodcumque minabitur eurus
fluctibus Hesperiis, Venusinae

plectantur siluae te sospite, multaque merces
unde potest tibi defluat aequo

22. Illiricis *BH.* notus *A:* nothus *BGH.* 23. atta nauta *A.* parte *A.* harenae *ABGH.* 25. si *H.* minabit reȝurȝ (*ibi* eurȝ *a prima manu, cetera a secunda*) *A.* 26. esperiis *H.* 27. plecten-tur *A.*

21—22. *deuexi rapidus comes Orionis — notus:* notus saeuire incipit, ubi Orion ad occasum festinat (*deuexus*) mense Nouembri. Plinius NH. XVIII 74 (31): *quinto idus Nouembris gladius Orionis occidere incipit.* Hunc minantem fugiunt Pleiades (Hesiodi Ἔργ. 617). Columella XI 2: *sexto idus Nouembres Vergiliae mane occidunt; significat tempestatem, hiemat.* Horatius Carm. III 27 18: *quanto trepidet tumultu pronus* (occidens) *Orion*, Epod. 15 7: *dum — nautis infestus Orion turbarit hibernum mare.* Vergil. Aen. VII 719: *saeuus ubi hibernis Orion conditur undis.*

22. *Illyricis — undis:* undis Illyrici litoris. Aut in Italiam uecturus ex Apollonia uel Dyrrachio, aut ex Italia petiturus haec loca in litore Illyrico naufragus periit. Corpus igitur in litore Illyrico iacuit, non in litore Tarentino neque in Apuliae ora. Nam ex Illyrico per mare aduectum esse cadauer in Italiam nullo uerbo significatur. Nauta igitur monetur ut, simulatque in Illyricum accesserit, corpus in litore iacens iniecto ter puluere condat.

23. *at tu, nauta:* nautam subito ac praeter expectationem uidet; grauis admonitio inchoatur a particula *at*, pronomine proxime posito. Cf. I 18 7. *uagae ne parce malignus harenae: uaga* harena est in litore maris Illyrici, ubi corpus inhumatum. Hoc bene iunctum cum *malignus:* nam qui in summa abundantia parcit harenae, hoc animo inuidioso facere existimatur.

24. *capiti inhumato:* hiatus in u. *capiti* admissus caesura numeri dactylici defenditur; cf. ad Serm. I 1 108.

25—29. *sic — Tarenti:* post hoc pie factum non modo effugias maris pericula, sed deorum beneficio etiam lucrum facias.

26—27. *Venusinae plectantur siluae te sospite:* ad *plectantur* ex proximis uerbis *quodcumque minabitur eurus fluctibus Hesperiis*, cogita *eo* (*davon mögen getroffen werden die Venusinischen Wälder, während du glücklich davon kommst*). Nimirum si eurus fluctibus Italis (*Hesperiis*), per quos in Illyricum nautae cursus est, minabitur tempestatem, ut haec non in mare, sed mare superuecta in regionem Venusinam concidat ibique siluis laborem ferat, umbra precatur. Eurus aduersus est in Illyricum proficiscentibus.

28. *unde potest:* ex quo loco defluere potest. In pedestri sermone *undecumque potest.* Alii referunt *unde* ad proximum *aequo ab Ioue Neptunoque,* sed hoc fieri tum demum posset, si ea nomina praecederent, ut in exemplis quae afferuntur, Horatii Carm. I 12 17, Vergilii Aen. I 6 (*genus unde Latinum*), Ciceronis de Orat. I 15 (*ille ipse unde cognorit*).

ab Ioue Neptunoque sacri custode Tarenti.
neglegis inmeritis nocituram
postmodo te natis fraudem committere, fors et
debita iura uicesque superbae
te maneant ipsum: precibus non linquar inultis,
teque piacula nulla resoluent.
quamquam festinas, non est mora longa; licebit
iniecto ter puluere curras.

30—31. neglegis — committere *Seruius ad Vergil. Georg.* I 502. 30. Neglegis *ABGH:* Negligis *g.* inmeritis *BG,* ĩmer. *Ag:* immer. *H.* 31. conmittere *B.* fors et *BHgω:* forsan *AGς.* 32—33. uicesque — ipsum *Seruius ad Aen.* II 433. 33. et precibus *H.* inultis] multis *A.* 35. Quamquam *GH,* quãq *Ag:* Quanquam *B.* 36. curas *A.*

29. *Neptunoque sacri custode Tarenti: sacrum* (*ἱερὸν πτολίεθρον*) Tarentum nominatur, quod est in custodia Neptuni, quo genitus est Taras conditor urbis.

30—31. *neglegis — committere:* est protasis hypothetica, quae non efferri debet per interrogationem, quia de re futura et in litore Illyrico peragenda sermo est. Hinc *te maneant,* non *te manent. postmodo* iunge cum *nocituram,* non cum *te* (= ex te) *natis.*

31. *fraudem:* impium facinus *fraudem* dicit, quatenus funere fraudabitur mortuus. *fors et debita iura:* fors est maris casus: nam *infortunium* ut intellegatur, proxima uocabula (*debita iura uicesque superbae*) faciunt. Alii *fors et* pro *fortasse* accipiunt, ut est sane apud Vergilium Aen. XI 19, Propertium II 9 1; Horatius non admisit: aliud enim est *forsit* pro *forsitan* Serm. I 6 49.

32. *uicesque superbae:* si neglegas, tuum corpus post mortem non minus contemptum et a superbis hominibus non humatum iacebit. Poenas esse *uices* dicit Seruius ad Vergil. Aen. II 433.

33. *te maneant ipsum: ipsum* oppositum est priori *te natis;* coniunctiuus pendet ab imprecatione (mögen deiner harren). *precibus inultis:* quarum ultor non erit.

34. *piacula nulla:* piacula sunt *καθαρμοί,* quibus scelus quo quis se obstrinxit, soluitur.

35—36. *licebit — curras:* non dicit *licet — curras,* sed *licebit,* quia loquitur de re in Illyrico litore suscipienda.

36. *iniecto ter puluere:* si fieri potuit, *χοαὶ τρίσπονδοι* (lac, mel, uinum) dabantur; pro quibus sufficiebat ter puluerem inici. Sophocles Antig. 425: *καὶ χερσὶν εὐθὺς διψίαν φέρει κόνιν, ἔκ τ᾽ εὐκροτήτου χαλκέας ἄρδην πρόχου χοαῖσι τρισπόνδοισι τὸν νέκυν στέφει.* Quintil. Declam. 5 6: *hinc et ille uenit affectus, quod ignotis cadaueribus humum congerimus, et insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocumque ueneretur aggestu.*

XXVIIII.

Icci, beatis nunc Arabum inuides
gazis et acrem militiam paras
non ante deuictis Sabaeae
regibus, horribilique Medo

Ad Iccium. Metr. *cet. A.* Ad Iccium loquitur *BH.* *Omisit Diomedes.*
2. miliciam *BH.* 3. sabeae *ABGH.* 4. orribilique *H.*

Carm. XXVIIII. Prooemium. *Icci, tu regibus Arabiae Parthisque bellum inferre meditaris. Quae praemia laborum lauta ac rara inde domum laturus es? Omnia fieri iam possunt, postquam tu pro sectatore philosophiae miles esse uoluisti.* (Metrum Alcaicum)

Poema hoc factum est a. 727 (a. Chr. 27), quo ueteres milites Augustum in Occidentis prouincias abeuntem secuti, noui delectus perdomandae Arabiae et debellandis Parthis habiti sunt. Lege Prooemium ad I 35.

1—2. *Icci, beatis — inuides gazis:* nomen statim in principio poematis positum familiarem mirabundi amici compellationem imitatur; *inuides gazis* a mirante profertur, non ab interrogante: nam si interrogandi signum posueris post *nectis catenas,* totum poema quaestionibus absoluetur, quod Horatius uarietatis amator haud dubie uitauit. Theodisce efferas: *deine Augen gehen wirklich auf die reichen Thronschätze der Araber.* *Gaza* dicitur de pecunia in usum domus regiae seposita. Curtius III 13 5: *pecuniam regiam quam gazam Persae dicunt.* Adde Taciti Ann. VI 37, XVI 3. Cic. Off. II 22: *omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Paulus.* Hic noster II 16 9: *non enim gazae, neque consularis submouet lictor miseros tumultus mentis.* Horatio pluralem numerum praeiuerat Lucretius II 37: *nil nostro in corpore gazae proficiunt.* Itaque non uere Seruius ad Vergil. Aen. II 763: *gaza census Persarum lingua, et est numeri singularis tantum.* Immo unus quisque regum Arabiae suam gazam habet. Horatium imitatur Seneca Hercul. fur. 166: *hic nullo fine beatas componit opes, gazis inhians, et congesto pauper in auro est.*

2—4. *acrem militiam — Sabaeae regibus:* haec respiciunt belli paratus a. 727 aduersus Arabas Parthosque factos, cum Augustus in Galliam et inde contra Britannos iturus, duces autem in Orientem missurus erat. Sabaei felicis Arabiae memorantur ut ceteris ditiores. Ptolemaeus VI 7 § 23. Plinius VI 32 (28): *Sabaei Arabum propter tura clarissimi.*

4. *horribilique Medo:* exercitus ille, ut certe homines inter paratus bellicos ferebant, ex Arabia perdomita in Parthorum regnum iter inuersurus erat. Nam *Medus* est Parthus, de quo ad I 2 22. Egregie componuntur *horribilis* Medus et *catenae* huic nexae a sapientiae studioso. Catenas intellege, quibus uincti Parthorum captiui Romam ducerentur. Arabas *non ante deuictos* esse refert, quod ex tali gente ampliores opes sperantur. III 24 1: *intactis opulentior thesauris Arabum.*

nectis catenas. quae tibi uirginum
sponso necato barbara seruiet?
puer quis ex aula capillis
ad cyathum statuetur unctis,

doctus sagittas tendere Sericas
arcu paterno? quis neget arduis

6. *in fine v.* rl *A, cui reliqua carminis desunt.* 7—8. *Charisius* I 18 28 p. 81. 8. cyatum *G,* ciatum *H.*

5—10. Post relatam praeparationem belli poeta felicem euentum expeditionis confectae mente praecipit, Icciumque quasi tetrarcham uel regem spoliis Orientis ditatum lepide describit.

5—6. *quae tibi — seruiet?:* cogita *sponsum bellantis tyranni* ab Iccio occisum (*sponso necato*) et uirginem principalem praemii loco huic donatam, ut olim Telamoni Aiacis patri Hesiona, ut Aiaci Tecmessa, Achilli Briseis data est.

7. *puer quis ex aula:* pedestris sermonis ordo foret *quis ex aula puer*. *Puer* est Graecorum παῖς et saepe dicitur de seruo nondum adulto. Recte Lambinus laudat Liuii uerba XLV 6: *pueri regii apud Macedonas uocabantur principum liberi ad ministerium regis electi.* Itaque puer ex aula est puer regius (*königlicher Page*).

7—8. *capillis ad cyathum statuetur unctis:* lepor hinc quod Iccius futurus uictor Orientis luxuriam et delicias imitari cogitatur. Puer principalis et delicate exornatus potanti domino pocula ministrabit. Cf. Iuuenalis V 56: *flos Asiae ante ipsum* (dominum est); idem u. 60: *nescit tot milibus emptus pauperibus miscere puer, sed forma, sed aetas digna supercilio.* Suetonius Caes. 49: *Gaius Memmius ad cyathum stetisse Nicomedi* (Caesarem tamquam puerum delicatum more Orientis) *obiecit.*

9—10. *doctus — arcu paterno:* ut pueri pretium augeatur, ex artibus eius una praecipua et patria memoratur. *sagittae Sericae:* sagittae ex ultimis Serum oris petitae ob ferrum ibi praestantissimum; Plin. XXXIIII 41 (14): *ex omnibus autem generibus palma Serico ferro est. Seres hoc cum uestibus suis pellibusque mittunt.* Strabo XV 3 18: (οἱ Πέρσαι) ἀπὸ δὲ πέντε ἐτῶν ἕως τετάρτου καὶ εἴκοσι παιδεύονται τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν καὶ ἱππάζεσθαι. *Sagittas tendere* noue pro *tendere arcum*, ut II 10 19: *neque semper arcum tendit Apollo.* Sic etiam Vergilius Aen. VIIII 606: *flectere ludus equos et spicula tendere cornu.* Idem V 513: *arcu contenta parato tela*, et 508: *oculos telumque tetendit.* De structura *doctus — tendere* cf. ad I 1 18.

10—16. Iam nihil esse ἄελπτον uel ἀπώμοτον dicit, postquam Iccius ex philosopho miles factus sit.

11. *pronos riuos: pronos* est 'prono alueo cadentes'. Hos enim relabi ad montes arduos magis mirum erit, quam qui plano alueo feruntur. Apte Lambinus laudauit Euripidis Med. 410: ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί, et prouerbium inde ductum, cuius meminit Cicero ad Att. XV 4: *si uero etiam Carfulenus,* ἄνω ποταμῶν.

13—14. *coemptos undique nobiles libros Panaeti:* nobiles Panaetii libri sunt qui multa fama apud Romanos celebrantur, Graece κλεινοί. Orellius ad fidem libri Turicensis et exemplo Bentlei scripsit *nobilis* et genetiuum esse credidit, collatis Epl. I 19 39: *nobilium scriptorum auditor,* Cic. Phil. V 5 *Phaedri, philosophi nobilis.* Sed hinc, quod Romani *philosophum nobilem* et *scriptorem nobilem* dicunt, non consequitur licuisse *Panaetium nobilem, Phaedrum nobilem* ponere sic, ut *nobilis* adiectiui uice fungatur. Immo hoc fieri

pronos relabi posse riuos
montibus et Tiberim reuerti,

cum tu coemptos undique nobiles
libros Panaeti, Socraticam et domum
mutare loricis Hiberis,
pollicitus meliora, tendis?

12. tyberim *BG*. 13. nobiles *BGHgω*: nobilis ς. 14. paneti *BG*. socbraticam *G*. 15. hyberis *G*.

non potest, nisi si ἐπίθετον per se constat, uerbi causa Carm. III 17 1: *Aeli, uetusto nobilis ab Lamo*. Panaetius, amicus Scipionis et Laelii, floruit post annum 600 u. c. Prae ceteris celebrati sunt eius libri περὶ καθήκοντος, et hos ipsos *nobilium* librorum nomine Horatius uidetur notasse. Cicero Off. III 2: *Panaetius, qui sine controuersia de officiis accuratissime disputauit, quemque nos correctione quadam adhibita potissimum secuti sumus*. Gellius XIII 27: *legebatur Panaetii philosophi liber de officiis secundus ex tribus illis inclytis* (Horatii *nobiles*) *libris, quos Marcus Tullius magno cum studio aemulatus est*.

14. *Socraticam et domum:* et Socraticorum familiam siue sectam (nam discipuli magistro sunt familia et domus) et hoc rursus pro libris Socraticorum; domus perinde est Epl. I 1 13: *quo me domo, quo lare tuter*.

15. *loricis Hiberis:* ex Hispania loricae afferebantur ob ferri copiam et praestantiam. Plinius XXXIIII 43(15): *Cantabriae maritimae parte, quam Oceanus alluit, mons praerupte altus, incredibile dictu, totus ex ea materia* (ferro) *est*. Idem ibid. c. 41 (14): *summa autem differentia in aqua est, cui subinde candens immergitur. Haec alibi atque alibi utilior nobilitauit loca gloria ferri, sicut Bilbilin in Hispania et Turiassonem*.

16. *pollicitus meliora:* iam paulo fortius instat amico, neque inprudens haec uidetur addidisse, ut illum a coepto consilio reuocaret. *tendis:* Epl. I 19 16: *tenditque disertus haberi*, h. e. operam insumit.

XXX.

O Venus regina Cnidi Paphique,
sperne dilectam Cypron et uocantis
ture te multo Glycerae decoram
transfer in aedem.

Ad Venerem saphicum *A*. Eutice uenere (*uoluit* ueneri) et Glicerae *B*. Eutice ad Venerem pro Glicera *H*.
1. *Diomedes l. c.* cnidi *Aς*: gnidi *BGHgω Diomedes*. 2. sperne d. Cypron *Probus* I 4 21. cypron *pr ABGHgω*: cyprum *corr A*.
3. ture *AHg*: Thure *BG*. glicerae *AH*. 4. tr̃fert *A*. edem *G*.

Carm. XXX. Prooemium. *O Venus, transfer te in aedem, in quam a Glycera puella multo ture uocaris, subsequente comitatu tibi grato.* (Metrum Sapphicum)

Hoc poema factum est, cum Cinara quasi regio imperio potita est, postquam *meliorem Venerem*, quae Flaccum petebat, de statu deiecit poetamque sibi uindicauit, qua de re disputatum est ad I 19. Ex illis, quae l. c. dicta sunt, consequitur hanc odam scriptam esse anno 725 uel a. Chr. 29.

1. *regina Cnidi Paphique:* ex multis oppidis maritimis Veneri sacris duo (*Cnidus* in Caria et *Paphus* in Cypro insula) adeo excellunt, ut horum *regina* (*ἄνασσα, δέσποινα*) non inmerito nominetur. Numina si alio uocantur, ex locis gratissimis acciuntur.

2. *dilectam Cypron:* tota insula deae cara ob Paphum sedem natalem. Tacit. H. II 2: *deamque* (fama tradit) *ipsam conceptam mari huc adpulsam*. *Glycerae:* est Cinara, de qua dictum ad I 19.

3. *ture multo:* cf. annot. ad I 19 16.

3—4. *decoram — aedem:* Glycera in amore potens templum Veneri dicasse, in qua ipsa sacerdotis munere fungitur, cogitatur. Haud dubie poeta *aedem* dixit templum deae, non sacrarium uel lararium in domo priuata Glycerae: nam priuatae *aedes* semper nomine multitudinis dicuntur, diuina aedes singulari, id quod erudite uindicauit Bentleius ad Epl. II 2 92.

5—8. Quali comitatu Venerem uenire cupiat, exponit.

5. *feruidus tecum puer:* feruidus Cupido appellatur ob feruorem amoris, quem incendit. Hinc *uultus flagrantes* ei tribuit Vergilius Aen. I 710.

5—6. *solutis Gratiae zonis:* Gratiae et solutis zonis uesteque fluitante et *nudae* (III 19 17, IIII 7 6) ostenduntur. Pausanias VIIII 35 2 (6): *ὅστις δὲ ἦν ἀνθρώπων ὁ γυμνὰς πρῶτος Χάριτας ἤτοι πλάσας ἢ γραφῇ μιμησάμενος, οὐχ οἷόν τε ἐγένετο πυθέσθαι με, ἐπεὶ τά γε ἀρχαιότερα ἐχούσας ἐσθῆτα οἵ τε πλάσται καὶ κατὰ ταὐτὰ ἐποίουν οἱ ζωγράφοι.* Gratias Veneri iam adiunxit Homerus Odyss. *ϑ* 364—366. Plinius XXXV 40 (c. 11) § 141: *Nicarchus Venerem* (pinxit) *inter Gratias et Cupidines*.

6. *properentque Nymphae:* est hyperbaton pro *Nymphaeque properent*, quae dicendi licentia sic nata est, ut pro uerbo bis posito (*Gratiae properent, properentque Nymphae*) simplex succederet. Exempla referuntur ad II 19 28. Nymphae procliues in amorem et lusus in comitatu Veneris et Gratiarum; IIII 7 5: *Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet ducere nuda choros;* I 1 31: *Nympharumque leues cum Satyris chori*.

feruidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
et parum comis sine te Iuuentas
Mercuriusque.

XXXI.

Quid dedicatum poscit Apollinem
uates? quid orat de patera nouum

6. Graciae *B*. nimphae *BGH*.

Ad Apollinem. Metr. *cet. A*. Eutice ad Apollinem *BH*.
1. *Diomedes l. c.*

7. *parum comis sine te Iuuentas:* Xenophon Conuiu. c. 1 § 10: *οἱ δ' ὑπὸ τοῦ σώφρονος ἔρωτος ἔνθεοι τά τε ὄμματα φιλοφρονεστέρως ἔχουσι καὶ τὴν φωνὴν πρᾳοτέραν ποιοῦνται καὶ τὰ σχήματα εἰς τὸ ἐλευθεριώτατον ἄγουσιν.*

8. *Mercuriusque:* ex praegressis cogita *tecum properet* in aedem Glycerae, non tamen *parum comis sine te*, quae non nisi *Iuuentati* conueniunt. Plutarchus Coniugalia praecept. Prooem.: *οἱ παλαιοὶ τῇ Ἀφροδίτῃ τὸν Ἑρμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς περὶ τὸν γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγου δεομένης, τήν τε Πειθὼ καὶ τὰς Χάριτας, ἵνα πείθοντες διαπράττωνται παρ' ἀλλήλων ἃ βούλονται, μὴ μαχόμενοι μηδὲ φιλονεικοῦντες.*

Carm. XXXI. Prooemium. *Quid poeta poscit Apollinem modo dedicatum? Non opes precatur, sed sanam mentem cum corpore sano, sed poeticae artis facultatem etiam seni mansuram.* (Metrum Alcaicum).

Carmen compositum est a. u. 726 uel 28 ante Chr.: respicit enim aedem Apollinis Palatini tunc a Caesare Octauiano dedicatam. Dio LIII 1: *τό τε Ἀπολλώνειον τό τε ἐν τῷ Παλατίῳ καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτὸ τάς τε ἀποθήκας τῶν βιβλίων ἐξεποίησε καὶ καθιέρωσεν.* Suetonius Aug. 29: *templum Apollinis in ea parte Palatinae domus excitauit, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronuntiauerant. Addidit porticus* (= *τεμένισμα*) *cum bibliotheca Latina Graecaque.* Adde Velleium II 81, Dionem XLVIIII 15. De praeclari poematis euentu coniecturam communicaui in fine Prooemii ad proximum carmen conscripti, quae si uera est, apparet causa cur alterum excipiat alterum.

1. *quid dedicatum — uates?: dedicatum*, h. e. *modo* uel *recens dedicatum*, ponit, ut Apollinem *Palatinum* a se dici significet. Nam et alia et antiquior Apollinis aedes, uota a. 321, dedicata a. 323, sita ad circum Flaminium, in urbe erat. Liuius IIII 25 et 29. Beckeri Enchirid. Ant. Rom. I p. 605. De Palatino dedicato a. 726 dictum in Prooemio; cf. Epl. I 3 17: *tangere uitet scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo*, item cognomento non addito Epl. II 1 216: *si munus Apolline dignum uis complere libris.* Vates appellatur poeta, quod quasi deorum interpres prouida mente proloquitur ea, quae uulgo incomperta sunt. Conf. I 1 35; II 6 24, 20 3; III 19 15; IIII 3 15, 6 44, 8 27, 9 23; Epod. 17 44; Epl. I 7 11; II 1 119 et 133 et 217 et 249, II 2 80 et 94 et 102; AP. 24 et 400. De se ipso loqui poeta interim celat, obiter professurus in carminis exitu.

2—3. *de patera nouum fundens liquorem:* uino *hornotino* siue *horno*

fundens liquorem? non opimae
Sardiniae segetes feraces,

non aestuosae grata Calabriae
armenta, non aurum aut ebur Indicum,
non rura quae Liris quieta
mordet aqua taciturnus amnis.

premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, uitem, diues et aureis

3—4. opimas — feracis *uitium ed. Cruquianae.* 5. estuosae *G,* aestiuosae *A.* 7. lyris *BG.* 10. et *BHgω* (*u. Bland.*) *Acron:* ut *AGς Porphyrion.*

libare solebant praesentem gratiam deis relaturi. Epod. 2 47: *horna dulci uina promens dolio dapes inemptas apparet* (in sacro foco); III 23 3: *si ture placaris et horna fruge Lares.* Conf. Propertii IIII 3 61: *illa dies hornis caedem denuntiat agnis.* Petronius c. 130: *spumabit pateris hornus liquor.* Cur *bimum* merum ab Horatio I 19 15 nominetur, suo loco explicatum est.

3—4. *non opimae — feraces:* non concupiscit latifundia agri prouincialis. *opimae* epitheton ubertatem insulae Sardiniae et opes inde redundantes denotat, ut I 7 11 *Larissae campus opimae, pinguis* Phrygia II 12 22. Sardiniam ex more poetarum singula sectantium posuit pro fertili et uicina prouincia, in quibus ciues Romani amplas possessiones acquisiuerant. Valerius Max. VII 6 § 1: *Siciliamque et Sardiniam, benignissimas urbis nostrae nutrices, dimisit.* Silius XII 375: *cetera* (Sardiniae) *propensae Cereris nutrita fauore.* Strabo V 2 7 p. 224: *ἔστι δὲ αὐτῆς τὸ πολὺ μέρος τραχὺ καὶ οὐκ εἰρηναῖον, πολὺ δὲ καὶ χώραν ἔχον εὐδαίμονα τοῖς πᾶσι, σίτῳ δὲ καὶ διαφερόντως.* *segetes:* segetes siue sata frumenti, quod optimum in Sardinia gignitur. Epl. II 2 161: *cum segetes occat tibi mox frumenta daturas.*

5—6. *non aestuosae — armenta:* aliud diuitiarum genus in pascuis et pecoribus continetur, quorum cupidi sunt de uulgo homines, non uates; *aestuosa* est Calabria solis aestu. Catullus 7 5: *oraclum Iouis aestuosi;* 46 5: *Nicaeaeque ager uber aestuosae.* Conf. Carm. I 22 5. Ad uitandos Caniculae aestus pecora ex Calabris pascuis in Lucana agebantur: Epod. 1 27: *pecusue Calabris ante sidus feruidum Lucana mutet pascuis.* Grata sunt Calabriae armenta (boues) propter speciem et nitorem.

6. *non aurum aut ebur Ind.:* iam enumerat thesauros qui domi asseruantur. Plinius VIII 10 § 31: *dentibus* (elephantorum) *ingens pretium, et deorum simulacris lautissima ex iis materia.*

7—8. *non rura — amnis:* non poscit illos Italiae agros qui pretiosis uinis excellunt. Liris *quietam aquam* trahit et *amnis taciturnus* est, ubi non procul a mari Latium et Campaniam disterminat. Illic ad sinistram Liris ripam Sinuessanus ager et Falernus, etiam mons Massicus et Caecubus, donis Liberi celebrati. Horatium non dextre imitatur Silius IIII 350 et VIII 401.

9—12. Altius assurgit dicens, se nemini inuidere gratas opes neque fructum diuitiarum. Duos iungit, unum qui parandis opibus laetatur, alterum qui fruendis.

mercator exsiccet culullis
uina Syra reparata merce,

dis carus ipsis, quippe ter et quater
anno reuisens aequor Atlanticum
inpune: me pascunt oliuae,
me cichorea leuesque maluae.

11. culullis *Gς:* culillis *g, ascripto in margine* Al culullis *H*, cululis (l *supersc. al. m.*) *B*, cui illis *A*. 13. Diis *H*. 14. equor *G*. Atlantidum *unus Blandinius*. athlanticum *BH*. 15. Inpune *BG:* Imp. *AHg*. 16. cychorea *B*, cicorea *A*, cycorea *G*, cithorea *H*, cichoree *g*.

9—10. *premant — uitem:* ex opere uinitoris eam curam memorauit, quae praecipue in generosis uinis adhibetur. Nam in his cauetur, ne luxurientur uites, idque fit *pressis* siue *castigatis* uel resectis amputatisque surculis et fronde inutili. *Premere* pro *amputare* est metaphora, qua genus pro specie deligitur. De Caleno uino cf. ad I 20 9.

10—12. *diues et — reparata merce:* post eos qui uina generosa in agris colunt, transit ad illos qui sua pecunia empta bibunt. Vetus est scripturae diuersitas *diues et* atque *diues ut*. Alterum si sequamur (*diues ut*), irridebitur et auarus esse ostendetur qui colit uitem, cuius ironiae causa quae sufficiat, nunc non adest. Immo poeta utrique fortunam suam libens cedit ac sibi non optatam uideri profitetur; hoc inest uerbis *diues et*. Id in uetere Blandinio fuisse colligo ex glossa commentatoris Cruquiani: 'ordo est *et diues mercator*' cet. Mutandi occasionem dedit liberior uerborum collocatio, sed Flacco frequens; cf. ad Epod. 9 13—14. *aurei cululli:* sunt pocula ex auro solido ad denotandam opulentiam et luxuriam. De culullis Acron: '*culullis*, poculis. Proprie autem cululli calices dicuntur fictiles, quibus pontifices uirginesque Vestales utebantur'.

12. *Syra merce reparata:* acquisita mercibus ex Syria aduectis. III 7 3: *Thyna merce beatum. Syram mercem* prae ceteris cogitauit nardum et malobathrum (II 7 8, 11 16); exsiccare noue dictum pro *epotare;* I 35 26: *diffugiunt cadis cum faece siccatis amici.*

13. *dis carus ipsis:* quid sibi uelit *ipsis* pronomen, interpretes non exposuerunt. Respicit *Fortunam* u. 11 nominatam, quae aliis generosa uina Calena dedit; mercatori autem et Fortuna fauet, quod diuitem fecit, et amici sunt ipsi di, quod hinc intellegitur, quia aequor Atlanticum ter et quater anno incolumis reuisit, quod cum ceteri audent, inpietatis crimen incurrunt et plectuntur. Conf. I 3 22: *nequiquam deus abscidit prudens Oceano dissociabili terras, si tamen inpiae non tangenda rates transiliunt uada.*

15. *me pascunt oliuae:* oliuae memorantur tamquam fructus in Italia frequentes et uiles. Epod. 2 55, Serm. II 2 46. Nam cibi, qui nunc enumerantur, tamquam ubique et sponte nascentes opponuntur uiuis labore partis aut merce rara emptis. Tanaq. Faber probante Bentleio et consentiente codice Regiae Societatis *pascant* coniecit. Sed poeta h. l. non dicit, quod ipse cupiat, sed causam affert cur opes ab dedicato Apolline non petat.

16. *me cichorea leuesque maluae:* *cichorēa* (intuba, Endiuien) cum po-

frui paratis et ualido mihi,
Latoe, dones, at, precor, integra
cum mente, nec turpem senectam
degere nec cithara carentem.

17. michi *B*. 18. at *A pr BGHωg:* ac *corr B cum paucis aliis*, et *Lambinus*. 20. cythara *BGHg*.

suit, in fine nominis quattuor breues syllabas suppeditantis simili uenia usus est, ut Graeci poetae in principio uoc. *ἀθάνατος* et Latini in *Italia* primam aut secundam producunt. Apud Pollucem (VI 62) olim erat *κιχορεῖον*, sed Bekkerus *κιχόριον* restituit. Plinius XX 30 (8) § 74: *cichorium refrigerat. In cibo sumptum et illitum collectiones, sucusque decocti uentrem soluit. Iocinori et renibus et stomacho prodest.* Ab Horatio in cichoreis nunc uda uilitas respicitur. *leuesque maluae:* graue corpus alleuantes: Epod. 2 58: *aut graui maluae salubres corpori.*

17—20. Nunc demum ipsae preces uatis siue Horatii sequuntur. Optat ille, ut quae in promptu sibi sint, iis sanus frui possit, neue senex bona fama aut cithara careat.

17—18. *frui paratis et ualido mihi — dones: ualido mihi* est 'dum ualidus sum aetate et uiribus'. Huic respondet alterum membrum *nec turpem senectam degere* (= *et non* turpem senectam degere), quod ipsum explicatur proximis *nec cithara carentem:* nam senectutem sine carminibus indecoram sibi putat Horatius. Prius autem enuntiati membrum (*frui paratis et ualido mihi*) dilatatur illatis *at, precor, integra cum mente,* quo notatur praecipuum ualidi hominis decus sanam mentem esse. Vulgo pro *at* ex coniectura Lambini legitur *et:* sed Horatii codices non sunt eiusmodi, ut uox tam innoxia (*et*), si ab initio adfuisset, in omnibus corrumperetur. Linguae legibus aduersatur *ac*, ut in libris perpaucis scriptum est, quibus ut ipsos Blandinios annumerent, imperiti uagis Cruquii uerbis induci facile possunt: quippe scribit: 'sic (*ac*) legendum est, ut habent scripti cod. non *at*, ut habent uulgati'.

XXXII.

Poscimur. siquid uacui sub umbra
lusimus tecum, quod et hunc in annum

Ad Liram *A*. Prosphonetice ad lyram *B*. Prosphon. ad lyr. de carminibus suis *H*.
1. *Diomedes l. c.* 1—2. tecum *Seruius ad Vergil. Ecl.* 1 10.
1. Poscimur *pr Bg tres Blandinii Diomedes Acron* ς*:* Poscimus *AGHω unus Blandinius Diomedes altero loco* (*nam bis habet*) *Porphyrion. Seruii codices fluctuant.* 2. in] per *G*.

Carm. XXXII. Prooemium. *Nunc cum ad canendum poscor, dic, lyra, carmen Latinum eiusmodi, in quo apud ciues suos excelluit Alcaeus.* (Metrum Sapphicum)

Quemadmodum Horatius saeculari carmini praelusit alio minore (IIII 6), sic in hoc poemate aliud grauius uel alia maiora ad Alcaei morem componenda annuntiauit seque rogatum esse qui caneret, professus est. Qui saeculare carmen nuntiari putauerunt, falluntur, quod eius prooemium extat, et quod tres primi carminum libri editi sunt, antequam ludi saeculares celebrabantur. Accedit quod carmen saeculare strophas Sapphicas habet, non metrum Alcaicum. Alii cogitarunt de carmine libri primi duodecimo. Cui coniecturae locus carminis illius et numeri iuxta repugnant. Cogitet alius de carmine 35 huius libri: sed illud quamuis graue non tamen ea dignitate uidetur esse, ut tali prooemio praeludatur. Verum quaerentibus nobis, quo tandem referatur hoc prooemium, opportune se offerunt sex carmina prima libri tertii, quae uno consilio conscripta et omnia numeris strophisque Alcaicis composita sunt. Ea demum satis grauia, satis magna, quae sollemni carmine praenuntientur. Quis fuerit qui poposcit Horatium, in obscuro esse nequit. Fuit Maecenas, qui sua sponte aut impulsu principis Augusti cum Horatio egit et optauit, ut de colenda omni uirtute (III 1—4), de patria tuenda et dis pie uenerandis (III 5—6) caneret; sic enim fore credidit Maecenas, ut quae Augustus legibus ferendis et edictis publicandis ad emendandos mores populi Romani et ad stabiliendas leges antiquas moliretur, Horatius dulcissimis carminibus commendaret et primores populi hac uia ad meliorem frugem conuerteret. Cum illa tertii libri carmina anno urbis 726 et proximo composita sint, hoc de quo nunc loquimur, anno 726 (a. Chr. 28) assignabimus. Si quis quaerat, cur hoc munus Horatio a Maecenate et principe impositum sit, ei, si coniectura contentus esse uelit, causam fuisse responderim libri tertii carmen uicesimum quartum, primi libri tricesimum primum, illud anno 725, hoc a. 726 cantatum. Nimirum inde uiri perspicaces facile hoc intellegebant, sapientiorem boni moris praeceptorem, quam fuit Horatius, inueniri non posse.

1. *poscimur:* poscimur ut cantemus; sed notio *ut cantemus* continuo per tres strophas ita explicatur, ut hoc breuissimum enuntiatum (*poscimur*) cum longissimo componatur. Quamquam libri ueteres inter *poscimur* et *poscimus* mire fluctuant, prius tamen unice uerum esse facile est ad intellegendum: nam uerbum passiuum implere enuntiatum potest, actiuum non potest. Acron interpretatus est scripturam *poscimur*, Porphyrion *poscimus*. Illud dictum est ad ueterem morem, quo certatores suo quisque loco ad partes uocabantur sine poscebantur.

1—3. *siquid uacui — et plures:* dicit carmina ludicra et Musam ioco-

uiuat et plures, age dic Latinum,
barbite, carmen,

Lesbio primum modulate ciui,
qui ferox bello, tamen inter arma,
siue iactatam religarat udo
litore nauim,

Liberum et Musas Veneremque et illi
semper haerentem puerum canebat

5. Lesbyo *G*. 8. nauim *A pr G:* nauem *BHg*. 10. herentem *GH*.

sam, cui carmen Latinum de grauibus rebus ad Alcaei morem iam cantandum opponit. Adhuc lusus temptasse *uacuus* (h. e. curarum publicarum expers) sibi uidetur: nunc maiora aggredi animum inducit.

3—4. *dic Latinum*, *barbite*, *carmen:* Latinum est uerbis Latinis compositum ac respicit *Graecum* Alcaei carmen. Ipsum hoc ad rem publicam pertinere significatum est uerbis *barbite, Lesbio primum modulate ciui*, quibus dicuntur quae *ciuis* Alcaeus ciuibus suis cecinit in illis quae *Στασιωτικά* uocata sunt, quorum frustula (u. Bergkii Poetae l. Gr. p. 708—712) septemdecim supersunt (n. 15—31).

5. *primum modulate: modulari* est ex eo numero uerborum, quorum participium temporis praeteriti etiam passiuo genere usurpatur. Quintilianus VIIII 2 35: *quod nomen ductum a canticis ad aliorum similitudinem modulatis*. Porphyrion ad Horat. Serm. I 2 3: *carmina eius* (Horatii) *parum scite modulata esse dicebat* (Hermogenes Tigellius). *Modulari* proprie de musico dicitur: nam ueteres poetae simul musici fuerunt.

6—12. Cur tot uerba de ludicris Alcaei poematis fecit? Nimirum ne forte mirarentur ciues sui sese, qui adhuc uacuus lusisset, accedere ad res ciuiles, utrumque uersuum genus etiam ab Alcaeo graui auctore iunctum esse monuit.

6. *ferox bello:* lege Herodotum V 95, Strabonem XIII 1 38 p. 600, Athenaeum XIIII p. 627 A. Frater eius Antimenidas non minus bellicosus Babyloniorum socius pugnauit: Strabo XIII 2 3 p. 617. *inter arma:* in mediis castris aut in classe; his statim opposuit militiae naualis spiramenta et quietem.

7—8. *siue iactatam — nauim:* inter nauigandum Alcaeus mari nauique et hostibus intentus agebat: uerum cum labor cessabat et nauis humido litori religata tenebatur, barbiton protraxit, canere coepit iocosa et animum exhilarantia.

9—10. *Liberum — puerum:* memoratur Alcaei hymnus in Apollinem, Mercurium, Mineruam, Amorem, Vulcanum.

11—12. *Lycum — decorum:* his notatur *παιδικὴ μοῦσα* Alcaei, pars *τῶν Ἐρωτικῶν*. Ad Lycum etiam illud dictum, *οἶνος, ὦ φίλε παῖ, καὶ ἀλάθεα*, prolatum a Schol. Platonis (p. 377 ed. Bekker), imitatione expressum a Theocrito in carmine 29. Schol. Pindari Ol. X 15: *Ἀλέγων: ὑμνῶν. καὶ Ἀλκαῖος: οὐκ ἔγω Λύκον ἐν Μοΐσαις ἀλέγω*. Cicero ND. I 28: *naeuus in articulo pueri delectat Alcaeum. At est corporis macula naeuus: illi tamen hoc lumen uidebatur.* Nigri oculi et crines nigri documenta praecipuae pulchritudinis. AP. 37: *spectandum nigris oculis nigroque capillo*. Catullus 43 1: *salue nec minimo puella naso nec bello pede nec nigris ocellis*.

et Lycum nigris oculis nigroque
crine decorum.

o decus Phoebi et dapibus supremi
grata testudo Iouis, o laborum
dulce lenimen, mihi cumque salue
rite uocanti.

11. licum *Ag pr. H.* 13. phębi *B,* phebi *Gg.* suppremi *H.*
15. mͥ cũq,(*h. e.* mihi cumque) *A,* michi cumq; *Bg.*

13—15. *o decus — dulce lenimen:* est sollemnis inuocatio lyrae, ut sibi in carminibus mox pangendis obsequi uelit. Tribus partibus celebrat lyram, quod decus (ἄγαλμα) sit Phoebi dei prae ceteris decori, quod grata conuiuanti Ioui, quod curas et labores leniat.

13—14. *dapibus supremi — Iouis:* hoc fortasse sumpsit ex Homeri Iliad. *A* 603.

14—15. *laborum dulce lenimen:* cogitat de laboribus bellorum; cf. III 3 37—40.

15. *mihi cumque:* nouum hoc est, quod explico, *mihi, quicumque sum*, h. e. cuiuscumque pretii sum siue quacumque canendi facultate praeditus sum; *cumque* alibi relatiuis adiungi solitum nunc felici audacia pronomini personali adiectum est. Orellius sequitur Regelium scribentem: '*cumque* eandem uim habet, quam in compositis uu. *quandocunque, quotiescunque*, ut temporis notionem latissime patere significet. Temporis notio inest in participio *uocanti:* in cuius locum si substituis *quando uocauero*, uocis significatio satis clara est'. Haec non uera sunt, quod *cumque* pro natura uocis encliticae non ad sequentia potest referri, ut facile ostendent exempla ad I 6 3 ascripta. Lachmannus ad Lucret. V 311 coniecit *medicumque* pro *mihi cumque*. *salue:* 'salutationem meam propitio animo accipe' (*lass dir meinen Gruss gefallen*), h. e. *faue.*

16. *rite uocanti:* cum te, ut decet, uoco.

XXXIII.

**Albi, ne doleas, plus nimio memor
inmitis Glycerae, neu miserabiles**

Paranetice ad albium Tybullum [asclealbium]. consolatur dolentem quod neglegatur a scorto *B*. *Eadem in H, qui* Paranete *pro* paranetice *scribit et nomen* Tibullum *omittit.*

se
1. *Diomedes l. c.* 2. Inmitis *BG*: Immitis *Hg*. mirabiles *B*. clycerae *H*. 2—3. neu miserabiles — elegos *Diomedes* III 9 2 p. 482. 2—4. neu — fide *Priscianus* XVII 7 49; *adde* XVIII 15 130.

Carm. XXXIII. Prooemium. *Fidem a Glycera laesam esse ne nimis, Albi, doleas aut miserabiles elegos decantes: idem enim aliis multis accidit.* (Metrum 18)

Ex Tibulli elegis huius alloquii argumentum explicari nequit. Nam *Delia* (Plania), prior ignis Tibulli, fidem fefellit, non tamen forma et iuuenta aemuli, sed donis euicta; *Nemesis*, altera cura, quaestus causa et Tibullum et alios passim admisit. Tibullus igitur in tertio quodam amore non felice Flacci admonitioni obsecutus uidetur esse, ut miserabiles elegos non cantaret aut inchoatos omitteret. Vbi Horatius in Serm. I 10 81 sqq. familiares longa serie recensuit a. 723, Tibullus nondum comparet. Aliquanto post ad amicitiam Horatii ille uidetur accessisse, cuius primum documentum hoc carmen habemus, alterum in epistula 4 libri primi accepimus. Quod de spe melioris Veneris a se olim omissa cum amico in uu. 13—16 huius odae communicauit, hoc ad annum urbis 725 pertinere in Prooemio I 19 expositum est. Paulo post illud tempus Horatius haec ad Tibullum uidetur misisse, aut sub finem anni 725 (a. Chr. 29) aut principium a. 726.

1—2. *Albi, ne doleas, plus nimio memor inmitis Glycerae:* post doloris dissuasionem causam et fontem eius tristitiae addit. Alii *plus nimio* non apte iungunt cum *doleas*. Refragatur diaeresis post uerbum *doleas* et artior iunctura alterius ordinis *plus nimio memor* (–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓). *Plus nimio* legimus I 18 15, Epl. I 10 30. In pedestri sermone dicunt *nimio plus*, ueluti Cicero ad Att. X 8 B: *te nimio plus diligo. inmitis* siue dura Glycera est, quod amantis et dolentis Tibulli non miseretur.

2—3. *neu miserabiles decantes elegos: miserabilis* est qui miseratione dignus uidetur. Quod cum proprie de homine dicatur, nunc a poeta feliciter audente ad elegos, quibus misericordiae affectus mouentur, translatum est. Cf. Vergil. Georg. IIII 514: *miserabile carmen integrat.* Horatius ob mollem Tibulli animum ante cognitum miserabiles elegos in illius dolore expectat et dissuadere conatur. *Decantes* longam seriem elegorum denotat. Epl. I 1 64: *nenia — decantata Camillis.*

3—4. *cur — praeniteat: cur* idem atque *eo quod*. Epl. I 8 9: *irascor amicis, cur properent. Praeniteat* referendum ad Glycerae oculos et iudicium: Glycerae magis nitere uidetur iunior aliquis quam tu. Similem sui fortunam in Pyrrha Horatius significauit I 5 1. Vocabulo *iunior* causam, cur postponatur Tibullus, poeta adiecit. Tibullus non anno 711, ut olim credebatur ob distichon lib.

decantes elegos, cur tibi iunior
laesa praeniteat fide.

insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor; Cyrus in asperam
declinat Pholoen: sed prius Apulis
iungentur capreae lupis

quam turpi Pholoe peccet adultero.
sic uisum Veneri, cui placet inpares

4. Lesa *BGH.* preniteat *BG.* 6. Cyrri — cyrrus *G.* 7. pholoem *G.* 9. quam] Quam ita (*hoc correctum in* tã) *H.* 10. sic u. Veneri *Seruius ad Vergil. Aen.* III 2. inpares *B*, ĩp. *g:* imp. *GH.*

III 5 17 praue acceptum de natali Tibulli, sed circa annum u. c. 695 natus est. Vid. Disseni disquis. de uita et poesi Tibulli p. XII sqq. *laesa fide:* fidem intellege quam olim Glycera Tibullo interposuerat, se ei semper deditam fore.

5. *insignem tenui fronte:* 'angusta et parua, sicuti pulchrae habere consueuerunt'. Acron. Nimirum in densis iuuenum et puellarum crinibus frons angusta uidetur esse. Epl. I 7 26: *forte latus, nigros angusta fronte capillos.* Martialis IIII 42 9: *frons breuis atque modus leuiter sit naribus uncis.* Statius Silu. II 1 43: *et castigatae collecta modestia frontis.* Consentiunt ueteris artis opera.

6. *Cyri torret amor:* uerbum *torret* h. l. non expleti amoris affectum denotat. Apollonius de pronom. p. 387 *A:* ἡμᾶς, ἄμμε, *Αἰολεῖς·* ὄπταις ἄμμε, *Σαπφὼ πρώτῳ.* III 19 28: *me lentus Glycerae torret amor;* simpliciter de ardente amore positum est III 9 13: *me torret face mutua Calais;* IIII 1 12: *torrere iecur idoneum.*

6—7. *Cyrus — declinat Pholoen: declinare* dixit de amore infeliciter aberrante. Nam *declinare* est a recta uia in prauam uergere. Cyrus uitat illam quae amore eius incensa est, sectatur eam quae fugit. *Pholoen* uidetur dicere puellam a se ipso amatam. II 5 17: *dilecta, quantum non Pholoe fugax;* cf. III 15 7.

7—8. *Apulis lupis:* De mensura et forma *Apulus* uid. ad III 4 9. *Apuli lupi* memorantur, quod frequentes sunt in Apuliae siluis. Eandem imaginem amplius exornauit Epod. 16 30—32. Vergil. Eclog. 8 26: *iungentur iam gryphes equis.* Aristophanes Pace 1076: *πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ.*

9. *quam turpi Pholoe peccet adultero* (*als Ph. mit einem garstigen Buhlen sündigen sollte*): *turpis* huic puellae foret et *adulter* Cyrus, quod admisso illo fidem suo et uni datam rumperet. Vocabulum *adulter* in hac re nihil probri habet (I 36 18: *nec Damalis nouo diuelletur adultero*), neque Cyro turpe adulterium uitio datur. Exempla longe artificiosius ab Horatio iuncta quam a Moscho Idyll. 6 1: *ἤρα Πᾶν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ' Ἀχὼ σκιρτητᾶ Σατύρω, Σάτυρος δ' ἐπεμαίνετο Λύδᾳ.*

10—12. Causam rei affert et a saeuo Veneris arbitrio repetit.

10. *sic uisum Veneri:* scite Acron: 'quotiescumque ratio non apparet, 'sic uisum' interponitur, ut Vergilius (Aen. III 1): *postquam res Asiae Priamique euertere gentem inmeritam uisum superis'*. Ouidius Metam. I 366: *sic uisum superis.*
inpares: non conuenientes.

formas atque animos sub iuga aenea
saeuo mittere cum ioco.

ipsum me melior cum peteret Venus,
grata detinuit compede Myrtale
libertina, fretis acrior Hadriae
curuantis Calabros sinus.

11. enea *BGg*. 12. Seuo *BGHg*. 14. cūpede *B*. myrthale *G*, mirtale *g*. 15. Lybertina *H*. hadriae *H*, adrie *g*.

11. *sub iuga aenea:* h. e. in firmam seruitutem. III 9 18: *quid si prisca redit Venus diductosque iugo cogit aeneo?* Nam sub iugum aeneum qui missus est, non facile perrumpet. Sic subacti aut potiuntur uoto suo, aut excidunt et frustra nituntur, quae idea nunc Horatio obuersatur, altera illa in Carm. III 9 18. Egregie composuit *saeuo cum ioco.* Oblectatur dea ioco et ludibrio, sed huiusmodi iocus saeuus amantibus est. Claudianus Cons. Prob. 81: *hic sub iuga ferrea nectit cornipedes.* Idem de Fortuna dicit in Eutrop. I 25: *hoc regni, Fortuna, tenes? quaenam ista iocandi saeuitia?*

13—16. Postremum suo exemplo Tibullum solatur.

13. *melior cum peteret Venus:* dicit matrimonium cum honesta puella olim sibi oblatum, sed amore libertinae cuiusdam impeditum. Sic apparet, quid *melior Venus* sibi uelit et cur Myrtales *libertinae* status memoretur, in qua peiorem Venerem Flaccus agnouit. In eadem causa scripsit in Epod. 14 15: *me libertina, neque uno contenta, Phryne macerat:* nam illic feminam a se amatam opponit honestae puellae Terentiae, cuius matrimonium Maecenas tunc ambiebat. Puellam, quae meliorem Venerem emouit, *Cinaram* fuisse in Prooemio carminis I 19 demonstraui. Sed illam cur in hoc carmine *Myrtalen* uocauit, non *Glyceram,* ut I 19? Scilicet Glycerae nomen nunc ponere non potuit, quod eo iam usus est in Tibulli puella; suppeditauit igitur aliud nomen a uirente, ut uidetur, aetate eius libertinae repetitum.

14. *grata — compede:* IIII 11 23: *tenetque grata compede uinctum.* Detinere nunc est ita uincire, ut oblata melioris Veneris occasio neglegeretur.

15. *fretis acrior Hadriae:* commoti animi puella indignata est acriter, quod se Flaccus deserere uellet, eoque hunc a coepto consilio deiecit; cf. III 9 23: *inprobo iracundior Hadria.*

16. *curuantis Calabros sinus:* cuius impulsus curua reddit litora sinus Tarentini, hoc est arenam litoris in curuam speciem compellit. Cf. IIII 5 14: *curuo nec faciem litore dimouet.*

XXXIIII.

Parcus deorum cultor et infrequens,
insanientis dum sapientiae
consultus erro, nunc retrorsum
uela dare atque iterare cursus

Ad se philosophantem *B*. Ad Fortunam et se ipsum *H*.
1. *Diomedes l. c.* 2. sapienciae *B*. 3—5. nunc — relictos *Eutychius* II 13.

Carm. XXXIIII. Prooemium. *Insanientem sapientiam, quam adhuc secutus sum, omisi cultumque deorum diligentius retractare coepi, postquam manifestis indiciis didici res humanas deo omnipotenti curam esse.* (Metrum Alcaicum)

Attende, lector, animum. En carmen uersibus ambituque paruum, argumento grauissimum! Epicuri de securitate deorum placita Athenis comperta Flaccus uehementius quam cautius hauserat. Mox diuinam potentiam in caeli euentis et ostentis, magis in subitis casibus rerum humanarum agnouit, id quod in hoc carmine ingenue et ut decebat uirum liberum, professus est.

Carmen eodem anno compositum esse arbitror, quo quintum tertii libri cecinit, cuius initium est huic cognatum (*caelo tonantem credidimus Iouem regnare*), h. e. anno urbis 727 (a. Chr. 27). Recentes tunc animo haerebant casus uicesque regnorum, qui anno 724 euenerant, quos paucis uerbis significauit (14—16): *hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto sustulit, hic posuisse gaudet*, de quibus in annotatione dictum est. Aliam temporum rationem iniit uir doctus (*Fridericus Veberweg*) in Philologo VI p. 306—323, cui hoc poema a. 729 factum uidetur.

1. *parcus — infrequens: parcus* in offerendis hostiis, *infrequens*, quod aedes deorum raro adire solitus est.

2—3. *insanientis — erro*: et uerbo *erro* et uoce *insanientis* doctrinam deorum ab Epicuro propositam falsam esse confitetur. Probabat hanc sapientiam a. 717; Serm. I 5 101: *deos didici securum agere aeuum, nec siquid miri faciat natura, deos id tristis ex alto caeli demittere tecto;* cf. Diog. Laert. X 139. Cic. ND. I 17. Lucretius I 62 sqq., V 83, VI 58. *consultus* rei dicitur qui tam peritus est, ut aliis responsa dare possit. *Insanientis sapientiae* conuerte τῆς ἀσόφου σοφίας. Notatur arrogantia qua Epicurei suam doctrinam sapientiam κατ' ἐξοχήν dicere solebant. Lucretius V 10: *deus ille fuit —, qui princeps uitae rationem inuenit eam quae nunc appellatur sapientia;* II 7: *munita tenere edita doctrina sapientum templa serena.*

3—4. *nunc retrorsum uela dare:* uela sic collocanda sunt, ut nauis retro uersa uehatur.

4—5. *iterare cursus relictos:* qui cursus relictos repetit, olim in hac uia ingressus est. Scilicet pater Flacci, cui traditum ab antiquis morem seruare (Serm. I 4 117) cordi fuit, cum filio religiones patrias et summi Iouis reuerentiam communicauerat, quae ille spreuit, cum Epicureos Athenis audiuit et secutus est.

cogor relictos. namque Diespiter,
igni corusco nubila diuidens
plerumque, per purum tonantes
egit equos uolucremque currum,

quo bruta tellus et uaga flumina,
quo Styx et inuisi horrida Taenari

5—8. namque Diespiter plerumque per purum egit equos (*sic*) *Seruius ad Aen.* VIIII 570. 5. nanque *H*. 6. chorusco *G*. 7. tonantis *Hg*. 9. et (*sic*) bruta tellus *Seruius ad Aen.* X 102. 10. stix *BGH*. tenari *BGHg* (*H* trenari).

5—12. Causam reddit, cur probatam ante sapientiam abiecerit. Manifesto, dicit, indicio nuper cognoui Ioui curam esse res humanas et meas.

5—8. *namque — egit equos uolucremque currum: namque* (καὶ γάρ) unam et praecipuam causam affert, cur sententiam et uitae cursum mutauerit. *Diespiter:* Varro LL. V § 66: *hoc idem magis ostendit antiquius Iouis nomen: nam olim Diouis et Diespiter dictus, id est dies pater.* Seruius ad Aen. VIIII 570: *sane lingua Osca Lucetius est Iuppiter dictus a luce quam praestare hominibus dicitur. Ipse est nostra lingua Diespiter, i. e. diei pater.* Quod nomen priscis temporibus de Iano lucis numine dictum uidetur esse (cf. Serm. II 6 20: *matutine pater, seu Iane libentius audis*), id mox fortasse translatum est ad Iouem: nam *Iuppiter* et *Diespiter* ut idem esse crederent, Latini facile induci poterant. Sic etiam III 2 29.

6—7. *igni corusco nubila diuidens plerumque:* Iuppiter cum alias per nubila lucere et fulmina mittere solitus sit, fulgur illud a me sereno die uisum prodigium manifestum fuit, quo sui praesentiam deus ostendit. Conf. Vergil. Georg. I 487: *non alias caelo ceciderunt plura sereno fulgura.* Lucanus I 530: *fulgura fallaci micuerunt crebra sereno.* Ibid. 533: *tacitum sine nubibus ullis fulmen.* Seneca Thyest. 263: *tonat dies serenus.* Homeri Odyss. υ 112—114. Sine nubibus et sereno caelo fulminasse Iouem consulto narrat, quod Epicurei ex nubium praesentia colligere soliti sunt, non esse Iouem unde fulmina mitterentur. Lucretius VI 400: *denique cur numquam caelo iacit undique puro Iuppiter in terras fulmen sonitusque profundit? an simul ac nubes successere, ipse in eas tum descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?* Praeiuerant sophistae ueteres; u. Aristophanis Nub. 369 sqq.

7. *per purum:* per purum aera uel aethera, δι' αἰθρίας. Aristophanes l. c. 370: καίτοι χρῆν αἰθρίας ὕειν αὐτόν. Noue fulmina et tonitru esse fragorem e curru Iouis celerrime rapto et equis igneis uehementer actis significat.

8. *uolucremque currum:* Plat. Phaedr. p. 246 E: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεύς, πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, πρῶτος πορεύεται.

9. *bruta tellus:* quae nihil sentiens non nisi magna ui moueri potest. III 4 45: *terram inertem.* Opposita sunt *uaga flumina*, quae per uarios flexus mouentur et numquam subsistunt.

10. *quo Styx:* a superficie terrae ad inferos uis fulguris penetrauit. Anaphora non ultra binarium numerum processit.

10—11. *inuisi horrida Taenari sedes:* Taenarum Laconicae promontorium *inuisum* uocatur ut aditus ad inferos dis superis hominibusque odiosos. Sic II 14 23: *inuisae cupressus.* Alii explicant minus apte *non uisi.*

sedes Atlanteusque finis
concutitur. ualet ima summis

mutare et insignem attenuat deus,
obscura promens; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
sustulit, hic posuisse gaudet.

11. athlanteusque *BGH*. 16. hīc *H*.

11. *Atlanteusque finis:* insulae beatae in extremo mari Atlantico.

12—16. Alterum argumentum quo deum esse omnipotentem intellegimus, rerum humanarum uicissitudines subministrant.

12—13. *ualet ima summis mutare:* ima potest in locum summorum euehere. *Valere* pro *posse* cum infinitiuo iungere poetis licet; conf. II 5 1: *ferre iugum ualet;* III 25 15: *ualentes manibus uertere fraxinos;* IIII 7 27: *nec-ualet abrumpere;* Epod. 5 87: *non ualent conuertere;* 16 3: *neque ualuerunt perdere.* Adde Serm. I 1 14, 9 39; II 7 87; AP. 40 et 305.

13. *insignem attenuat:* tenuem facit qui fuit insignibus decorus.

14. *obscura promens:* qui obscura in illustrem locum protrahit.

14—16. *hinc apicem — hic posuisse gaudet:* generatim dicta de summis in ima, de insignibus in obscura et contra mutatis nunc ad regum fortunas, qui regnum aut amiserunt aut acceperunt, transtulit. *Apicem* dixit diadema regium. Fortuna non per se et ubique *rapax* est, sed nunc ita uocatur, quod apicem aufert; uerba *cum stridore acuto* pingunt celerem Fortunae uolatum, unde regiae dignitatis interitus subito consequitur; cf. III 29 53: *si celeres quatit* (Fortuna) *pinnas.* Videtur cogitasse de Cleopatra regno Aegypti, de Tiridate Parthorum imperio eodem anno (724) spoliatis.

16. *hic posuisse gaudet* (*Fortuna*, non *rapax Fortuna*)*:* obuersatus est, opinor, Iuba in partem regni Numidici restitutus fine anni 724 (Dio LI 15), Prahates in regnum Parthorum isdem diebus reductus (Dio LI 18) auxilio Scytharum.

XXXV.

O diua, gratum quae regis Antium,
praesens uel imo tollere de gradu

Ad Fortunam. Metr. *cet. A.* Proseutice ad Fortunam. Fortunam inuocat quae colitur *B.* Proseutice ad F. *H. Omisit Diomedes.*
1. Antium] *in B superscriptum* uel otium. 2. Presens *BGHg.* de *om G.* degradu *AB.*

Carm. XXXV. Prooemium. *O Fortuna, quam omnes uenerantur timentque, quae atrocissimos mortalium casus adducis, serues Caesarem in ultimos Britannos iturum, serues exercitus aduersus Orientis regna conscriptos: nam clades ciuium externis uictoriis piandae sunt.* (Metrum Alcaicum)

Carmen compositum esse anno 727 (a. Chr. 27) intellegitur ex uersibus 29 sqq.: *serues iturum Caesarem in ultimos orbis Britannos et iuuenum recens examen Eois timendum partibus Oceanoque rubro.*. Nam in Britannos Augustus iturus erat septimo suo consulatu (727), cum in Galliam profectus est et res eius terrae ordinauit. Ex Gallia eodem itinere in Hispaniam peruenit atque inde a. 729 in Britanniam transgressurum rebellantes in Gallia Salassi, in Hispania Cantabri detinuerunt. Dio LIII 22—25. Tum expeditio Britannica omissa est. Haec mentio de Caesare *in Britannos ituro* facta est, cum expeditio in terras Occidentis (Galliam, Hispaniam, Britanniam) pararetur, h. e. anno urbis 727. Eodem tempore exercitum aduersus Orientem ad debellandos Parthos et Arabas collectum esse historiae monumenta non tradiderunt, sed prodidit testis omni fide dignus, Horatius hoc loco et III 5 3: *diuus habebitur Augustus adiectis Britannis imperio grauibusque Persis,* quae uerba eodem anno 727 scripta sunt, tum I 29 2: *acrem militiam paras non ante deuictis Sabaeae regibus horribilique Medo* (= Parthis). Parata tunc in Parthos et Arabas expeditio dilata uidetur esse. Vtrum inceptum Aelii Galli, qui praefectus Aegypto aduersum Arabas a. 730 infeliciter bellauit (Dio LIII 29), ab hoc initio profectum sit necne, equidem non decerno: longi temporis interuallum indicare uidetur hanc expeditionem Galli non anno 727 coeptam sed proximis annis inchoatam esse.

1—28. Potentia Fortunae hinc ostenditur, quod omnes homines eam uenerantur uerenturque (1—16), quod graues casus et cruciatus, subitae sortis humanae uicissitudines struente Fortuna consequuntur (17—28). Ea prior pars est carminis.

1—4. *o diua — triumphos:* pro nomine Fortunae signa quaedam ponuntur, partim a loco ubi praecipue colitur, partim a potentia repetita.

1. *gratum quae regis Antium: gratum* est 'tibi iucundum', ut I 30 2: *dilectam* (tibi) *Cypron.* 'Apud Antium autem est Fortunae templum famosissimum, multorum, etiam principum donis ornatum, unde etiam ciuitas Fortunae ipsius tutelae addicta est'. Acron. 'Antii Fortuna potentissimi numinis habetur, adeo ut multis pretiosissimisque donis et priuatorum et imperatorum templum ibi eius refertum sit'. Porphyrion. Horatius Fortunam tamquam unum numen accepit, siue propitium siue iniquum, quamquam Antii duae Fortunae pro diuersa ui colebantur. Suetonius Calig. 57: *monuerunt et Fortunae Antiatinae, ut a Cassio caueret.* Has *ueridicas sorores,* h. e. Fortu-

mortale corpus uel superbos
uertere funeribus triumphos.

te pauper ambit sollicita prece
ruris colonus, te dominam aequoris,
quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

6. colons *A.* 7. bithina *Bg,* bythinia *H,* bithinia *G.* 8. carpatium *A,* Carphatium *H.*

nam secundam et aduersam, dicit Martialis V 1 3. Macrobius Sat. I 23: *ut uidimus apud Antium promoueri simulacra Fortunarum ad danda responsa.* Inscript. Lat. Orellii n. 1738: FORTVNIS. VICTRICIBVS. ANTIATIBVS. Expressae sunt in denario gentis Rustiae apud Eckhelium D. N. V p. 298. Praeter hoc templum in eadem ciuitate Fortunae Equestri aedes dicata erat. Taciti Annal. III 71.

2. *praesens:* praesenti potentia ualida. 'Praesens ita dictum, ut praesentia dicuntur numina deorum, quae se potentiamque suam manifeste ostendunt'. Porphyrion. De structura *praesens tollere* cf. ad I 1 18.

3. *mortale corpus* (*den sterblichen Leib*)*:* non dicit *hominem* neque *homines*, sed poetice *mortale corpus*, ut esset quod conueniret ceteris uerbis *imo tollere de gradu*, h. e. ex infimo fortunae statu in altum euehere, ut in proximo carmine dixit *ualet ima summis mutare — deus.*

3—4. *superbos uertere funeribus triumphos uertere* h. l. est *inuertere* (umkehren); *funeribus* (durch Todesfälle) est casus instrumenti; cf. AP. 226: *ita uertere seria ludo.* Fortasse cogitauit poeta de insigni documento humanorum casuum, quod in rebus Aemilii Pauli Macedonici proditum est, cuius duobus e filiis minor quinque diebus ante triumphum patris, maior triduo post decessit. Liuius XLV 40 et 41. *Superbi triumphi* sunt quibus uincentium superbia declaratur.

5—8. In iis qui colunt Fortunam primum recensuit qui in pace negotia priuata obeunt.

5—6. *te pauper — ruris colonus:* quamuis pauper, tamen non liber a Fortunae arbitrio est, immo ob inopiam magis ab ea pendet. Verbum *ambit* sumptum ab ambitiosis qui honores quaerunt ideoque populum uel potentes ambiunt. *Sollicita prece:* sollicitum facit paupertas et enixe optantem, ut exaudiatur a Fortuna.

6. *ruris colonus* (*Besteller des Feldes*)*:* et possessor agelli quem colit potest esse et qui pro possessore agrum exercet uel pro agello annuam pensionem reddit; ut de altero nunc cogitemus, epitheton *pauper* efficit. Cf. II 14 11; Serm. II 2 114.

6—8. *te dominam aequoris* (sollicita prece ambit) — *carina:* alter Fortunam in pacis opere precantium domi est, alter per mare uehitur. Fortuna domina aequoris audit, quod, ut Taciti uerbis dicam (Ann. XIIII 3), *nihil tam capax* (est) *fortuitorum quam mare. Bithyna carina* est nauis fabricata in Bithynia siluarum ferace, ut I 14 11 *Pontica pinus.* Porphyrion: '*Bithyna* ait, ut solent poetae speciem pro genere ponere' (noui dicunt *indiuidualisiren*), 'qualia sunt illa Vergilii: *leuis innatat alnus missa Pado* pro quolibet flumine' (Georg. II 452).

8. *Carpathium pelagus:* mare inter Cretam et Rhodum interiectum (Strabo X 5 § 14 et 17) et ab insula Carpatho nominatum tamquam ceteris periculosius memoratur. *lacessit:* nauta mare secat eoque in se irritare creditur. Conf. I 3 23—24.

te Dacus asper, te profugi Scythae
urbesque gentesque et Latium ferox
regumque matres barbarorum et
purpurei metuunt tyranni,

iniurioso ne pede proruas
stantem columnam, neu populus frequens
ad arma cessantis, ad arma
concitet imperiumque frangat.

9. scithę *A.* 13—14. *Donatus ad Terent. Phorm.* II 1 57: Horatius contra pro columine columnam, 'iniurioso — columnam'. 14. colūpnā *B.* 15. cessantis *A (u. Blandinius):* cessantes *ceteri.* 16. inperiumque *BG, non AHg.*

9—16. Ad belli casus tumultusque transgreditur, in quibus Fortuna praecipue dominatur. In periculis bellantium cum Fortunae ludus atrocissima quaeque perpetret, *metum* potius quam spem pingere poeta uoluit.

9. *te Dacus asper, te profugi Scythae:* Daci tribus annis ante quam haec scripta sunt, iniquam fortunam experti erant, cum M. Crassus eos debellauit (a. 724). Dio LI 23. Liu. Epit. 134. Florus IIII 12 13—17. Verg. Georg. II 49. Scythae sunt Bastarnae et ipsi deuicti a Crasso. Conf. ad Carm. III 8 23—24. *Profugi* nominantur, quod in stabilem pugnam non facile congrediuntur, sed fugiendo sibi consulere solent: contrarium faciunt Daci *asperi.*

10. *urbesque gentesque:* particula enclitica bis posita quasi longam seriem metuentium Fortunam producit.

Latium ferox: feroces a metu plerumque alieni tamen uim Fortunae timent; cf. *Roma ferox* III 3 44.

11. *regumque matres barbarorum:* matres timoribus potissimum obnoxiae sunt, ut Atossa in Aeschyli Persis absenti Xerxi filio timet.

12. *purpurei tyranni:* insignem regiae potestatis uestem dum gestant, integri metuunt, ne Fortunae iniuria spolientur.

13—14. *iniurioso — columnam:* agnosce sermonem uere poeticum; *iniuriosus pes* est qui iniuriam infert. Stans columna est integer et rectus imperii populique status. Qui proruitur, cum externus dominus populum cum rege uincit et in potestatem suam cogit.

14—16. *neu populus frequens — imperiumque frangat:* alter est Fortunae casus, cum imperium domestica seditione rumpitur; *frequens* est 'conglobatus, in magnam multitudinem collectus', ut II 17 25. Ille cessantes in cetera turba, h. e. lassos uel timidos, ad arma concitat. Praeclare pinxit rebellantis multitudinis adhortationem, dum componit *ad arma cessantis, ad arma.* Fortasse imitatus est Ouidius Metam. XI 377: *arma, arma capessamus,* XII 241: *arma, arma, loquuntur.*

17—28. Alio se uertit. Nam post metus describit graues casus, qui Fortunae ludo ingruere solent.

17. *te semper anteit serua Necessitas:* nemo ueterum poetarum *seruam* exhibuit Ἀνάγκην, sed Horatius feliciter audax et hoc finxit et seruam *praeire* uoluit, non subsequi, quod pedisequae solent. Illud cecinit, quod quaecumque Fortuna fieri uult, ineuitabili necessitate fiunt, ut ipsa Necessitas Fortunae seruiat; hoc exhibuit, quod imaginem a lictoribus magistratus maiores in urbe *praecedentibus* petitam Romanis lectoribus praebere uoluit; ut lictores iubente consule aut praetore obuium prehendunt, sic uolente Fortuna Necessitas hunc aut illum ad supplicium corripit. *Serua,* non *saeua,* ueram esse loci scripturam, non solum testes anti-

te semper anteit serua Necessitas,
clauos trabalis et cuneos manu
gestans aena, nec seuerus
uncus abest liquidumque plumbum.

te Spes et albo rara Fides colit
uelata panno, nec comitem abnegat,

17. an̄. it *A*, ante it *BHg*. serua *Ag*ς*Σ* *Blandinii:* seua *BGHω*. 18. traualis *A*, *ceteri* trabales. 19. aenea *H*, enea *G*. 20. liquidumque] liuidum *expuncto* q *u. Blandinius*. 21—22. et albo — panno *Seruius ad Vergil. Aen.* I 292. colitur *Seruius*. 22. nec se *G*.

quissimi quique et scholia spondent, sed etiam poeta uerbis subsequentibus liquide monstrauit: nam *gestare clauos trabalis cuneosque, afferre uncum* et *liquidum plumbum*, seruile officium est. Iungendum uero *serua* (= ut serua) cum uerbo *anteit,* ut sit *σοῦ προηγεῖται δούλη Ἀνάγκη*, non *ἡ δούλη Ἀνάγκη*.

18—19. *clauos trabalis et cuneos manu gestans aena: clauis* (*πασσάλοις, ἥλοις*) pedes et manus eius qui seruile supplicium patitur in cruce suffiguntur, *cuneo* impacto pectus perrumpitur, ut in Prometheo descripsit Aeschylus u. 55—75. Prouerbium Latinorum *clauo trabali figere* de eo quod est inmotum certumque, cuius mentio et alibi est et apud Ciceronem in Verr. V 21, huc non pertinet. Similis imago est III 24 5: *si figit adamantinos summis uerticibus dira Necessitas clauos.* Manus aena pertinet ad crudelitatem numinis uehementis et saeui.

19—20. *nec seuerus uncus abest liquidumque plumbum:* alii unco post supplicium trahuntur, alii plumbo liquefacto et in os immisso crudeliter occiduntur. Qui unco trahuntur per scalas Gemonias in Tiberim flumen, eis sepultura negatur. Hinc *seuerus uncus.* Sueton. Tiber. 61: *nemo punitorum non et in Gemonias abiectus uncoque tractus, uiginti uno die.* Adde Taciti Ann. VI 19, Hist. III 74. De plumbo recte Acron et Commentator Cruquii: 'nam et resoluto plumbo rei puniri consueuerunt'. Id factum non apud Romanos, sed apud populos Orientis.

21. *te Spes et — Fides colit:* quia sperantes animum non despondent, sed meliora facile expectant, ipsa Spes colere Fortunam dicitur. Porro Fides Fortunam colit, quod fideles amici utramque fortunam eorum quos diligunt, pariter sectantur.

21—22. *albo — uelata panno:* Liuius I 21: *et soli Fidei sollenne instituit. Ad id sacrarium flamines bigis, curru arcuato, uehi iussit, manuque ad digitos usque inuoluta rem diuinam facere, significantes fidem tutandam sedemque eius etiam in dextris sacratam esse.* Seruius ad Aen. I 292: *ei* (Fidei) *albo panno inuoluta manu sacrificabatur, per quod ostenditur fidem debere esse secretam.* Cf. Dionys. A. R. II 75. Hoc ad ipsam deam transtulit Horatius; *albus* pannus candorem animi fidelis et a simulatione abhorrentis notat. Pannus non est uestis, sed particula uestis ad dextram uelandam. Ex Flacci uerbis temere hausta uidentur haec ab Acrone tradita: 'albo panno caput uelabant Fidei sacrificantes'.

22. *nec comitem* (te) *abnegat:* obiectum *te* est ante positum. Cum pro secunda Fortuna facta es aduersa, comitatum tuum non repudiat Fides, h. e. fideles ex suo comitatu infelices amicos non segregant. Alii *se* suppleri nolunt, sed id propter praegres-

utcumque mutata potentis
ueste domos inimica linquis.

at uulgus infidum et meretrix retro
periura cedit, diffugiunt cadis
cum faece siccatis amici,
ferre iugum pariter dolosi.

serues iturum Caesarem in ultimos
orbis Britannos et iuuenum recens
examen Eois timendum
partibus Oceanoque rubro.

23. mutat. a. (*non est uaria lectio, sed puncta sunt signa metrica*) *A*. potentis *A* (*u. Blandinius*): potentes *BGH*. 25. meritrix *A*. 27. faece *A*: fece *BGHg*. 29. cesarem *G*. 30. brittannos *B*. regens *A*. 31. eoys *B*.

sum *te* nunc cogitatione suppleri nequit.

23—24. *utcumque mutata — linquis:* pergit Fortunae aduersae (*inimicae*) assignare, quae contingunt eis qui olim felices iam tristi casu conflictantur. Illi pro splendida ueste sordidam sumunt, ex magnis domibus in humiles transmigrant. *utcumque* cum Acrone interpretare *quotiescumque*.

25—26. *at uulgus — retro — cedit:* retro cedit ab noua et inimica Fortuna, h. e. ab iis qui misera fortuna urgentur; *infidum:* quo quis fidere non potest. Illi pauperem non salutant neque comitantur. *meretrix periura:* fidem diuiti datam post fortunam laedit.

26—27. *cadis cum faece siccatis:* haec exprimunt et paupertatem hominis infelicis, cuius omne uinum absumptum est, et ingratum animum eorum, qui post commoda et gaudia diffugiunt. Cadi uinum continent in conuiuio bibendum et inde diffundendum. Pollux X 71: *Φιλόχορος δὲ ἐν τῇ Ἀτθίδι παρὰ τοῖς παλαιοῖς φησι τὸν ἀμφορέα καλεῖσθαι κάδον.* Athen. XI 45 p. 473 B: *Κλείταρχος — τὸ κεράμιόν φησιν Ἴωνας κάδον καλεῖν.*

28. *ferre iugum pariter: pariter* ualet *ἐξ ἴσου*, h. e. ita amicitiae iugum ferre, ut postquam a potente et opulento amico multa bona acceperis, nunc pauperi et infelici ex tuis opibus retribuas; *ferre* (= ad ferendum) pendet ab *dolosi*, h. e. dolo malo detrectantes, ut Serm. I 4 12: *piger scribendi ferre laborem*. Conf. ad I 1 18. Gradatim poeta assurrexit: populus fauorem omittit, meretrix fidem frangit, amici diffugiunt et opem ferre recusant.

29—32. Sequitur altera pars carminis. Postquam Fortunae potentiam multis modis declarauit, precatur ut dea ualidissima iturum in Britannos Caesarem, tum exercitum conscriptum aduersus Orientem seruare et coepta Caesaris prosperare uelit. Conf. Prooem.

29—30. *serues — in ultimos orbis Britannos: ultimi orbis*, quod habitant in extrema orbis insula. III 14 48: *qui remotis obstrepit Oceanus Britannis*. Catullus 11 10: *uisens Gallicum Rhenum, horribile aequor, ultimosque Britannos;* 29 4: *quod Comata Gallia habebat ante et ultima Britannia*. Vergilius Eclog. I 67: *et penitus toto diuisos orbe Britannos*. Conf. Taciti Agr. 30 et 12.

30—32. *iuuenum recens examen Eois timendum partibus Oceanoque rubro:* iuuenum recens *examen* est

heu heu, cicatricum et sceleris pudet
fratrumque. quid nos dura refugimus
aetas? quid intactum nefasti
liquimus? unde manum iuuentus

metu deorum continuit? quibus
pepercit aris? o utinam noua
incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

33. heu heu *A pr Gς:* Eheu *B* (*in loco perraso*) *corr Gς*, Heu *HΣ*. cycatricum *G*. 34. durare fugimus *A*. 36. linquimus *AG*. 39. diffingas *BGgς tres Blandinii Σ:* deffingas *H*, defingas *Aς̇*.. recusum *unus Blandinius*. in *om g*.

exercitus nuper conscriptus, ab Augusti legatis contra Parthos (Eoas partes) et Arabas (Oceanum rubrum) ducendus; cf. Prooem.

33—38. Bella aduersus exteros aut ductu Caesaris Augusti aut eius auspiciis iam gerenda excitant memoriam bellorum ciuilium et eius temporis, quo *Fortuna iniqua* Romanos fatigauit. Qua clausula et Caesaris consilia probantur et piacula parari cladium ciuilium ingeniose significatur.

33—34. *heu heu, cicatricum et sceleris pudet fratrumque: cicatrices* cogita eorum, qui superstites sunt bellis ciuilibus, quibus opponitur *scelus* in fratres caesos commissum. Vergilius Georg. II 510: *gaudent perfusi sanguine fratrum.*

34—35. *nos dura — aetas:* se ipsum connumerat, ne ceteros offendat. Duri sunt qui non mouentur neque deterrentur a scelere.

35. *quid — nefasti:* nefastum dicit inpium aduersus deos.

36—37. *unde manum — metu deorum continuit:* denotat dona et thesauros templorum ciuili bello a milite spoliata.

37—38. *quibus pepercit aris:* aras deorum aut euertit miles lasciuus et numinis diuini contemptor, aut trucidauit quicumque ad aras euaserant sperantes incolumitatem in loco sacro.

38—40. Clausula praeparata est memoratis belli ciuilis facinoribus: haec igitur pianda sunt externis uictoriis. *o utinam — ferrum:* regreditur ad Fortunam, quam implorat, ut Augusti coepta et consilia adiuuet; *nouam incudem* dicit diuersam ab ea, quae ciuilis furoris gladios acuerat.

diffingas: h. e. in aliam formam et habitum redigas. Est uerbum ab Horatio inuentum; III 29 47: *neque diffinget infectumque reddet.*

39—40. *retusum — ferrum:* accusatiui *in Massagetas Arabasque* pendent ab epitheto *retusum*, non a uerbo *diffingas*, ut collocatio uerborum docet. Hostes externi per ciuilia bella neglecti sunt. Arabes et Massagetae tamquam extremae Orientis nationes, illi ad septentrionem, hi ad meridiem siti notantur.

XXXVI.

Et ture et fidibus iuuat
placare et uituli sanguine debito
custodes Numidae deos,
qui nunc Hesperia sospes ab ultima

Ad Numidam. Metr̄ primo uersu glyconium, secundus asclipiadeus *A*. e . ka.istice ad Numidam amicum *B*. Eucharistice alloquitur amicum Nūmidā (*ad?*) Lamiam redeuntem *H*.
1. *Diomedes l. c.* thure *g*. 4. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 530.

Carm. XXXVI. Prooemium. *Grato erga deos animo sacra faciamus, quod Numida sospes ab ultima Hesperia rediit, epulis chorisque ac nullo non gaudendi modo aduentum amici celebremus.* (Metrum 5)

Quando Numida Romam redierit, non satis constat. Interpretes noui Acrone duce et consentiente Seruio ad Vergil. Aen. I 530 *Hesperiam ultimam* in quarto uersu dici *Hispaniam* credunt et carum suis hominem cum Augusto illinc a. 730 redisse putant. Contra *Mauritaniam* esse Hesperiam ultimam contendit Porphyrion: 'Numida hic e Mauritania in qua militauerat, reuersus est'. Equidem hoc carmen anno 730, quo Flaccus quadragesimum primum uitae annum impleuit, ascribere non possum, partim propter uersus 17—20 satis lasciuos, partim cetera poematis iuuenilem aetatem testantis natura deterritus; neque Hispaniam dici Hesperiam ultimam nisi a Seruio et Acrone adhuc cognoui. Verum in Africa sunt *Hesperidum horti* et *Hesperidum promontorium* (Plinius NH. V 1), ibi sunt *Aethiopes Hesperii*, duae *Hesperidum insulae* (ibidem VI 36 (31), *Hesperion ceras* (VI 35), *Hesperius mons* (II 110 (106). Itaque non spernendum est illud, quod prodidit Porphyrion de Numida ex Mauritania reuerso. Scilicet anno urbis 716 in Mauritania turbatum est, ac seditio Romanorum interuentu accitisque ex Hispania militibus compressa est. Dio XLVIII 45: *ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον χρόνον ὁ Βογούας ὁ Μαῦρος ἐς τὴν Ἰβηρίαν — πλεύσας πολλὰ μὲν ἐλυμήνατο, πολλὰ δὲ καὶ ἀντέπαθε. κἀν τούτῳ τῶν οἴκοι τῶν περὶ τὴν Τίγγιν ἐπαναστάντων αὐτῷ, τῆς τε Ἰβηρίας ἐξέστη καὶ τὴν οἰκείαν οὐκ ἐκομίσατο. οἵ τε γὰρ τὰ τοῦ Καίσαρος ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ πράσσοντες καὶ ὁ Βόκχος προσγενόμενός σφισι κρείττους αὐτοῦ ἐγένοντο.* Hisce rebus Plotium Numidam interfuisse conicio; quod si recte statuitur, ille et in Hispania et in Africa rebus gerendis adfuit. Vnde porro cognoscitur, cur Flaccus neque Hispaniam neque Africam clare significauerit, sed terras Occidentis generatim *Hesperiam ultimam* uocauerit. Itaque hoc carmen circa annum 718 (36 a. Chr.) compositum esse existimabimus.

1. *fidibus:* 'fidicinas hodie quoque Romae ad sacrificia adhiberi sicut tibicinés, nemo est qui nesciat'. Porphyrion.

2. *placare:* h. e. propitios reddere eos, qui post insignem gratiam reditu probatam neglecti irasci facile possunt. 'Placare autem pro eo quod est gratiam referre intellegendum, non ut placari irati dicuntur: cum enim Numidam dicat sospitem redisse, apparet eum deos propitios et ante sacrificia habuisse'. Porphyrion.
debito: debito aut propter gratiam a dis acceptam aut quod hostia uota est. Porphyrion hanc alteram rationem explicandi probat ('pro cuius salute — uota soluere aequum esse di-

caris multa sodalibus,
nulli plura tamen diuidit oscula
quam dulci Lamiae, memor
actae non alio rege puertiae
mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota,

8. *Charisius* IIII 1 4. puertiae *AΣ Charisius*, puerciae *BH:* puericiae *G*, pueritiae ς (*'sic habent expresse omnia scripta' mire* Crvq.), pueritie *g*. 10. pulchra *BG:* pulcra *AH*.

cit'), ego priorem. Cf. II 7 17: *obligatam redde Ioui dapem.*

3. *custodes Numidae deos:* tam hoc quam proximum *qui nunc Hesperia sospes ab ultima* indicat, Numidam interfuisse rebus bellicis et pericula subisse, non solum in cohorte proconsulis propraetorisue in prouinciam profectum esse, ut Veranius Catulli amicus (lege Catulli carm. 9), ut ipse Catullus (carm. 10 et 28 et 47) praetorem Memmium secutus est. Nomen gentile *Plotium* in epigraphe carminis ex codice Blandinio (antiquissimo) pro *Pomponio* reposuit Cruquius, recte, ut uidetur: nam hominis tam dilecti unam hanc mentionem factam esse non ueri simile est: atqui *Pomponii* amici nusquam meminit Horatius, sed *Plotium* inter familiares enumerat Serm. I 5 40, 10 81.

7. *dulci Lamiae:* de Lamia cf. ad I 26.

8. *non alio rege*, supple *ac Lamia:* aequales enim fuisse docent quae continuo sequuntur. Pueri simul luserunt regnumque sortiti sunt, ita tamen ut Lamiae regnum plerumque eueniret. Conf. Taciti Annal. XIII 15: *festis Saturno diebus, inter alia aequalium ludicra regnum lusu sortientium, euenerat ea sors Neroni. Igitur ceteris diuersa nec ruborem adlatura: ubi Britannico iussit exurgeret progressusque in medium cantum aliquem inciperet—, ille constanter exorsus est carmen quo euolutum eum sede patria rebusque summis significabatur.* Horat. Epl. I 1 59: *pueri ludentes, rex eris, aiunt.* Iustin. I 5: *Cyrus rex inter ludentes sorte delectus.* Pollux VIIII 110: *βασιλίνδα μὲν οὖν ἔστιν, ὅταν διακληρωθέντες, ὁ μὲν βασιλεὺς τάττῃ τὸ πρακτέον, ὁ δὲ ὑπηρέτης εἶναι λαχὼν πᾶν τὸ ταχθὲν ὑπεκπονῇ.*

puertiae: sunt aetatis puerilis anni. Syncopen simili ratione admisit II 2 2 *lamnae*, IIII 13 20 *surpuerat.* Charisius IIII 1 § 4 p. 238 P: *barbarismus fit — detractione, cum littera litteraeue inconuenienter detrahuntur, ut 'actae non alio rege puertiae'.*

10. *Cressa — nota:* candido siue felici lapillo hic dies a nobis notetur. Locutio ducta ex more uetere, de quo Plinius NH. VII 41 (40): *uana mortalitas et ad circumscribendum se ipsam ingeniosa computat more Thraciae gentis, quae calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in urnam condit ac supremo die separatos dinumerat atque ita de quoque pronuntiat. Quid quod iste calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit?* Catull. 107 6: *o lucem candidiore nota.* Persius II 1: *hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo;* V 108: *illa prius creta, mox haec carbone notasti.* Martialis VIII 45 2: *hanc lucem lactea gemma notet.* Plinius Epl. VI 11: *o diem laetum, notandum mihi candidissimo calculo.* Comparari potest quod infelici die *nigrum solem surrexisse* queruntur, ueluti Serm. I 9 73.

neu promptae modus amphorae,
neu morem in Salium sit requies pedum,

neu multi Damalis meri
Bassum Threicia uincat amystide,

11. Nec *quater g.* 12. ĩ saltũ *A.* 14. *Probus* II 1 52: haec amystis, huius amystis uel amystidis, nomen lectum in Horatio; *idem habet Claudius Sacerdos* II 52. amistide *Gg,* amystede *A,* amystidae *H,* bamystide *B.*

11. *neu promptae modus* (sit) *amphorae:* neu amphorae promptae ex cella parcatur, quo minus in pocula diffundatur.

12. *neu — pedum:* ut Salii, Martis sacerdotes, festis Marti diebus totas horas tripudiis ancilibusque concinunt, sic nos salire promptum habeamus neque intermittamus. *Salium* est pro *Saliorum*, ut IIII 1 28: *in morem Salium ter quatient humum;* cf. Epl. II 1 244: *Boeotum in crasso iurares aere natum.* 'Salii autem sacerdotes Martis hodieque tripudiare in sacrificiis Martis dicuntur, unde et Salii a saliendo, i. e. a saltando dicti'. Porphyrion. In hoc uersu iam tertio loco (*ne — neu — neu*) eadem particula structuraque recurrit, neque ultra maturus poeta anaphoram porrexisset: sed nunc quidem septies eadem forma loquendi uti uel potius abuti pergit, unum hoc secutus, ut impetum laetitiae longo ordine describat. Postquam magis profecit, anaphoram in particula *ne* et *neu* similibusque non ultra secundarium uel ternarium numerum sano iudicio tendi uoluit. Ter posuit Serm. I 3 106: *ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter;* Epl. I 16 19: *sed uereor, ne cui de te plus quam tibi credas, neue putes alium sapiente bonoque beatum, neu — dissimules.* Plerumque in simplici repetitione substitit: Carm. I 33 1: *Albi, ne doleas — neu miserabiles decantes elegos;* 35 13: *ne pede proruas stantem columnam, neu populus concitet.* Epod. 16 26: *ne redire sit nefas, neu conuersa domum pigeat dare lintea.* Serm. II 5 37: *ne quid tu perdas, neu sis iocus.* AP. 189: *neue minor neu sit quinto productior actu fabula.* Maturus Flaccus semel tantum, quod sciam, contra morem particulam *non* sexies posuit in Carm. IIII 15 17—24, ubi lege annot.

13. *multi — meri:* quamuis ualida ad potandum, Bassum tamen nostrum laetitiae socium et acrem potorem uincere non possit. Cicero Fam. VIIII 26: *homo non multi cibi, sed multi ioci.* Describit liberius conuiuium more Graeco, cui amicae (*ἑταῖραι*) adhibebantur. Cf. Beckeri Charicles I p. 426.

14. *Threicia — amystide: ἄμυστις, συνεχὴς πόσις.* Pollux VI 25: *ἀμυστὶ πίνειν, ἀμυστίζειν, χανδὸν πίνειν, Σκυθικὴ πόσις.* 'amystis, ut quidam putant, potionis genus apud Thracas. Ideo amystis dicta, quia certa mensura clausis oculis potabatur uno ductu'. Acron. 'Amystis, ut quidam aiunt, potio quaedam est apud Thracas. Alii poculi speciem esse aiunt'. Porphyrion.

15—16. Quo laetius conuiuium celebretur, epulis ne desint flores uarii, postulat.

16. *uiuax apium* et *breue lilium* iunxit contraria. Graeci *σέλινον ἀείφυλλον* (Nicand. Ther. 211) dicunt. Anacreon Athen. XV p. 674 C. (fragm. 55): *Ἐπὶ δ' ὀφρύσιν σελίνων στεφανίσκους θέμενοι θάλειαν ὁρτὴν ἀγάγωμεν Διονύσῳ.* Conf. ad II 7 23, IIII 11 3. De uoce *uiuax* cf. ad Serm. II 1 53.

17—18. *in Damalin putres deponent oculos:* putres oculi sunt

neu desint epulis rosae
neu uiuax apium neu breue lilium.

omnes in Damalin putres
deponent oculos, nec Damalis nouo

diuelletur adultero
lasciuis hederis ambitiosior.

15. des ī tepulis (= desint epulis) *A*. 16. lylium *G*. 17. damalī *AB*, damalim *GH*. 20. ęderis *H*, *in B* h *erasum est*. ambiciosior *BHg*.

ὑγροί, ταχεροί, libidine madentes. Pers. V 58: *ille in Venerem est putris.* Polemon Physiogn. 1: *ὀφθαλμοὶ κλυζόμενοι, κυμαίνοντες ἑαυτούς, ἐπαφρόδιτον καὶ ἐμπαθῆ ἄνδρα δηλοῦσιν.* *deponent* in Damalin oculos, ut ibi requiescant tamquam in deliciis multum expetitis.

18—19. *nouo — adultero: nouus* Damali Numida est, quod nunc primum ad eius consuetudinem accedit, *adulter* uocatur, quia ueteres amatores ab hoc excutiuntur. Conf. I 33 9: *quam turpi Pholoe peccet adultero.*

20. *lasciuis:* h. e. libere uagantibus. *ambitiosior:* artiore complexu ambiens. Catull. 61 33: *mentem amore reuinciens, ut tenax hedera huc et huc arborem implicat errans.* Iuuenalis VII 50: *laqueo tenet ambitiosi* (h. e. implicantis) *consuetudo mali.* Ceterum uerba postrema (17—20) praecipue mihi argumento sunt, hoc carmen in iuuenilibus Horatii temptamentis suo iure censeri. Inest aliquid moris lasciui et nimii; mox mitigauit ratio et aetas, magis politissimorum hominum consuetudo. Haec spirant tempora, de quibus loquitur Epl. I 7 27: *reddes — inter uina fugam Cinarae maerere proteruae.*

XXXVII.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
pulsanda tellus, nunc Saliaribus
ornare puluinar deorum
tempus erat dapibus, sodales.

Ad sodales. Metr. *cet. A.* Proseutice ad sodales. Augusti victoriam alexandrinam describit *B.* Prosphonetice in victoria Augusti *H.*

1. *Diomedes l. c.*

Carm. XXXVII. Prooemium. *Nunc bibendum est, nunc saltandum, supplicatio celebranda, postquam regina demens et imperio Romani orbis inhians uirtute Caesaris deuicta uitae suae finem fortiter imposuit.* (Metrum Alcaicum)

Carmen est ὕμνος ἐπινίκιος, quod scriptum Septembri mense anni 724 (a. Chr. 30): nam primo Sextili eius anni Alexandria in potestatem Caesaris Octauiani cessit, mox Cleopatra animam expirauit. Orosius VI 19 (ex Liuio): *kalendis Sextilibus prima luce Antonius cum ad instruendam classem in portum descenderet, subito uniuersae naues ad Caesarem transierunt, cumque unico praesidio spoliatus esset, trepidus se cum paucis recepit in regiam. Deinde imminente Caesare turbataque ciuitate idem Antonius sese ferro transuerberauit, ac semianimis ad Cleopatram in monumentum, quod sibi illa mori certa condiderat, perlatus est.* Kalendarium Amiterninum, editum a Mommseno in Inscr. R. Neap. n. 5750, sub kalendis Augusti mensis: *feriae ex s c q e d imp Caesar diui f rem public tristissimo periculo liberat.* Adde Liuii Epit. 133, Vellei II 87, Sueton. Aug. 17, Flori IIII 11, Plutarchi Ant. c. 78—80, Dionis LI 5—16. Is nuntius Septembri mense Romam allatus est. Plinius NH. XXII 6: *ipsum Augustum M. Cicerone filio consule idibus Septembribus senatus obsidionali donauit.* Dio LI 19. Huius odae prooemium habemus in carmine III 25. Actiacam uictoriam Horatius anno ante cecinerat epodo nono, atque haec tria carmina illa sunt, quae Caesari Octauiano placuisse professus est Serm. II 1 83 sq. His tribus poematis ad amicitiam Caesaris accessit, et ab hoc temporis momento curas publicas intentius amplexus est.

1. *nunc est bibendum: nunc* post finem bello periculoso impositum; medias in res legentem rapit. Simonides memoratus Schol. Aristoph. Eqq. 404: πῖνε, πῖν' ἐν συμφοραῖς (= in felicibus casibus). *pede libero:* cum pede libertatem suam sentiente eiusque certo. Alcaeus Athen. X p. 430 A: νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν πώνην, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.

2. *pulsanda tellus:* laetam exultantium saltationem significat, qua tellus graues ictus sentit. Cf. III 18 15: *gaudet — pepulisse fossor ter pede terram.*

2—4. *Saliaribus — dapibus: dapes Saliares* intellege lautas et opiparas, quibus lecti deorum instructi erant. Pertinent haec ad festos dies et publicam supplicationem Octauiano a senatu decretam, cum nuntius captae Alexandriae caedisque Antonii et Cleopatrae allatus est. Dio LI 19: καὶ προσεψηφίσαντο τῷ Καίσαρι καὶ στεφάνους καὶ ἱερομηνίας πολλάς (*supplicationem in multos dies*). Quippe haec ab Horatio scripta sunt ipsis supplicationum diebus. Hinc dicit *tempus erat,* non *tempus est,* quod supplicatio iam inchoata est. Falsum est Acronis hoc: 'ordo est, nunc *est* tempus ornare puluinar deorum Saliaribus dapibus'. Hinc inductus Orellius: 'factum illud

antehac nefas depromere Caecubum
cellis auitis, dum Capitolio
regina dementis ruinas,
funus et imperio parabat

contaminato cum grege turpium
morbo uirorum, quidlibet inpotens

5. Ante hac *G.* deponere *A.* cecubum *BGH.* 7. dementis *A* (*u. Blandinius*): *BGH* dementes. 9. cūgrege *H.* 10. impotens *h. l. ABGH.*

iam dudum oportebat atque etiam nunc oportet'. De dapibus Saliaribus Porphyrion: 'sacerdotales cenae, quas Salii faciunt, dicuntur esse amplissimi apparatus. Vnde in prouerbio est Saliares cenas dicere opiparas ac copiosas'. Festus s. u.: *quibus per omnes sacrorum dies, ubicumque manent, quia amplae ponuntur cenae, si quae aliae magnae sunt, Saliares appellantur.* Cicero ad Att. V 9: *epulari Saliarem in modum.* Conf. Carm. II 14 28: *superbis pontificum potiore cenis.*

5. *antehac:* 'inter primas odas ab Horatio editas haec referenda est, quamobrem excusandas ducunt synaloephen u. 5, negligentiam in caesura admissam u. 5 et 14'. Orellivs. Caue credas: *antehac* satis frequens apud poetas scenicos numquam nisi duabus syllabis profertur; ubi illi trisyllabam uocem desiderabant, *antidhac* admiserunt. Horatius igitur traditam uiam et usum sermonis sequitur nec quicquam noui molitus est. Diaeresis h. l. non omissa sed paulum obscurata est in commissura uerbi compositi *de|promere;* uere omissa est, sed consulto u. 14: *mentemque lympha|tam Mareotico:* quippe rem insolitam et nouam numeri insolentia depinxit.

5. *Caecubum:* cf. ad I 20 9. Respicit a sese anno ante scripta in Epod. 9 1: *quando repostum Caecubum ad festas dapes —, beate Maecenas, bibam?* Quod tunc optauit, id iam euenit.

6. *cellis auitis:* uinum uetus et generosum ita indicat, ut ab auis in cellas repositum dicat.

6—8. *dum Capitolio — parabat:* Dio de Cleopatra Antonium mire deuinciente L 5: *οὐ γὰρ ὅτι ἐκεῖνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους, τούς τι παρ' αὐτῷ δυναμένους, οὕτω καὶ ἐγοήτευσε καὶ κατέδησεν, ὥστ' αὐτὴν καὶ τῶν Ῥωμαίων ἄρξειν ἐλπίσαι τήν τε εὐχὴν τὴν μεγίστην, ὁπότε τι ὀμνύοι, ποιεῖσθαι, τὸ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ δικάσαι.* Florus IIII 11 (II 21): *hinc mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit; et promisit Antonius.* Lucanus X 63: *terruit illa suo, si fas, Capitolia sistro.* Capitolium nominauit, quod pignus imperii existimabatur; cf. ad III 3 42. *dementes ruinas:* ruinas a demente speratas.

8. *funus et imperio parabat:* ut belli ciuilis odium uitaret, neue ueteres Antonii amicos et fautores offenderet, unam hostem et belli concitatricem Cleopatram declarauit, secutus publicam dissimulationem. Nam et senatus Cleopatrae, non Antonio, bellum indixerat (Dio L 6), de illa triumphum, non de hoc, decreuit (Dio LI 19).

9—10. *contaminato cum grege turpium morbo uirorum: grex contaminatus* est uilis multitudo contaminatorum. Alii cogitant de *spadonibus*, de quibus Epod. 9 11: *Romanus — emancipatus feminae fert uallum et arma, miles et spadonibus seruire rugosis potest,* sed spadones per se neque contaminati sunt neque morbo turpes: nam *rugae* turpes facere illos possunt, *turpes morbo* non faciunt.

10—11. *inpotens sperare:* cf. ad I 1 18.

sperare fortunaque dulci
ebria: sed minuit furorem

uix una sospes nauis ab ignibus,
mentemque lymphatam Mareotico
redegit in ueros timores
Caesar ab Italia uolantem

remis adurgens, accipiter uelut
mollis columbas aut leporem citus

13. una una *H*. 14. lymfatam *A*, limphatam *B*. 17. remissa t'gens (= turgens) *A*. 18. mollis *A*: Molles *BGH*.

11—12. *fortunaque dulci ebria:* ipsa regina ebria fuit, comites morbo turpes et contaminati. *Dulcis* fortuna, quam sine labore impetrauerat.

13. *uix una — ignibus:* dicit naues in proelium commissas, non sexaginta illas, quibuscum Cleopatra aufugit. Lege Plutarchum Anton. c. 66, Dionem L 33. Antonii naues immisso igni deletae sunt. Dio L 35.

uix una sospes pro 'quod uix una sospes erat'. Hoc ipsum accurate et historice traditum. Antonius enim fugiens naui quinqueremi praetoria, simulatque Cleopatram assecutus est, in nauem ipsius receptus, mox Antonii nauis ab Euricle Lacedaemonio e partibus Caesaris capta est. Plutarch. Ant. c. 67.

14. *lymphatam Mareotico:* lymphatam ualet turbatam (*νυμφοβλαβῆ*). Turbatae mentis signum subita illa fuga reginae erat, causa, ut poetae uisum est, Mareoticum uinum inmodice haustum. Gratius Cyneget. 310: *humanos non res magis altera sensus tollit* (quam luxus): *haec illast Pharios quae fregit noxia reges, dum seruata cauis potant Mareotica gemmis.* Opponit Meinekius: '*mentem lymphatam mareotico* qui de panico terrore interpretantur, uideant quo pacto hoc concilient cum iis quae de uini usu praedicat poeta Carm. III 21 17. Tantum enim abest ut ebrietas animum uano timore impleat, ut spes iubeat esse ratas et ad praelia trudat inertem, ut est in Epist. I 5 17. Itaque lymphatam mentem de impotenti reginae fiducia intellegendum apparet, cui recte opponuntur *ueri timores*, siquidem uana erat nimia illa animi fiducia'. Nimiae fiduciae inpotentiam reginae poeta ante descripsit (6—12) et postremo *furorem* increpuit, uersu 14 sqq. ad aliud transit, ad *falsos* reginae timores (mentem lymphatam Mareotico) et ad *ueros* eiusdem metus. Mareoticum uinum dulce, odoris grati. Ath. I 15 p. 33. Strabo XVII 14 extr.: *εὐοινία τέ ἐστι περὶ τοὺς τόπους (τῆς Μαρείας λίμνης), ὥστε καὶ διαχεῖσθαι πρὸς παλαίωσιν τὸν Μαρεώτην οἶνον.*

15. *in ueros timores:* ebria atque inscia quid ageret, abierat Cleopatra (Dio L 33). Sed uere coepit timere, simul atque Caesaris naues se insequi conspexit. De his Plutarchus Ant. c. 67, parum accurate Dio LI 1. Grauem errorem Horatio ingerit Orellius: '*rem poetice ita proponit, ac si Octauianus Cleopatram statim post uictoriam in Aegyptum usque persecutus esset, cum tamen demum a. u. c. 724 se ipsa interfecerit*'. Immo aliquot naues Caesaris in Cleopatram fugientem et Antonium qui hanc statim secutus est incubuere, unam ex duabus praetoriis et praeter hanc aliam ceperunt. *ab Italia uolantem:* Cleopatram ex Actio promontorio celeri fuga concedentem.

17. *accipiter:* imaginis auctor

uenatór in campis niualis
Haemoniae, daret ut catenis

fatale monstrum: quae generosius
perire quaerens nec muliebriter
expauit ensem nec latentis
classe cita reparauit oras,

ausa et iacentem uisere regiam
uultu sereno, fortis et asperas

19. canpis *B*. 20. Hemoniae *G*. 22. querens *G*. nec muliebriter expauit ensem *Priscianus* XVIII 15 128. 23. latentis *AH*: latentes *BG*. 24. horas *GH*. 26. uultsereno *A*. fortes *A*.

Homerus Il. Ξ 138. *mollis columbas:* pulchra imago; molles columbae conueniunt delicatae feminae, *citus uenator* uelocibus Liburnis Cleopatram persequentibus, *lepus* reginae celerrime fugienti. Cf. Plutarchus l. c.

19—20. *in campis niualis Haemoniae:* in campis effusior fuga et concitatior persecutio potest esse, perinde ut in *aequore* maris. Haemonia niualis et hiberna cogitatur, quod tunc uenatores leporum uestigia legere possunt. Semper niuales esse campos Haemoniae poeta neque uoluit dicere neque potuit. Haemonia est Thessalia, ubi uenatores equis citi sunt.

20—21. *daret ut catenis fatale monstrum:* persecutioni ex Actio coeptae id propositum poeta dicit fuisse, ut Cleopatra uinculis constringeretur.

21—22. *quae — quaerens:* adiungit quae proximo post pugnam Actiacam anno Alexandriae euenerunt. Prudens in exitu Cleopatrae immoratur, primum ut Antonii memoria sic amoueatur, tum ut in regina Caesaris uirtute deuicta dignitas et spiritus generosus laudetur.

22—23. *nec muliebriter expauit ensem*: in ensem quo accincta erat incumbere uoluit, cum Proculeius in eius monumentum illapsus id prohibuit. Narrat Plutarchus Ant. c. 79. Dio LI 11: *κἀκ τούτων ἐκποδὼν πάντα* (uenenum, gladium cet.), *ἀφ' ὧν ἀποθανεῖν ἐδύνατο ποιησάμενοι ἡμέρας μέν τινας κατὰ χώραν αὐτῇ — διατρῖψαι ἐπέτρεψαν* (Proculeius et Epaphroditus).

23—24. *nec latentis — reparauit oras:* accurate historiam sequitur. Nam ad Hispaniae oras classe aufugere Antonius intendit, sed Cleopatra prohibuit ac naues Caesari tradidit. Dio LI 10: *καὶ ὁ μὲν* (Antonius) — *πρός τε τὸ ναυτικὸν ἀπέκλινε καὶ παρεσκευάζετο ὡς καὶ ναυμαχήσων ἢ πάντως γε ἐς τὴν Ἰβηρίαν πλευσούμενος. ἰδοῦσα δὲ τοῦθ' ἡ Κλεοπάτρα τάς τε ναῦς αὐτομολῆσαι* (ad Caesarem Octauianum) *ἐποίησε κτλ.* Latentes oras dixit, ubi latere Caesaremque fugere posset; *parare oras* foret 'oras sibi acquirere', *reparare* est 'pro amissis nouas parare'; cf. I 31 12: *uina Syra reparata merce.* Aliter anno ante paulo post pugnam Actiacam de Cleopatra sensit in Epod. 9 29—32.

25. *iacentem uisere regiam:* regiam a defensoribus relictam, a satellitibus et ministris desolatam, in qua Antonius se interemit.

26—27. *fortis et asperas tractare serpentes:* de Graeca structura *fortis tractare* cf. ad I 1 18. *asperas* serpentes uocauit propter asperos earum morsus. Rem narrat Plutarchus c. 85 et 86. Dio LI 13 et 14.

tractare serpentes, ut atrum
corpore conbiberet uenenum,

deliberata morte ferocior,
saeuis Liburnis scilicet inuidens,
priuata deduci superbo
non humilis mulier triumpho.

28. conbiberet *B*, cū biberet *A*, cōbib: *H*. 30. Seuis *BGH*. *Post u.* 32 *A:* Carminum lib. ·I· expl incip. lib. II.

28. *corpore conbiberet:* corpore conbibere nouum et magnificum de uenis morsu apertis et uenenum in corpus recipientibus. Est *haurire*, *ἀρύειν*. Cf. Tacit. Ann. XIIII 37: *postquam propius suggressus hostis certo iactu tela exhauserat*, h. e. suo corpore exceperat.

29. *deliberata morte ferocior:* haec exponunt cur quae timida ante fuit, mox ferox et fortis extiterit. *Deliberata* noue dictum pro *decreta*.

30—32. *saeuis Liburnis — triumpho:* causam moriendi iustam et nobilem fuisse concedit; *saeuae* uocantur Liburnae Octauiani, quod nullo misericordiae sensu reginam captiuam ad triumphum transportaturae erant. Pro quinqueremi et ampla praetoria, qua uecta erat ante, Liburna leuis ipsam nunc expectabat.

31. *priuata deduci:* structura uerborum Graeca est pro Latina *priuatam se deduci*; *priuata* est femina priuata. Porphyrion (et paucis mutatis Acron): 'nam et T. Liuius refert illam, cum de industria ab Augusto in captiuitate indulgentius tractaretur, identidem dicere solitam fuisse, *οὐ θριαμβεύσομαι*, id est, non triumphabor ab alio'.

31—32. *superbo — triumpho:* I 35 3: *superbos uertere funeribus triumphos*.

32. *non humilis mulier:* constantiam nouissime probatam laudat.-

XXXVIII.

Persicos odi, puer, apparatus;
displicent nexae philyra coronae;
mitte sectari, rosa quo locorum
sera moretur.

simplici myrto nihil adlabores
sedulus, curo: neque te ministrum

Ad puerum ministrum *A*. Prosphonetice ad puerum. Simplicē adpatum conuiuium *B*. Prosphonetice ad puerum ministrum suum *H*.
1. *Diomedes l. c.* persico socio (*sic*) *schol. Iuuenalis* IIII 221.
2. philyra *A:* phylira *BGg*, phyllira *H*. 5. myrtho *G*, mirto *H*. nichil *B*. adlabores *GHg:* ad labores *AB*.

Carm. XXXVIII. Prooemium. *Odi, puer, luxuriosos apparatus ac nimium in coronis nectendis studium. Myrto uincti comas ego ac tu satis decore bibemus.* (Metrum Sapphicum)

Festum diem agi hinc liquet, quod etiam minister myrto coronatus cum domino suo bibet (u. 6—8). Quis autem dies festus fuerit, hoc et locus carminis et *sera* rosa significat. Nimirum ut in priore poemate affectus ciuitatis post captae Alexandriae nuntium gaudio exultantis expressi sunt, sic his uersibus priuatam suam laetitiam Horatius testatus est. Carmen igitur compositum est mense Septembri a. 724.

1. *Persicos — apparatus:* dicit apparatus cenae potusque. De ueterum Persarum luxuria, de qua interpretes h. l. narrant, uix puto poetam cogitasse. Immo ut *Persas* dicit pro *Parthis* I 2 22, 21 15, III 5 4, 9 4, sic uocabulum *Persicos* nunc nihil ualet nisi *Parthicos*. Parthi luxuria ac conuiuiis famosi. Tacitus Ann. II 57: *uox quoque eius audita est in conuiuio, cum apud regem Nabataeorum coronae aureae magno pondere Caesari et Agrippinae, leues Pisoni et ceteris offerrentur, principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari.*

2. *nexae philyra coronae:* philyra est Graecum nomen pro Latino *tilia*, neque ipsam philyram nunc dicit, sed membranam eius, qua coronae nectebantur. Plinius NH. XVI 25 (14): *inter corticem ac lignum* (tiliae) *tenues tunicae multiplici membrana, e quibus uincula tiliae uocantur; tenuissimae earum philyrae, coronarum lemniscis celebres, antiquorum honore.* Ouidius Fast. V 337: *ebrius incinctis philyra conuiua capillis saltat.*

3—4. *rosa quo locorum sera moretur:* autumnali tempore, et quidem diebus Septembribus, cum rarae sunt rosae, odarium scriptum esse in Prooemio monitum est.

5—6. *simplici myrto nihil adlabores sedulus:* myrto, ut natura eam fecit, laborem nullum adhibeas: hoc enim noue *adlaborare* significat. Conf. Epod. 8 20. Structura similis est Serm. II 4 5: *des ueniam bonus, oro.*

6. *sedulus:* nimia diligentia molestus.

6—7. *neque te ministrum dede-*

dedecet myrtus neque me sub arta
uite bibentem.

Post u. 8. Finiunt Saphica de libro primo carminum. Incipiunt de libro secundo Saphica *A*. Carminum primus explicit; incipit secundus *B*. Q. Horacii Flacci Carminum lib ·I· explic. Incip secundus *H*.

cet myrtus: festis diebus etiam famuli epulis adhibebantur; cf. III 17 16, Serm. II 6 66.

7—8. *sub arta uite:* sub uite in pergulam diducta; *arta* est pampina adulta, fortasse etiam uuis autumnali tempore dependentibus.

Q. HORATII FLACCI

CARMINVM

LIBER SECVNDVS.

I.

Motum ex Metello consule ciuicum
bellique causas et uitia et modos

Ad Asinium Pollionem. Pragmatice tetracolos. Metr. *cet. A.* Loquitur Asinio Pollioni consulari uiro. Quippe missis tragoediis belli ciuilis describit historiam *B.* Ad Asinium Pollionem consularem uirum. Pragmatice tetracolos *H.*

1. *Diomedes* III 36, *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 772. ciuium *G.* 2. uicia *BGH.*

Carm. I. Prooemium. *Tragoediae Musa paulum omissa omnem curam historiae belli ciuilis a Caesare Pompeioque coepti impende, Pollio, insigne reis praesidium et patribus consulentibus, rebus gestis actoque triumpho nobilis. Quem librum animo praecipiens rebus luctuosis abs te narrandis ipse interesse mihi uideor. Tanta clades non nisi ab ira deorum proficisci potuit: nam ubique supersunt sepulcra caesorum ciuium et effusi sanguinis uestigia. Sed tanta canere meum non est: leuiore plectro modi quaerendi sunt.* (Metrum Alcaicum)

Scripti carminis annum elicias ex uerbis (u. 4—5): *arma nondum expiatis uncta cruoribus — tractas.* Arma ciuium sanguine tincta Flacco iudice non nisi externis uictoriis expiari poterant (I 35 29—40). Magnopere igitur probauit quod Augustus a. 727 expeditionem in Occidentem suscepit, alteram in Parthos Arabasque eodem tempore parauit, ut ad Carm. I 35 expositum est. Iam si uerba ex hoc de quo nunc loquimur carmine transcripta considerauerimus, modestam inesse hanc admonitionem inueniemus, ad expianda bella ciuilia non sufficere triumphum Delmaticum, Actiacum, Alexandrinum a. 725 a Caesare Octauiano actum. Sic ad finem anni 725 (a. Chr. 29) deducimur. Accedit quod incisio u. 11 admissa est, unde sibi cauere coepit Horatius post annum 725. Conf. ad II 13 27. Ipse Pollio non ante annum 720 historiam scribere aggressus est, ut colligitur ex uerbis Suetonii de ill. Grammaticis c. 10: (Atteius) *coluit postea familiarissime Gaium Sallustium et eo defuncto* (Sallustius mortuus est a. 720) *Asinium Pollionem, quos historiam componere aggressos alterum breuiario rerum omnium Romanarum — instruxit, alterum* (Pollionem) *praeceptis et ratione scribendi.* De Pollionis uita et scriptis nostra memoria disputauerunt uiri doctissimi, I. R. Thorbecke libro singulari Lugduni Batauorum

ludumque Fortunae grauisque
principum amicitias et arma
nondum expiatis uncta cruoribus,
periculosae plenum opus aleae,
tractas et incedis per ignes
suppositos cineri doloso.

3. grauisque *ABHg*: grauesque *G*. 4. amicicias *GH*. 6—8. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 3 84. 6. pericolosae *A*. 7—8. incedis — doloso *Seruius ad Vergil. Aen.* VIII 409. 8. Subpositos *GH*.

1820 edito, Drumann Hist. Rom. t. II p. 8, Welckerus in Tragoediis Graecis ad cyclum epicum descriptis t. III p. 1421.

1—8. Haec et ambitum operis a Pollione scribendi et argumentum accurate definiunt.

1. *motum — ciuicum:* inchoauit Pollio a motu animorum populi Romani, qui ortus est anno 694 (a. Chr. 60) L. Afranio Q. Caecilio Metello consulibus, cum Caesar et Pompeius Crassusque societatem inierunt sibi utilem, rei publicae grauem. Liuius Epitom. 103: *C. Caesar Lusitanos subegit; eoque consulatus candidato et captante rem publicam inuadere* (mense Iulio), *conspiratio inter tres principes ciuitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, C. Caesarem.* Cf. Sueton. Caes. c. 18 et 19. Dio Cassius XXXVII 54—58. Appianus BC. II 9. Velleius II 44.

1. *ciuicum:* 'ciuicum pro ciuili, sicut hosticum pro hostili ueteres dixerunt'. Acron. Conf. III 24 26. In nomine *ciuicae coronae* forma prisca tralaticia mansit.

2. *bellique causas:* causas belli anno 705 orti et durantis usque ad annum 709; *uitia:* quae a ducibus admissa sunt in bello inprudenter gesto, praecipue uitia ducum in partibus Pompeianis; *modi* sunt casus et euentus rerum.

3. *ludumque Fortunae:* Fortuna pro arbitrio et libidine his secunda, illis aduersa dedit, non ex uero et usto.

3—4. *grauisque principum amicitias:* his clarius eloquitur quod primo significauerat, foedus siue conspirationem a principibus ciuitatis factam aduersus patres, ut sua consilia et decreta obtinerent. Caue ne *grauis amicitias* etiam de triumuiris Octauiano, Antonio, Lepido accipias: nam hanc societatem quamuis improbaret Horatius, hoc tamen eloqui aduersus Octauianum non ausurus fuit.

4—5. *arma nondum expiatis uncta cruoribus:* conf. Prooem.

6. *periculosae plenum opus aleae:* alea *discrimen* est, quia aleae iactu aleator aut lucratur aut perdit. Opus Pollionis plenum periculosi discriminis est, quod graues casus et euentus siue periculosa proelia eo continentur. Optimus interpres est Tacitus Hist. I 2: *opus adgredior opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saeuum.* Alii haec trahunt ad periculosum Pollionis inceptum, sed periculum inchoati operis ingerere ab Horatii consilio alienum erat.

7—8. *et incedis per ignes — doloso:* haec proxime superioribus opponuntur et annos denotant 696—705, h. e. omne tempus, quo amicitia in Caesaris partibus et Pompei speciosius quam uerius culta est. Ignes cupidinis et irarum aderant, sed doloso cinere interim obtecti sunt. Sic contraria bene composita sunt. Etiam hoc de periculoso Pollionis opere plerique intellexere erroris auctoribus Acrone et Porphyrione.

paulum seuerae Musa tragoediae
desit theatris: mox ubi publicas
res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

insigne maestis praesidium reis
et consulenti, Pollio, curiae,

9—10. paulum — theatris *Seruius l. c.* 9. Paulum *ABGHg.* tragediae *GH.* 12. Cecropo *G.* coturno *ABGHg.* 13. mestis *BGH, non A.* presidium *GH.* 14. consulent *A.* pollio *mei.*

9—10. *paulum — theatris:* 'tragoedias scribere et committere in scenam' (nam de his loquitur poeta, non de recitatione tragoediarum) 'paulum desine': quippe uoluit Horatius, ut Pollio totum studium ad historiam belli ciuilis conuerteret eamque quam primum absolueret. Pollio initium scribendarum tragoediarum uidetur fecisse a. 712, cum legionibus in Gallia Transpadana praepositus Vergilium ad Bucolica componenda (Eclog. 8 11—12) hortatus est. Tunc enim facta tertia Vergilii Ecloga, ubi ille u. 84: *Pollio amat nostram, quamuis est rustica, Musam*, u. 86: *Pollio et ipse facit noua carmina.* Iterum Pollionis tragoedias respexit a. 715 Ecl. 8 9: *en erit ut liceat totum mihi ferre per orbem sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.* Eidem studio intentus Pollio erat a. 723, cum Horatius in satira 10 libri primi u. 42 dixit: *Pollio regum facta canit pede ter percusso.* Post aequales Vergilium et Horatium tragoedias Pollionis nemo memorauit nisi Tacitus, apud quem Aper ueterum obtrectator Dial. 21: *Pacuuium certe et Accium non solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit. Seuera* tragoedia nominatur, quia seueros (σπουδαίους) imitatur. Aristoteles Poet. c. 6 § 2: ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας.

10—12. *mox — cothurno:* 'ad tragoedias reuerti poteris absoluta belli ciuilis historia'; hanc *publicas res* uocauit, quod continet res a populo Romano gestas. *ordinaris:* 'in ordinem redegeris', h. e. ab initio usque ad finem descripseris. Noue dictum et poetice. *grande munus:* Pollio tragoedias cum gratis agendas obtulerit, non pecuniam pro iis exegerit (hoc statui potest in uiro diuite et nobili), ipsae uocantur munus grande (*erhabene Gabe*). *Cecropio cothurno:* hinc apparet, Pollionem fabulas argumenti Graeci in scenam tulisse, non scripsisse praetextas.

13—16. *insigne — triumpho:* apte praedicat auctorem operis mox edendi, et primum quidem in iudiciis periclitantium insignem defensorem, tum auctoritatem uiri consularis (consulatum gesserat a. 714) apud patres, postremo ducem Delmatico triumpho nobilitatum: uicerat quippe Parthinos prope Dyrrachium habitantes. Dio XLVIII 41. Appianus BC. V 75. Seruius ad Vergilii Eclog. IIII 1 et VIII 7. Florus IIII 12 11. Pollio triumphum egit VIII kalendas Nouembris a. 715, ut in Fastis Capitolinis notatum est. De Pollione oratore cf. Tacit. Dial. 25. De forma nominis hoc tenendum est: quamuis sermonis Latini regula *Polio* postuletur, non *Pollio* (Lachmann ad Lucretium p. 33), unde Graeci fere Πωλίων efferunt, tamen consuetudo Romana uidetur peruicisse, ut plerumque *Pollio* pronuntiaretur. Hoc certe codices Horatii sine exceptione praebent, sic ex Fastis Capitolinis affertur; Mommsenus (Inscript. R. N.) *Polliones* multos habet, *Polionem* nullum.

cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho.

iam nunc minaci murmure cornuum
perstringis aures, iam litui strepunt,
iam fulgor armorum fugacis
terret equos equitumque uultus.

audire magnos iam uideor duces
non indecoro puluere sordidos,
et cuncta terrarum subacta
praeter atrocem animum Catonis.

15—16. *Seruius l. c. ad u.* 88. 16. delmatico *A:* Dalmatico *BGHg.* triumfo *A.* 18. perstringes *A.* 19. fugacis *Agς:* fugaces *BGH.* 24. Preter *BGH.*

17—24. Altera pars carminis; pingit Pollionis uigorem in describendis proeliis.

17—18. *iam — perstringis aures:* animi legentium ita afficientur, ut rebus gestis ipsi adesse sibi uideantur, ut cornua canentia, lituos strepentes audire et sentire se credant. Litui, si fides Acroni ad Horat. I 1 23, *equitum* fuere; huic consentit, quod continuo de equestri pugna Horatius agit.

19—20. *iam fulgor armorum fugacis — uultus:* equites Pompei hastas a Caesarianis cohortibus ducis iussu in ora conuersas non tulere. Plutarch. Caes. c. 45: *καὶ πρὶν ἢ προσβαλεῖν αὐτοὺς* (equites Pompei) *ἐκτρέχουσι αἱ σπεῖραι παρὰ Καίσαρος οὐχ, ὥσπερ εἰώθασιν, ἀκοντίσμασι χρώμενοι τοῖς ὑσσοῖς, οὐδὲ μηροὺς παίοντες ἐκ χειρὸς ἢ κνήμας τῶν πολεμίων, ἀλλὰ τῶν ὄψεων ἐφιέμενοι καὶ τὰ πρόσωπα συντιτρώσκοντες, ὑπὸ Καίσαρος δεδιδαγμένοι τοῦτο ποιεῖν, ἐλπίζοντος ἄνδρας οὐ πολλὰ πολέμοις οὐδὲ τραύμασιν ὡμιληκότας, νέους δὲ καὶ κομῶντας ἐπὶ κάλλει καὶ ὥρᾳ μάλιστα τὰς τοιαύτας πληγὰς ὑπόψεσθαι καὶ μὴ μενεῖν τὸν ἐν τῷ παρόντι κίνδυνον κτλ.* Caesar BC. III 93: *illi* (pedites sex cohortium Caesaris) *celeriter procurrerunt infestisque signis tanta ui in Pompei equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret, omnesque conuersi non solum loco excederent, sed protinus incitati fuga montes altissimos peterent.* Adde Appiani BC II 78.

21. *audire magnos — duces:* contiones et adhortationes Caesaris et Pompei (hi sunt *magni duces*) ante proelium et in pugnae ardore a Pollione relatas; *non indecoro:* litotes pro *decoro*, sed illud fortius.

23 — 24. *cuncta — Catonis:* his finem belli et historiae, qualem expectabat Horatius, designauit, omisso bello Hispaniensi post gesto: nam post bellum Africanum a. 708 compositum Caesar uictor quattuor triumphos egit. Cato in oppido Vtica se ipse interemerat uenia uincentis spreta a. 708. Partes eius uictae sunt, sed animus inuictus permansit. Lege belli Afr. c. 87 — 88. Dio XLIII 10 — 11. Appian. BC. II 98—99. Plutarch. Cat. min. c. 58 — 70. *Atrox* est atra in se meditans et moliens (*finster*), nullam ueniam ambiens; cf. Carm. I 12 35.

25 — 36. Tertia pars carminis;

Iuno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat inpotens
tellure, uictorum nepotes
rettulit inferias Iugurthae.

quis non Latino sanguine pinguior
campus sepulcris inpia proelia
testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?

qui gurges aut quae flumina lugubris
ignara belli? quod mare Dauniae

26. cessarat *H.* inpotens *G,* ĩpotens *Ag:* imp. *BH.* 28. rettulit *A:* retulit *BGHg* '*omnia scripta*' *Cruquii.* iugurtae *BG.* 30. Canpus *B.* sepulcris *A:* sepulchris *BGHg.* impia *mei.* p̄liis *superscripto eadem manu* p̄lia *A,* prelia *G.*

causa belli tam cruenti ad iram caelestem refertur.

25—27. *Iuno — tellure:* cum Numidia uicta et prouincia Romana facta est, Iugurtha rege Romam deducto ibique interfecto, tunc Iuno tutelare numen Carthaginis et Africae inde cessit neque potuit seruitutem prohibere (*inpotens*): quippe uictam urbem siue terram di ante deserere credebantur. Tacit. Hist. V 13. Vergilius Aen. II 351.

27—28. *uictorum nepotes — Iugurthae:* Africana clades propterea atrocior ceteris, quod ibi homines nobilissimi etiam post pugnam occubuere. Liuii Epit. 114: *Petreius Iubam seque interfecit. P. Scipio in naue circumuentus honestae morti uocem quoque adiecit: quaerentibus enim imperatorem hostibus dixit 'imperator bene se habet'. Faustus et Afranius occisi.*

28. *inferias:* quibus Iugurthae manes placarentur irati ob necem in carcere Romano toleratam.

29—36. Effusi sanguinis copiam demonstrat, ut causam belli a se dictam ueram esse probet.

30. *inpia proelia:* proelia quibus nefas commiserunt bellantes et iram deorum in se uerterunt. Est grauissima bellorum ciuilium accusatio. Quae ut magis moueret aequales, nullam Romanorum calamitatem hostibus et aemulis Parthis (*Medis*) gratiorem fuisse significat, quam hanc Italiae cladem.

32. *Hesperiae sonitum ruinae:* ut *Hesperiae* facilius pro Italia accipi possit, oppositum *Medorum* uocabulum efficit. Conf. I 28 26: *fluctibus Hesperiis.* Occidentem uniuerse notat II 17 20, IIII 15 16.

33—36. Post pugnas terrestres (29—32) ad clades nauium peruenit.

33. *'qui gurges:* gurgitem maris cogitauit, ubi naues periclitantur, cadauera hauriuntur: id ostendit oppositum *aut quae flumina.* *lugubre bellum* apte uocauit ciuium pugnas. Cf. Tacit. Hist. II 46: *nemo dubitet potuisse renouari* (ab Othone uicto) *bellum atrox lugubre, incertum uictis et uictoribus.* Nam in bellis ciuilibus et uictores et uicti luctu conflictantur. *Dauniae caedes* poetice pro caesis fortibus Italiae uiris: nam quorum terra Daunia a Dauno uetere rege uocata est, uirtute bellica eminebant. Conf. III 5 9, 16 26. *quae — ora:* ad oras marium naues Pompei Caesari insidiabantur. Ibi multum inuicem cladis et sanguinis.

non decolorauere caedes?
quae caret ora cruore nostro?

sed ne relictis, Musa procax, iocis
Ceae retractes munera neniae:
mecum Dionaeo sub antro
quaere modos leuiore plectro.

35. cedes *ABGH*. 36. Que *pr B*. hora *G*. 37. locis *an* iocis *habeat A non liquet*. 39. dioneo *ABGH*. 40. Quere *H*.

37—40. Clausula; ultra terminum se euagatum esse sentit et sibimet ipse modum imperat. *Musa procax:* procax Musa dicere audet quibus inpar est.

38. *Ceae — munera neniae:* dona *θρήνου*, qualem unice componere calluit Simonides Ceus; cf. IIII 8 12: *carmina possumus donare et pretium dicere muneri.* *retractare:* post Simonidem iterum conari et imitando exprimere.' Quintil. X 1 64: *Simonidis, poetae tenerrimi, praecipua in commouenda miseratione uirtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis auctoribus praeferant.* Catull. 38 8: *maestius lacrimis Simonideis.*

39. *Dionaeo sub antro:* sub antro Veneri dicato; a Diona Veneris matre nomen adiectiuum fecit, cum forma *Venereus* uti non posset.

40. *leuiore plectro:* leuiore plectro modi leues et iocosi citantur, grauiore graues et seueri. Ouid. Met. X 150: *cecini plectro grauiore Gigantes, — nunc opus est leuiore lyra.* Ipsum plectrum stilus est ex ebore, auro aut alio metallo, quo chordae pulsantur uel percutiuntur. Latino nomine *pulsabulum* (*quassabulum?*) uocat Appuleius Florid. t. II 15 p.129 ed. Bipont. Plectro cum utitur citharoedus, *κρέκειν* dicitur, cum digitis chordas impellit, *ψάλλειν*. Prius etiam *foris canere*, alterum *intus canere* nominatur. Cf. Pseudo-Asconius ad Ciceronis in Verrem libr. I 20 53.

II.

Nullus argento color est auaris
abdito terris, inimice lamnae

Ad Sallustium Crispum encomiastice tetracolos *A*. Ad Salustium Crispum. Quoduis liberalitatis extollit gratia *B*. Ad Cr. Salustium prosphonetice tetracolos *H*.

1. *Diomedes* III 36. 2. ınımıcę (in *fere ut* m) *A*. lammae *H*.

Carm. II. Prooemium. *Argentum, nisi temperato usu splendeat, recte contemnis, Sallusti. Maius imperium est auidum spiritum domare, quam magni ditisque regni possessio. Auarus animus numquam expletur; qui scelus admisit, felix non est, quamuis uulgo uideatur: qui coercere potest cupidinem, uerus est et tutus imperator.*

Carmen ad Sallustium missum est anno 725. Docent uerba (u. 17): *redditúm Cyri solio Prahaten — numero beatorum eximit uirtus:* nam Tiridaten solio Parthorum deiectum, Prahaten restitutum esse Romam nuntiatum est principio anni 725: Dio Cassius LI 18 et 20; cf. Prooemium carminis 19 libri primi. Itaque decem anni fere effluxerant, posteaquam Sallustium Crispum insano libertinarum amore captum notauit in altera libri primi satira (u. 48): nunc alio et meliore uitae genere gaudentem ac fauori Caésaris admotum ob liberalitatem et prudentem pecuniae usum laudat. De uiri uita et moribus in postremis eius accurate rettulit Tacitus Annal. III 30: *fine anni* (a Christo n. uicesimi) *concessere uita insignes uiri Lucius Volusius et Sallustius Crispus. — Crispum equestri ortum loco Gaius Sallustius, rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adsciuit. Atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteiit, diuersus a ueterum instituto per cultum et munditias, copiaque et adfluentia luxu propior. Suberat tamen uigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam magis ostentabat. Igitur incolumi Maecenati proximus, mox praecipuus cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippae conscius; aetate profecta speciem magis in amicitia principis quam uim tenuit.*

1—2. *nullus — auaris abdito terris:* argentum in thalamis siue thesauris subterraneis absconditum nullo colore splendet, h. e. usu demum argento pretium accedit. Recte interpretatur Acron: 'pro pecunia abdita in thesauris dixit'; perinde Porphyrion. Nimirum thesauri ueterum regum sub terra effossi et fornicibus muniti erant aut esse credebantur; hos Horatius *terras auaras* generali uocabulo nominauit. Aliud est, de quo loquitur III 3 49: *aurum inrepertum et sic melius situm, cum terra celat.* Alii de argenti fodinis accipiunt: sed solidum argentum non nascitur ac ne uenis quidem depromptum splendet. Plinius XXXIII 31 (6): *nonnisi in puteis reperitur nullaque sui spe nascitur, nullis ut in auro lucentibus scintillis;* cet. Etiam uerbum *abditum* illi explicationi refragatur; cf. III 16 5, Epl. I 1 5.

2. *inimice lamnae* (*du Feind des Bleches*): *lamna*, contractum nomen ex *lamina*, cum aliquo contemptu argentum *non signatum* appellatur, h. e. massa argenti in laminas fusi, quod in thesauris iacet. 'Lamnam pro infabricata et rudi materia argenti posuit'. Acron.

Crispe Sallusti, nisi temperato
splendeat usu.

uiuet extento Proculeius aeuo,
notus in fratres animi paterni;
illum aget pinna metuente solui
Fama superstes.

3. sallusti *Aς:* salusti *BGHgω.* 5. procul . eius (. *est signum metricum*) *A.* euo *G.* 7. aget *ABGHω:* agit ς. pinna *A:* penna *BGHg.*

3. *Crispe Sallusti:* nomen familiae praepositum gentilicio. Ea consuetudo septimo saeculo urbis coepit in peruulgatis et notis familiae nominibus; mox amplius peruagata est, praecipue apud Plinium et Tacitum. Cicero, exceptis epistulis, ab ea abstinuit. Nominis forma *Sallustius* titulis firmatur. In Mommseni I. R. N. duodecim referuntur *Sallustii*, nullus *Salustius*, quattuor *Sallustiae*, nulla *Salustia*, una *Salystia.*

3—4. *nisi temperato splendeat usu:* haec pendent ex *inimice lamnae.* Sallustius non quemuis usum pecuniae probat, sed nonnisi modicum sine *temperatum.* Coniunctiuus Sallustii mentem indicat; monuit Nauckius. Meineke (diar. antiquit. stud. a. 1851 p. 233): 'sententiam de pecunia usu splendescente duxisse uidetur ex loco Sophoclis, qui de uirtute dixerat (fr. 742 Dind.): λάμπει γὰρ ἐν χρείαισιν ὥσπερ ἐκπρεπὴς χαλκός· χρόνῳ δ' ἀργῆσαν ἤμυσεν στέγος, apud Plutarchum an seni sit adm. resp. p. 792. a'.

5—8. Verum Sallustii iudicium illustri exemplo Proculei probatur.

5. *extento — aeuo:* aeuum hominis artis finibus circumscriptum extenditur gloria eius qui post mortem in animis posterorum uiuere pergit. De Proculei fraterno animo Acron: 'Proculeium equitem Romanum laudat, amicum Augusti, qui pius sic erga fratres suos Scipionem et Murenam fuit, ut cum spoliatis bello ciuili patrimonium suum ex integro diuideret, quod cum eis iam ante diuiserat'. Proculeius, frater Terentiae Maecenatis uxoris, fidum Augusti amicum se praestitit in bello Siculo (Plinius VII 46: *iam in nauali fuga, urgente hostium manu, preces Proculeio mortis admotae*), magis in bello Aegyptiaco (a. 724), ubi Cleopatram cepit, mox curiose sed frustra custodiuit. Conf. Dio LI 11. Cum frater eius Murena cum Fannio Caepione aduersus Augustum a. 732 conspirauit, ipse integer mansit, quamuis fratrem protegere non posset. Lege Dionem LIIII 3. Marco Agrippa mortuo, filiam Iuliam nonnihil cogitauit Augustus Proculeio iungere, sed mox Tiberio collocauit. Tacit. Ann. IIII 40. Excessit manu sibimet illata. Plin. XXXVI 59 (24): *exemplum illustre, C. Proculeium, Augusti Caesaris familiaritate subnixum, in maximo stomachi dolore gypso poto conscinisse sibi mortem.* Conf. Prooem. ad I 9.

6. *notus — paterni: in fratres* pendet a uocabulis *animi paterni.* In pedestri sermone collocanda uerba forent *paterni in fratres animi.* Genetiuus *animi paterni* more Graeco positus est, ut I 22 1. *integer uitae scelerisque purus;* IIII 8 5: *diues artium;* Serm. I 2 74: *diues opis natura suae;* Epl. II 2 31: *multarum diuite rerum.* Falso comparatur IIII 13 21: *notaque et artium gratarum facies*, nam ibi genetiuus pendet a uoc. *facies.* Horatium imitatus est Statius Theb. II 274: *notique operum Telchines.*

7. *pinna metuente solui: me-*

latius regnes auidum domando
spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
seruiat uni.

crescit indulgens sibi dirus hydrops,
nec sitim pellit, nisi causa morbi

9. Lacius *H.* 10. lybiam *G*, libiam *ABH.* 11. peuus *B*, pe°nus *G.* 13. dyrus *H,* durus *unus Blandinius.* ydrops *GH.*

tuente est pro fugiente, euitante, cauente. III 11 10: *metuitque* (= cauet) *tangi;* IIII 5 20: *culpari metuit* (= uitat) *fides.* Epl. I 16 60: *metuens audiri.* Poetae obuersatur haec scribenti Icari imago, cuius pennae a uicino sole solutae sunt.

8. *Fama superstes:* superstes Proculeio, h. e. cum ipse mortuus erit. Nam Proculeius, cum hoc carmen scribebatur, etiam tum in uiuis erat et esse diu mansit, cum a. 742 generum facere Augustus agitauerit. Itaque unice uerum est *aget*, non *agit*, ut est in nonnullis codicibus peioris notae.

9—12. Domare auaritiam qui potest et coercere, uerus rex et dominus dici meretur.

9—10. *auidum spiritum:* auiditatem et cupidinem habendi scite *auidum spiritum* dixit: nam auarus biante ore cogitatur et inrequietus. *θυμοῦ πνοαί* sunt in Euripid. Phoenissis 455, *ψυχῆς ῥιπαί* in Sophoclis Antigona 921, dictae de commoto animo.

10—12. *quam — uni:* h. e. ‘quam si mole per mare medium educta Africam cum remotis Gadibus iungas eoque rem adducas, ut tibi maris domitori et Poenus Hispaniensis (Gaditanus) et Africanus (Carthaginiensis) seruiat’. Gaditani a Poenis Tyro profectis conditi sunt: Strabo III 5 5, Plinius IIII 36 (21), Liuius XXVIII 37, Cicero pro Balbo c. 14. Alii de noua Carthagine Hispaniae et uetere Africae cogitant, quod uerba uix admittunt.

13—16. Sententiae ueritas probatur e contrario. Nam exemplo ab hydropico repetito ostenditur, liberum esse qui cupidini resistat, qui obsequatur, semper magis obnoxium fieri.

13. *crescit indulgens sibi dirus hydrops:* contraxit in unam duas has sententias, *crescit dirus hydrops, cui indulgetur;* indulgetur autem, dum suggeruntur potus cibique. Itaque pro hydropico ipse *hydrops* a poeta positus est; perinde paulo post *uirtus* dicitur pro eo qui uirtute ornatus est. *Dirus* uocatur hydrops, quod oculi ab aspectu hydropici propter tumorem et pallorem abhorrescunt. Conf. ad III 6 36. Celsus III 21: *facilius in seruis quam in liberis tollitur* (hydrops), *quia cum desideret famem, sitim, mille alia taedia longamque patientiam, promptius iis succurritur qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est.* Et mox: *inter initia tamen non difficilis curatio est, si imperata sunt corpori quies, sitis, inedia: at si malum inueterauerit, non nisi magna mole discutitur.* Meineke (diar. antiq. stud. 1851 p. 233): ‘nobilem illam cum hydropico comparationem — praeiuit Horatio Diogenes apud Stobaeum Flor. 10 46: *Διογένης ὁμοίους τοὺς φιλαργύρους τοῖς ὑδρωπικοῖς· ἐκείνους μὲν γὰρ πλήρεις ὄντας ἀργυρίου ἐπιθυμεῖν πλείονος, τούτους δὲ ὕδατος, ἀμφοτέρους δὲ πρὸς κακοῦ· ἐπιτείνεσθαι γὰρ μᾶλλον τὰ πάθη ὅσῳ ἐπιθυμούμενα πορίζεται*’.

fugerit uenis et aquosus albo
corpore languor.

redditum Cyri solio Prahaten
dissidens plebi numero beatorum
eximit uirtus populumque falsis
dedocet uti

uocibus, regnum et diadema tutum
deferens uni propriamque laurum,

16. langor *A* (*sic u solet inserere post* g), laugor *B*. 17—19. redditum — uirtus *Priscianus* XVIII 15 130. 17. prahaten *ABgς*, prahatem *GH*. '*omnes Bland. et alii* 4 *cod. habent Phrahates*' (*uoluit* Prahaten) '*per aspirationem in medio*'. Crvqvivs. 18. plebi *ABGHgω*: plebis ς '*lectio codd. Blandin*'. Crvqvivs. 20. edocet (*omissa prima uersus littera*) *G*. *Priscianus* XVIII 4 46: Horatius in II. Carminum 'dedocet uti falsis uocibus'.

15—16. *aquosus albo corpore languor:* hoc est, quod morbo efficitur, languor uirium, aquae abundantia, corpus exsangue albo colore. Cf. Serm. II 2 21: *pinguem uitiis albumque;* ibid. 76: *uides — ut pallidus omnis cena desurgat dubia?*

17—24. Felix est non quem plebs beatum praedicat, sed qui uirtutis compos opes spernit.

17—19. *redditum — eximit uirtus:* uirtus quae sola beatos reddit, regem scelestum, qualis fuit Prahates, quamuis solio Parthorum post grauem cladem redditum, felicem esse concedere nequit. *Virtus* h. l. pro *uirtute uera praeditus*. Tacitus Ann. XVI 21: *ad postremum Nero uirtutem ipsam excindere concupiuit interfecto Tharsea Paeto et Barea Sorano.* Cogitauit Horatius de insigni uirtutis magistro Socrate quaeque is exposuit in Platonis Gorgia p. 470 sqq. Quippe Prahates cum multa crudeliter consuleret, ut olim Archelaus Macedo a Platone l. c. memoratus, a Parthis duce Teridate pulsus est in exilium, mox Scytharum auxilio in regnum restitutus a. 724. Cf. Prooem. ad I 19.

18. *dissidens plebi:* noue et breuiter pro 'dissidens a plebis iudicio'. Datiuum *plebi* cum meis ac plerisque aliis codicibus tuetur Priscianus XVIII 15 150 p. 1158 et consuetudo Horatiana. Nam cognata uerba *discrepare*, *distare*, *differre*, *dissentire* ubique cum tertio casu iunxit, *discrepare* I 27 5; Serm. I 6 92, II 3 108; Epl. II 2 194; AP. 152 et 219; *distare* IIII 9 29; Epl. I 7 23, 18 4, II 1 72; *differre* Serm. I 4 48; AP. 236; *dissentire* III 5 14. *beatorum:* numerus huius uersus sequenti continuatur, ut II 3 27; *sors exitura et nos in aeternum exilium impositura cumbae.*

19—21. *populumque — uocibus:* hoc ipsum facit Socrates Platonis l. c. Docet hoc uerae uirtutis aestimator, falso potentes uocari felices (μακαρίους) beatosque, immo miseros esse in splendida sua fortuna, si flagitiis operti sint.

22. *propriamque laurum:* propria ita ut nulla ui diuelli possit, h. e. certa et mansura. Serm. II 6 5: *nisi ut propria haec mihi munera faxis,* ubi uide notata. *Vni:* τῷ ἑνί, illi uni, qui contemptis opibus probat se nulli cupidini mancipatum esse.

23—24. *quisquis — aceruos:* non opus est regno et imperio, sed opus est ut cupidines et affectus domare possis. Tum uerus rex eris.

quisquis ingentis oculò inretorto
spectat aceruos.

III.

Aequam memento rebus in arduis
seruare mentem, non secus in bonis

23. ingentis *A:* ingentes *BGH.* inretorto *BGHς*, ĩretorto *Ag.*

Ad Dellium. Metr. *cet. A.* Paranetice symboleutice. Dellio. Dellium alloquitur atque cohortatur eum ad aequitatem animi et uoluptatem, quoniam mors sequutura obnubet omnes *B.* Paranetice ad Dellium *H.*
1. *Diomedes l. c.* 2. ac bonis *duo Lambini codices.*

23. *oculo inretorto:* inretortus oculus est qui retorqueri nequit, h. e. oculus eius qui ut respiciat ingentes aceruos semel a se uisos impelli nequit. Ipsos aceruos dicit omnis generis opes in aceruum collectas, h. e. aceruos frumenti, pecuniae, statuarum cet.

Carm. III. Prooemium. *Aequum animum et moderatum in rebus aduersis et secundis seruare, opibus quas aceruasti frui memento, Delli, qui non diu his usurus et heredi quicquid parasti relicturus es: communis enim sors mortalium artos uitae terminos posuit.* (Metrum Alcaicum)

De Q. Dellio, qui post uarios casus Caesarem Octauianum paulo ante Actiacam pugnam secutus est, mox etiam Maecenati, ut uidetur, familiaris fuit, unde Horatio cognitus est, M. Seneca Suasor. I (ed. Bipont. p. 7) tradidit: *bellissimam tamen rem Dellius dixit, quem Messala Coruinus desultorem bellorum ciuilium uocat, quia a Dolabella ad Cassium transiturus salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset, et a Cassio deinde transiuit ad Antonium, nouissime ab Antonio transfugit ad Caesarem. Hic est Dellius, cuius epistulae lasciuae ad Cleopatram feruntur. Cum Athenienses tempus peterent ad pecuniam conferendam nec exorarent* (Antonium), *Dellius ait: 'et tamen scito illos tibi annua, bima, trima die debere'.* Litterarum non ignarus Antonii expeditionem Parthicam narrauerat. Conf. Strabo XI 13 § 3 p. 523, Plutarchus Antonio c. 59, Dio XLVIIII 39, Iosephus Antiq. XIIII 15.

Carmen eo tempore compositum uidetur, quo uiri opibus et potentia praepollentes ab Horatio sese celebrari passim cuperent, h. e. circa annum ab urbe 730 (a. Chr. 24).

1—4. *aequam — laetitia:* commendaturus suauis uitae usum incipit ab eo quod est fundamentum felicitatis, ab animo in omni fortuna sibi constante et temperante.

1—2. *memento — seruare:* μέμνησο διασώζειν. Graui admonitione utitur rem minime leuem suasurus; *aequa mens* de statu suo non deicitur, sed rectus etiam in rebus arduis consistit.

2. *non secus:* non secus memento seruare.

ab insolenti temperatam
laetitia, moriture Delli,

seu maestus omni tempore uixeris,
seu te in remoto gramine per dies
festos reclinatum bearis
interiore nota Falerni.

quo pinus ingens albaque populus
umbram hospitalem consociare amant
ramis, quo et obliquo laborat
lympha fugax trepidare riuo,

huc uina et unguenta et nimium breuis

4. laetititia *A,* laeticia *GH.* 5. mestus *ABGH.* 8. phalerni *G.* 10. *incertum utrum in A sit* amant *an* amani. 11. quo et] quo *BGHgω,* quid *Aς u. Blandinius,* quod *Turicensis.* oblico *H.* 12. lymfa *A.* 13. ungenta *A.* breuis *AHg:* breues *BG.*

3—4. *ab insolenti — laetitia:* talem in Nerone describit Tacitus Ann. XV 23: *natam sibi ex Poppaea filiam ultra mortale gaudium tulit.*

4. *moriture Delli:* statim in allocutione premit illud, mortalem et breuis uitae fore Dellium: nam hinc ad percipiendos rerum fructus hortaturus est hominem familiarem.

5—8. Duplex enuntiatum incipiens ab *seu — seu* pendet ex proximo uocabulo *moriture*, non ex remotiore *memento seruare;* cf. ad II 2 3—4.

5. *seu maestus — uixeris:* hanc maeroris sortem ut minus optabilem paucis uerbis depinxit, sententiae lumina reseruauit alteri uitae uersibus 6—8 descriptae.

6. *in remoto gramine:* locus in gramine remoti campi opponitur urbi, in qua tunc Dellius. *per dies festos:* hoc respondet praegresso *omni tempore* et prudenter additum est, ut luxuriae a poeta laudandae suspitio uitetur.

8. *interiore nota Falerni:* uina uetera et antiquorum consulum nominibus signata in interiore cellae parte reposita seruabantur. Epod. 9 1: *repostum Caecubum ad festas dapes.* De Falerno cf. ad I 20 10.

9—16. In amoeno uillae loco tristitiam animi uino abluere suadet Dellio. Continuant et perficiunt haec sententiam uersibus 6—8 inchoatam.

9—11. *quo — ramis: quo* est 'in quem locum': quippe arbores umbram ex summis ramis in terrae solum demittere cogitantur. *umbra hospitalis (gastlich, einladend):* grata adeuntibus (hospitibus).

10. *consociare amant: συμμιγνύναι φιλοῦσι,* scilicet ut densior umbra fiat. *albam* populum iunxit cum pinu subnigra, sed hanc *nigram* esse non dixit, ne nimis sectari uideretur contraria.

11. *quo et obliquo:* fons aquae cadentis trepidat ad eundem locum, quo pinus ingens et alba populus ramis suis umbram dirigunt. Verum *quo et* (= quo etiam) nititur coniectura ex traditae scripturae uestigiis ducta. Bentleius *quo et* codicibus nonnullis inesse narrat, perperam, ut uidetur, sed casu uerum ille tetigit; *qua et* temptauit Cuningham. Verae scripturae (*quo et*) litterae postquam praue iunctae sunt in *quot,* correctores alii *quid*, alii *quo*, alii *quod* substituerunt; *qua* Lambinus et hic et u. 9 suo iudicio intulit; *ramosque, et* temptauit Bentleius, alii alia. Vulgo

flores amoenae ferre iube rosae,
dum res et aetas et sororum
fila trium patiuntur atra.

cedes coemptis saltibus et domo
uillaque flauus quam Tiberis lauit;
cedes, et extructis in altum
diuitiis potietur heres.

diuesne, prisco natus ab Inacho
nil interest, an pauper et infima
de gente sub diuo moreris,
uictima nil miserantis Orci.

14. amenae *BG,* amaenae *H.* 16. patientur *G,* paciuntur *B.* 18. *Eutychius* II 16. flauos *A praeter morem.* tyberis *BG.* lauat *Aς.* 19. extructis *mei, non* exstr. 20. diuiciis *GH.* 22. Nichil *Gg.* 23—24. sub diuo — Orci *Seruius ad Vergil. Aen.* XII 139. dio *A.* 24. *scholiasta Statii Theb.* VIII 193.

nunc editur *quo pinus — ramis? quid obliquo — trepidare riuo?* Sic duplex quaestio continuatur, cuius nulla responsio subsequitur.

13—14. *huc uina — rosae:* nominat res lautae compotationi necessarias; cf. I 36 15, III 29 1—3, IIII 11 1—5; *huc* refer ad proximum *quo* bis positum. *nimium breuis:* cf. I 36 16: *breue lilium.*

15—16. *dum res — patiuntur atra:* poetici sermonis ratio flagitat, ut *rem* h. l. opes (τὰ ὑπάρχοντα) intellegamus, ut recte accepit Lambinus, non totam uitae conditionem cogitemus, ut interpretatur Orellius, obsecutus Mitscherlichio. Nempe festas dapes apparare in remoto gramine non cuiusuis hominis erat, et Dellium opes suas fortunae ludibrio amittere potuisse quis negabit? *atra* nominantur Parcarum fila, quod mortem adducunt. Sententia bis gradibus procedit: dum opes (res) non desunt, dum aetas (iuuenilis) adest, dum in uiuis uersaris. Extremo membro poeta sollerter redit ad sententiam u. 4 (*moriture*) coeptam, quam in proximis (17—28) copiose persequitur, nempe ex breuitate et incerto uitae modo usum uitae suasurus.

17—18. Opulenti ciuis Romani tria opum genera enumerat, *pascua* in saltibus a Dellio coemptis, fortasse in Calabria et Lucania sita (Epod. 1 27 sqq. Epl. II 2 177), *domum* in urbe, *uillam* in ualle Tiberina non procul ab urbe, quales uillae potissimum in pretio fuere. De *flauo* Tiberi cf. ad I 2 13, de uerbo *lauere* ad III 4 61.

19—20. *extructis in altum diuitiis p. heres:* diuitias intellege opes ex pascuis, uilla, domo collectas; lenis inest admonitio, nimium studere pecuniae Dellium eoque non sibimet sed heredi consulere.

21—24. Inchoata sententia ampliatur. Opes et genus non distinguit Orcus.

21. *diuesne, prisco — Inacho:* sic interpungendum. Valet enim *diuesne, priscone natus ab Inacho* (= diuesne ac prisco). Hinc in opposito membro est *an pauper et infima de gente.* Inachus rex Argiuorum antiquitate insignis eoque pernobilis; cf. III 19 1. Vergil. Aen. VII 371.

23. *sub diuo:* sub caelo, i. e. in hac terra. Aliud dixit III 2 5: *uitamque sub diuo et trepidis agat in rebus.* Rectus casus est *diuum,* item *dius,* unde *diu* et *dio.* Conf. Lachmannus ad Lucret. IIII 211.

omnes eodem cogimur, omnium
uersatur urna serius ocius
sors exitura et nòs in aeternum
exilium impositura cumbae.

IIII.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,

25. eadem *G.* urgimur *superscripto* alii cogimur *H.* 26. uersat. (*pro* uersat' = uersatur) *A.* otius *B.* 27. eternum *B.* 28. exitium *Bς.* inpositura *B.* cumbae *A:* cymbae *BGHω.*

Ancillam amare crimen non esse *A.* Sodalem suum foceum monens prosphonetice, ne deserat concubinam suam. phillidam appetens talem qualis fuit Xanthia *B.* Ad Xancthiam traliptam (*pro* iatraliptam). Ancillam amare crimen non esse. Prosphonetice tetracolos *H.*

1. *Diomedes l. c.*

25—28. Sententia adhuc Dellio demonstrata iam ad omnes mortales accommodatur.

25. *eodem cogimur:* uerbo cogendi et copia ad inferos tendentium significatur et omnes inuitos illuc accedere.

25—27. *omnium—exitura:* iunge: *omnium uersatur sors, serius ocius* (de) *urna exitura.* III 1 16: *omne capax mouet urna nomen* (nomen in sorte notatum).

27—28. *in aeternum exilium:* cf. I 7 8, ubi est *in Iunonis honorem.* Cumba Charontis est. Propertius III 16 24: *scandenda est torui publica cymba senis.*

Carm. IIII. Prooemium. *Amor ancillae pudori ne sit tibi, Xanthia Phoceu: antiquitus enim seruae a uiris fortissimis amatae sunt; neque genere et parentibus Phyllis tua illis heroum deliciis uidetur concedere. Formam eius cum laudo, uel ob aetatem à culpae suspitione liber esse debeo.* (Metrum Sapphicum)

De natura poematis rectius existimari poterit, si patefactum erit, quis sit Xanthias Phoceus, quae sit puella non ingenua cuius amore arserit. Vtrumque nos edocet primi libri carmen uicesimum septimum. Illic qui *frater Opuntiae Megillae* nominatur, qui puellam non ingenuam et rapacem a sese amari fatetur, de cuius amore non felice uariae facetiae ibi eduntur (u. 18—24), is ab hoc ancillae amatore siue ancillariolo (Martialis XII 58), siquid uideo, nihil differt. Ipse nunc a flauo capillo Xanthias uocari uidetur, a patria Phoceus. Soror eius Megilla ante quam Romam uenit, Opunte uicino Phocensibus oppido habitauit et inde Opuntiae nomen tulit. Quo reperto liquet, quicquid in hoc carmine de Xanthiae amore dicatur, iocose ac festiuae irrisionis causa proferri. Ironice nobile genus amatae ancillae praedicatur, per ironiam fides eius et animus a lucro auersus laudatur.

Carmen compositum est u. anno 730 (a. Chr. 24), id quod extremi uersus ostendunt.

1. *ne sit — pudori:* amor ancillae pudorem amantibus Romae ferebat: manumittere tamen et in matrimonium ducere ancillam honestum erat. Gaius Instit. I 19: *iusta autem causa manumissionis est, ueluti si quis — ancillam matrimonii causa aput consilium manu mittat.*

2—4. *prius — mouit Achillem:* *prius* est *olim, apud ueteres,* et pertinet ad uerbum primarium *mouit,*

Xanthia Phoceu: prius insolentem
serua Briseis niueo colore
mouit Achillem;

mouit Aiacem Telamone natum
forma captiuae dominum Tecmessae;
arsit Atrides medio in triumpho
uirgine rapta,

barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo uictore et ademptus Hector

2. Xancthia *H*, Santhia *G*. phoceu *BH:* foceu *AG*. 3. collo remouit *pr H*, colore mouit *corr H*. 6. tegmessae *BG*, temessae *unus Blandinius*. 7. mediū ī triūpho *A*. 10. adtemptus *A*, ád em^{p}tus *B*.

non ad *insolentem*. Particulam *nam* uel *namque* pedestri sermoni h. l. debitam neglegere solent poetae. '*insolentem* hic superbum et arrogantem accipe'. Porphyrion. Recte. Nam superbus homo, qualis fuit Achilles (AP. 122), excelsa et rara plerumque petit, non communia ut ancillam. Cf. I 16 21: *exercitus insolens*. Mitscherlichius falso iungit *prius insolentem* et explicat 'indomitum adhuc amore'.

3. *serua Briseis:* Briseis, Brisei regis filia Hippodamia, capta urbe patria Pedaso in seruitutem ducta et Achilli dono data erat. Seruam fuisse, ut Phyllis ancilla fuit, cum ui monitum est; cf. Homeri Il. *Α* 184, 323, 336 sqq. 392, *Β* 689 sqq.; *Ι* 106, 132 sqq., 274 sqq. *Τ* 158 sqq. 175 sqq. 246 sqq.

4. *mouit:* 'innata enim uoluptate animus mouetur, et proprie motus libidinis est'. Acron. *Mouere* de amore repens excitato dictum, ut fieri solet in commoti animi uiris.

5—6. *mouit—Tecmessae:* eleganter noua stropha et sententia eodem uerbo inchoatur, quo prior conclusa est. Ac non sine consilio arroganti Achilli non minus superbus Aiax Telamonius adiungitur. *Tecmessam* Homero incognitam Cyclici poetae Aiaci sociauerunt, hinc tragici accepere, praeter ceteros Sophocles in Aiace flagellifero. *forma:* 'specialiter forma pro pulchritudine ponitur, ut et formae conscia coniunx'. Acron. Est translatio, in qua genus admittitur pro specie.

7—8. *arsit — uirgine rapta:* gradatim insurgit: nam Achilles et Aiax cum seruas ipsis concessas amassent et pro uxoribus secum habuissent, Agamemnon medio in triumpho (h. e. in media uictoria) uirgine a militibus rapta (Cassandra) incaluit. Prudens poeta silentio texit, quod Aiax Oilei filius Cassandram ante rapuisse et uitiasse dictus est. Ablatiuus *uirgine* est casus qui causam et fontem amoris notat. Cf. Carm. III 9 6: *non alia magis arsisti;* I 4 19: *quo calet iuuentus;* IIII 11 33: *non enim posthac alia calebo femina*; Epod. 14 9: *arsisse Bathyllo;* 11 6: *Inachia furere.*

9—12. *barbarae postquam — Pergama Grais:* est lyrica digressio, cuius haec est ratio, ut planum fiat quomodo summus dux Achiuorum a grauissimis curis respirare ac leuibus animum aduertere potuerit.

9. *barbarae — turmae:* turmae Troianorum memorantur, quod nobiles Troiani ab Achille oppugnati curru pugnauerant: nam turmae equestris militia est.

10. *ademptus Hector: ademptus Hector* cum *fessis Grais* apte iungi-

tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Grais.

nescias an te generum beati
Phyllidis flauae decorent parentes:
regium certe genus et Penatis
maeret iniquos.

crede non illam tibi de scelesta
plebe dilectam, neque sic fidelem,
sic lucro auersam potuisse nasci
matre pudenda.

brachia et uultum teretesque suras
integer laudo: fuge suspicari

12. grais *GHg:* grays *B,* Graiis *A.* 13. an te] ān (*pro* an̄ = ante = an te) *A.* 14. Phillidis *G.* 15. penatis *A:* penates *BGH.* 16. Meret *BGH, non A.* 18. dilectam *ABgω Blandinii:* delectam *H pr Gς.* 19. aduersam *Gς.* 21—22. brachia — laudo *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 207. 21. teretisque *pr B,* teretis *A.*

tur: nimirum Achiui ab ipso Hectore defatigati iam erant, cum ipse tandem ab Achille caesus est. Rei grauitas augetur, quod *ademptus* Hector *tradidisse* dicitur Troiam leuiorem ad expugnandum, h. e. non iam defendisse aduersus Graecos oppugnantes. Horatius unice Homerum respicit (Il. Ω 243), ceteros poetas epicos (nam hi etiam post Hectoris caedem multa *κλέα ἀνδρῶν* sub Troiae moenibus euenisse tradiderant) non moratur. *leuiora tolli:* leuiora ad tollendum de sua sede, i. e. ad delendum; cf. ad I 1 18.

13—20. Aut Xanthias ipse aut ceteri lectores cum obicere possent, seruas adhuc memoratas nobili ac regio genere ortas fuisse, huic haesitationi ab ipso poeta ingeniose obuiam itum est: scilicet certis indiciis colligere sibi uidetur posse, genus Phyllidis regium esse. Iocari poetam non est quod dicam post illa quae in Prooemio monita sunt.

13—14. *an te — decorent parentes:* fortasse iocus et lenis irrisio inest etiam in uerbis *te generum:* iam enim Xanthiam quasi coniugem et maritum Phyllidis cogitat. *beati* parentes sunt diuites, opibus regiis affluentes.

15—16. Si parentes regii nunc non sunt, *certe* olim fuerunt: nam Phyllis maeret regium genus (amissum) et iniquam domus suae sortem (*Penatis iniquos*); cf. II 6 9: *Parcae iniquae.*

17—18. *crede — dilectam:* contraxit has duas sententias: 'crede non de scelesta plebe esse, quam tu dilexisti'. Si Phyllis regio genere non orta est, certe non de plebe, non de matre infimae conditionis est; id ipsum ex fide ipsius et quod quaestui nihil studet colligitur. *Dilectam* notat cum iudicio amatam; cf. II 5 17.

21—24. Etiam formae pulchritudine Phyllis excellit.

21—22. *brachia — integer laudo:* sollerter post *teretesque suras* uocem *integer* poeta attulit. Nam hoc ipsum, suras laudare, aliquid suspitionis afferre potuit laudatori; *integer* est liber a culpa in Phyllide; cf. III 7 22: *adhuc integer.* 'teres est rotundum

cuius octauum trepidauit aetas
claudere lustrum.

V.

Nondum subacta ferre iugum ualet
ceruice, nondum munia comparis
aequare nec tauri ruentis
in uenerem tolerare pondus.

23. etas *B*.

Non esse properandum ad uirginis osculum. Metr. *cet. A*. Dicit omnia (*omnino?*) non esse properandum ad uirginis osculum. Eutice oratio ad sodalem per allegoriam *B*. Ode tetracolos per allegoriam. Non esse properandum ad uirginis osculum *H*. *Diomedes sexto loco numerauit.*

2. conparis *B*.

aliquid cum proceritate' Servius ad Vergil. Aen. VI 207.

22. *fuge suspicari:* innocentiae professioni addit argumentum ab aetate sumptum; *fuge* grauius quam *noli*. *suspicari*, h. e. suspectum habere.

23—24. *octauum — claudere lustrum:* iam annos quadraginta compleuerat, natus a. 689. Itaque carmen a. 730 aut paulo post scriptum est. Verbo *trepidauit* indicat iuueniles annos celeriter effluxisse.

Carm. V. Prooemium. *Viro nondum matura est Lalage praeter omnes mihi dilecta, sed mox erit. Itaque matrimonium eius festinare noli.* (Metrum Alcaicum)

Occasionem faciendi poematis et ingenium eius in Prooemio carminis undeuicesimi libri primi declarare conatus sum. Ex illis simul patet hanc oden anno u. 724 (a. Chr. 30) natam esse.

1—2. *nondum ceruice:* imagine sumpta a iuuenca cum compare boue iugo nondum submittenda dicit puellam sibi dilectam matrimonio nondum maturam esse. Vt iugo iuuenca adiungi possit, opus est eius ceruicem ante subactam esse, h. e. rite praeparatam oneri sustinendo. Alioqui ceruix exulcerabitur et conteretur. *ualet — ferre:* ualida est ad ferendum; cf. ad I 34 12.

2. *munia comparis:* labores κοινωνοῦ siue συνεργοῦ, h. e. qui idem munus et opus facit. Aliena intulit Acron: '*munia*, obsequia lege debita, quod uult intellegi de implendo uxoris officio'. Hoc demum proximis uerbis inest.

3—4. *nec tauri — tolerare pondus:* taurus in uenerem ruens poetice uocatur taurus qui uaccam init. Tenera iuuenca tauro non submittitur, ne pondere eius frangatur aut aliquid detrimenti capiat. Totius allegoriae (1—4) haec uis est: uirgo tibi dilecta matrimonio nondum matura est, siue munia uxoris spectas siue concumbendi consuetudinem.

circa uirentis est animus tuae
campos iuuencae, nunc fluuiis grauem
solantis aestum, nunc in udo
ludere cum uitulis salicto

praegestientis. tolle cupidinem
inmitis uuae: iam tibi liuidos
distinguet Autumnus racemos
purpureo uarius colore.

5. uirentis *Agς*: uirentes *BGH*. 6. Canpos *B*. 7. estum *G*. 8—9. ludere — praegest. *Priscianus* XIIII 5 46. 9. Pregestientis *BGH*. 10. Inmitis *BG*: imitis *A*, Immitis *Hg*. 11. autumnus *mei*, *non* auct. 12. uarios *corr G*.

5—9. *circa uirentis est animus tuae campos — praegestientis:* per allegoriam huic subsimilem Anacreon feminam et lasciuam et superbam allocutus est (Heraclid. Pont. Alleg. Hom. p. 16 ed. Schow, apud Bergkium n. 75): *Καὶ μὴν ὁ Τήϊος Ἀνακρέων ἑταιρικὸν φρόνημα καὶ σοβαρᾶς γυναικὸς ὑπερηφανίαν ὀνειδίζων, τὸν ἐν αυτῇ σκιρτῶντα νοῦν ὡς ἵππον ἠλληγόρησεν, οὕτω λέγων· Πῶλε Θρῃκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα νηλεῶς φεύγεις, δοκέεις δέ μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν;* Lalage ludo dedita nullo calore cupidinis sollicitatur; pergit in allegoria poeta.

5—6. *circa — iuuencae:* non taurum circumspicit iuuenca tua, sed campos uirentes sectatur, in his quam plurimum uersari studet. Anacreon l. c.: *νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις.* Quae inter uitulam et uaccam est, *iuuenca* nominatur, *iuuencus*, qui inter uitulum et taurum. Hinc *iuuenci* sunt iuuenes non adulti Carm. II 8 21.

6—7. *nunc fluuiis — aestum:* ubi solis aestu premitur, fluuios ingreditur, ut grauem aestum deleniat (soletur). Nudus ablatiuus *fluuiis* pro *in fluuiis* poetae conceditur; cf. ad I 16 5. 'Solari aestum pro refrigerare gratissime dicitur'. Porphyrion. Claudianus Cons. Mall. Theod. 196: *ille uel Aethiopum pluuiis solabitur aestus.*

7—8. *in udo — salicto:* salices potissimum proueniunt in udis et irriguis locis, quae petunt uituli et iuuencae aestus uitandi causa. Vt puella inmatura iuuencae, sic uituli pueris respondent.

9. *praegestientis:* ita gestientis ut alia omnia obliuiscatur.

9—10. *tolle — uuae:* ad aliam imaginem progressus puellam inpuberem comparat uuae nunc inmiti (*ὄμφακι*), mox maturescenti (*liuidae*).

10—11. *iam tibi liuidos — racemos:* racemi sunt acini siue grana uuarum; *liuidos* dicit poeta, non nigros, ut incipientem necdum perfectam maturitatem notet: nam liuidi racemi gustari iam possunt, et hoc conuenit inpatienti amatori. *distinguet:* 'hoc est nigrore' (sic legendum pro *nigrorem*) 'maturitatis uariabit'. Porphyrion. Fortasse respexit Ouidius Metam. III 484: *ut uariis solet uua racemis ducere purpureum nondum matura colorem.* Propertius IIII 2 13: *prima mihi uariat liuentibus uua racemis.*

12. *purpureo uarius colore:* est Autumnus nondum adultus, qui purpureo colore uarius apparet in omni genere fructuum, praecipue in uuis et pomis. Epod. 2 17: *cum decorum mitibus pomis caput Autumnus agris extulit.*

13—16. Missis allegoriis rem ad-

iam te sequetur (currit enim ferox
aetas, et illi, quos tibi dempserit,
apponet annos), iam proterua
fronte petet Lalage maritum,

dilecta quantum non Pholoe fugax,
non Chloris albo sic humero nitens,
ut pura nocturno renidet
luna mari Cnidiusue Gyges:

13. curret ς. seq̄t' (*h. e.* sequetur) *A.* 14. Hetas *G.* 16. fr$\overset{o}{a}$nte (*correctum ead. m.*) *A.* petit *H.* 17. phole *A.* 18. cloris *H.* sic humero *BGHω:* sicomero *A.* 19. renidet *superscripto* t *super* d *A.* renitet nocturno *G.* 20. cnidius ue *A:* gnidius ue *Bω*, gnidiusue *g*, gnidiusque *GH.* giges *G.*

huc significatam clarius eloquitur: mox Lalage coniux te maritum petet. Verba *currit — annos* parenthetice interposita sunt et a me discreta, ut uerbum *sequetur* rite cum subiecto suo (*Lalage*) iungatur. Sequitur uxor uirum; clarius hoc in sequente membro: *iam proterua — maritum.* Quippe ut *proteruus* proprie *maritus* uocatur (Carm. III 11 11), sic etiam coniux iure et secure uirum secuta *proterua fronte* (*mit kecker Stirn*) petere maritum dici potest. Hoc tolle memor, non de amoribus nunc agi, sed de matrimonio siue coniugio ineundo.

13—14. *currit enim ferox aetas: currit* est simplex pro composito *decurrit*, pro more poetarum; *ferox aetas* est ferocis iuuentae tempus, per quod ludos sequimur, seria fugimus.

14. *quos tibi dempserit:* subiectum est non tam *ferox aetas* quam notio hoc nomine contenta (*tempus iuuenile*). Dum tua iuuentus decrescit, illius accrescit. Ipse annos 35 natus tunc erat.

17—24. Priores amores iam resignat nouo foederi totum se daturus.

17. *dilecta:* fortasse prudens uitauit uerbum *amata,* quod nunc non solum animi inclinatione sed etiam iudicio dilexit puellam, cuius matrimonium expectat; cf. II 4 18. *Dilecta* est 'a te dilecta'. Errat Porphyrion scribens: 'dilecta generaliter accipe a quocumque qui eam uiderit'. *Pholoe fugax:* inter uina potores et amantes fugiendo uexare et irritare solita; cf. Epl. I 7 21. Falso Acron: 'nomina pro exemplo [puellarum] posuit, quae dum ante uiros uitassent, postea obscenarum uitam elegere mulierum'. Pholoes meminit poeta etiam I 33 7.

18. *non Chloris albo sic humero nitens:* sic iungenda sunt haec uerba, ut ipsa Chloris describatur, non *Chloris, albo sic humero nitens*, ut de Lalage *albo — nitens* dicta accipiantur. Alioqui Chloris ornatum amittet sibi conuenientem, Lalage honesta puella non aptum lucrabitur, tum hunc ordinem proxime superiora commendant, dico *quantum non Pholoe fugax.*

19—20. *ut pura nocturno renidet luna mari:* pura luna quae pura siue serena luce splendet. Ea in nocturno mari alba refulget (*renidet*), ut albo colore nitet humerus Chloridis. Grato animo ueteres amores renuntiat poeta mox coniugem ducturus.

20. *Cnidiusue Gyges:* 'nomen pueri pulchri de Gnido insula' (immo Cariae oppidum est in peninsula) 'Veneri dedicata'. Acron. 'de huius pueri pulchritudine etiam Ouidius locutus est' (in poemate deperdito?). Porphyrion.

quem si puellarum insereres choro,
mire sagaces falleret hospites
discrimen obscurum solutis
crinibus ambiguoque uultu.

VI.

Septimi, Gadis aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et

21. puellar̄ (= puellarum) ĩserere *A*. 22—23. sagaces — obscurum *schol. Iuuenal.* XV 137.

Ad Septimium *A*. Prosphonetice. Septimio *B*. Ad Septimium prosphonetice tetracolos *H*.
1. *Diomedes l. c.* gadis *A:* gades *BGHg*.

21. *quem si — choro:* exemplum respexit Achillis consortium cum puellis in Scyro insula ad celandum iuuenem. Statius Achill. I 336: *fallitque tuentes ambiguus tenuique latens discrimine sexus.*

22. *hospites:* 'suauiter hic hospites pro *ignotis* dicit, h. e. qui ipsum puerum non nossent'. Porphyrion. *falleret:* lateret eoque fugeret, *φεύγοι ἄν, λάθοι ἄν.* Carm. I 10 16: *Priamus diues Atridas fefellit.* Additum *mire* iunge cum uerbo *falleret,* non cum *sagaces* (*zum Verwundern*).

23—24. *discrimen — uultu:* ablatiui *solutis crinibus* et *ambiguo uultu* pendent ex uocabulo *obscurum.* Adest discrimen pueri et puellarum, sed obscurum fit tum solutis crinibus, tum *uultu* inter masculum et femineum ambiguo.

Carm. VI. Prooemium. *Mihi, Septimi, Tiburis solum communis sedes otii senilis placebit; unde si prohibeor, Tarentum petere inclinat animus, urbem situ iucundam et salubrem, uitibus oliuisque ac lana beatam. Ibi tu amico mortuo tumulum strues.* (Metrum Sapphicum).

Septimius amicus est idem quem Tiberio Neroni commendauit Flaccus Epl. I 9, idem cuius mentionem fecit Augustus in epistula ad Horatium missa, a Suetonio commemorata. Acron et Porphyrion *equitem Romanum* et *commilitonem* Horatii nominant. Carmen scriptum esse existimo eo tempore, quo amoenitatem soli Tarentini et tepidas eius regionis auras expertus et recenti memoria admiratus est, quod accidisse in Brundisino itinere (a. 717 = 37) probabili coniectura collegi. Itaque natalis annus huius odae 718 statui posse uideatur. Circa idem tempus subnatum esse carmen uicesimum octauum libri primi suo loco uidimus.

1. *Gadis aditure mecum:* obsequium extollit amici uel periculosissima loca in suam gratiam adituri, si uelit ipse. Conf. Catulli carmen 11. *Gades* nominat tamquam oppidum in ultimo Occidente situm. Dum in hoc *longinquitatem* respicit, statim in Cantabris ferocem animum incolarum, qui iuga Romanorum ferre recusant, in Syrtibus undam semper aestuantem et inmanem locorum faciem (*barbaras*) premere uoluit. Suspice in summa uarietate raram breuitatem.

2. *indoctum:* qui doceri nequiuit, qui solus libertate sua fruitur inter populos Romano imperio subiectos. 'Hanc' (gentem Cantabrorum) 'Augustus postea superauit'. Acron. 'Ap-

barbaras Syrtis, ubi Maura semper
aestuat unda,

Tibur Argeo positum colono
sit meae sedes utinam senectae,
sit modus lasso maris et uiarum
militiaeque.

unde si Parcae prohibent iniquae,
dulce pellitis ouibus Galesi

3—4. ubi — unda *Seruius ad Vergil. Aen.* V 192. 3. syrtis *A:* syrtes *BGHg.* 4. Hestuat *G*, Estuat *H.* 5. *Priscianus* II 9 48. Tybur *B.* argeo *BGHg Priscianus:* argae *A*, Argiuo *u. Blandinius.* golono *A.* 8. Miliciaeque *BGH.* 9. parce *H.* 10. galesi *ABGg:* galaesi *H.*

paret Cantabros — illo adhuc tempore indomitos fuisse'. Porphyrion. Recte! Augustus Cantabros superauit a. 729 et 730, perdomuit Agrippa a. 734—735. Conf. ad Epl. I 12 26. De Syrtibus lege I 22 5, II 20 15.

5. *Tibur — colono:* Tibur conditum ferebatur ab Argiuis, ducibus Catilo, Cora, Tiburto fratribus. Cf. ad I 18 2. *colono* nomen collectiuum pro *colonis*. 'Argeo pro Argiuo antique dicitur'. Porphyrion. Mire *Argiuo* in codice Blandinio uetustissimo: nimirum etiam optimus prauas correctiones non plane effugit.

6. *sit — senectae:* cum senex olim fuero et inpar laboribus.

7—8. *maris et uiarum militiaeque:* colligit ex uita adhuc peracta iter in Graeciam et Athenas factum, item reditum ex campis Philippensibus in Italiam (*maris*), militiam in Bruti castris toleratam (*militiaeque*), itineris Brundisini labores (*uiarum*).

7. *sit modus:* 'modum nunc pro fine dixit. Optat ergo sibi post laborem maris et uiarum atque militiae in reliqua aetate Tiburis secessum'. Porphyrion.

9. *unde — iniquae:* Parcae sunt *Μοῖραι*, sortis humanae rectrices.

10—12. *dulce — Phalantho:* agrum Tarentinum significauit tum a fluuiolo Galeso non longe a Tarento in mare influente (*mare piccolo* nunc appellant partem aequoris in terram late recedentem), tum a Phalantho Lacone conditore eius urbis. De Galeso Vergilius Georg. IIII 126: *qua niger* (a pinetis uicinis) *humectat flauentia culta Galesus.* Statius Silu. II 2 111: *nec saepius istis blanda Therapnaei placeant uineta Galesi.* Martialis II 43 3: *te Lacedaemonio uelat toga tota Galeso;* VIII 28 3: *Apula Ledaei tibi floruit herba Phalanthi, qua saturat Calabris culta Galesus aquis?* Titurius laudatus a Porphyrione: *Tarentinorum hortorum qui geris odores.* *pellitis ouibus: pellitae* sunt tectae pellibus, ut lanae parcatur. Plinius VIII 72 (47): *ouium summa genera duo, tectum et colonicum, illud mollius; — operimenta ei ex Arabicis praecipua.* Varro de Rr. II 2 sub finem: *pleraque similiter faciendum in ouibus pellitis, quae propter lanae bonitatem, ut sunt Tarentinae et Atticae* (Apulae?), *pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus uel infici recte possit uel lauari ac parari.* Idem ibid. II 11: *et si ea* (ouis) *tecta solet esse, quam habuit pellem iniectam, eam intrinsecus eadem re perinungunt et tegunt rursus.* Adde Columellae VII 2 et 4. Lanam Tarentinam laudat Strabo VI 3 6. Nunc ouium in solo Tarentino nobilitas defecit.

flumen et regnata petam Laconi
rura Phalantho.

ille terrarum mihi praeter omnis
angulus ridet, ubi non Hymetto
mella decedunt uiridique certat
baca Venafro;

11. lacono *A.* 12. phalantho *A et Turicensis, ut est in Strabonis et Pausaniae libris:* phalanto *Gω,* palanto *BH.* 13—14. ille — ridet *Seruius ad Vergil. Ecl.* 7 55. 13. preter *GH.* omnis *ABG:* oĩs *Hg.* 14. hymtto *A,* hymeto *B,* himeto *G,* ymeto *H.* 16. baca *AHg:* bacca *BG.* uen; afro (*signum metricum est*) *A.*

11—12. *regnata — rura:* '*regnata* participium est sine uerbi substantia, ut Vergilius' (Aen. III 14, adde VI 794 *Latio regnata per arua Saturno*): '*acri quondam regnata Lycurgo*'. Acron; cf. Carm. III 29 27: *regnata Cyro Bactra.* Imitatus est Statius Theb. I 335: *Scyllaeque rura purpureo regnata seni;* Ouidius Heroid. 10 69: *tellus iusto regnata parenti.* Tacit. Germ. 25: *exceptis duntaxat iis gentibus quae regnantur;* 43: *Gothones regnantur.*

12. *Phalantho:* 'Phalanthus Lacedaemonius fuit, eiectus patria hac culpa, quod absentibus Lacedaemoniis filiae eorum ex seruis grauidatae natos ediderant, postea reuersi patres' (ex bello Messeniaco) 'tali culpa genitos expulerunt, quorum dux Phalanthus fuit, qui Tarentinam condidit ciuitatem, ut fertur, octauus ab Hercule'. Acron. Strabo VI 3 § 2. Pausanias X 10 § 3, 13 § 5. Hinc *Lacedaemonium Tarentum* est Carm. III 5 56.

13—14. *terrarum — angulus:* Strabo VI 3 § 1: *ἐκ δὲ τοῦ πρὸς τὸν μυχὸν μέρους ἰσθμὸν ποιεῖ πρὸς τὴν ἔξω θάλατταν, ὥστ' ἐπὶ χερρονήσῳ κεῖσθαι τὴν πόλιν, καὶ τὰ πλοῖα ὑπερνεωλκεῖσθαι ῥᾳδίως ἑκατέρωθεν, ταπεινοῦ ὄντος τοῦ αὐχένος.*

14. *ridet: μειδιᾷ.* Cf. Epl. I 7 44: *mihi iam non regia Roma, sed uacuum Tibur placet aut inbelle Tarentum.* Conf. Statius Silu. IIII 8 6. *ridēt* antique posuit utpote a *ridere* deriuatum uerbum, cuius extrema olim producta fuit. Cf. ad Carm. I 3 36.

14—15. *non Hymetto mella decedunt: Hymetto* breuiter dictum pro melli Hymettio, ut statim Venafro pro baca Venafrana. De melle Tarentino praestantissimo Varro apud Macrob. Saturn. II 12. Calabra mella celebrat hic noster Carm. III 16 33. Conf. dicta ad I 28 3—4. Etiam nunc mel Tarentinum uirtute eximium est, item oleum, uinum. *decedunt* est de loco uel de uia cedunt, quod cum faciant inferiores superioribus, decedere est etiam *inferior esse.* '*decedunt* ergo ex contrario cedunt, compositum pro simplici, id est cedunt'. Porphyrion.

15—16. *uiridique certat baca Venafro:* 'Graeca figura dictum est *illi certat*' (*διαγωνίζεσθαί τινι*); 'baca autem pro oliua dixit'. Porphyrion. Vt baca intellegeretur oliua, addita uoce *uiridi* sapienter prospectum est; *uiride* Venafrum, quod oliuetis consitum est.

16. *Venafro:* ad Volturnum sita ciuitas in Campania, finitima Latio. Strabo V 3 § 10 p. 238. Varro RR. I 2: *quod uinum Falerno* (conferam), *quod oleum Venafro* (Venafrano)? Plinius III 9; idem XV 3 (2): *principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Venafrano eiusque parte quae Licinianum fundit oleum.* Columella V

uer ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas, et amicus Aulon
fertili Baccho minimum Falernis
inuidet uuis.

ille te mecum locus et beatae
postulant arces, ibi tu calentem
debita sparges lacrima fauillam
uatis amici.

17—18. uer — brumas *Seruius ad Verg. Georg.* II 149. 17. prebet *H.* 18—19. et amicus — Baccho *Seruius ad Aen.* III 553. 19. Fertili *AHgω:* Fertilis *BGς Seruius.* baccho *A:* bacho *BGHg.* mīmū (= minimum) *superscripto* ł nimium *A.*

8. Martialis XIII 101. Horatius Serm. II 4 69.

17—18. *uer — brumas:* gratissimum anni tempus longum est in agro Tarentino, molestum alibi frigoribus ibi non graue, sed molle tepidis auris. Tepidae aurae Ioui tribuuntur aeris caelique moderatori.

18—20. *et amicus — uuis:* cohaerent haec quodammodo cum proxime superioribus: nam uinum miti temperie praecipue gaudet; abundat igitur ubi uer longum est et tepidae hiemes. *Aulon:* 'hic Aulon mons est Calabriae'. Acron. 'Aulon locus est contra Tarentinam regionem, ferax boni uini'. Porphyrion. Seruius ad Vergil. Aen. III 553: *Aulon mons est Calabriae, ut Horatius II Carm. 'et amicus Aulon fertilis Baccho'.* Martial. XIII 125: *nobilis et lana et felix uitibus Aulon det pretiosa tibi uellera, uina mihi.* Verba *amicus fertili Baccho* causam explicant, cur ibi generosa uina proueniant. Bentleius *apricus Aulon fertilis Baccho* coniecit.

19—20. *minimum Falernis inuidet uuis:* 'hoc est, non est inpar uuis Falernis: inuidere enim sibimet solent inpares uirtute'. Acron. 'inuidet tantum qui inferior est'. Porphyrion. Vuis Falernis generosissimis pares sunt Tarentinae circa Aulonem.

21. *ille te mecum:* 'eleganter se cum Septimio in laudatis locis optat uiuere et eum habere superstitem defunctoque sibi iusta persoluere'. Acron. Septimius aetate minor uidetur fuisse quam Horatius, qui me interprete tunc annos 29 natus erat.

21—22. *beatae — arces:* arces, h. e. uillae in edito loco sitae, Tarenti in solo felice positae. Vergilius Aen. III 553: *attollit se diua Lacinia contra* (Tarentum) *Aulonisque arces.*

22—23. *calentem — fauillam:* simulatque corpus rogo consumptum est et fauilla etiamtum calet. Hoc excludit fracti animi querellas et lamentationes. Acronis commentario ab interpolatore, puto, ascripta sunt haec ad uerba *ibi tu calentem:* 'antiquorum enim mos erat mortuorum cadauera concremare; ideo defuncti fauillam dixit, ut est *bibulam lauere fauillam*' (Vergil. Aen. VI 227). *debita — lacrima:* amico debita a superstite amico.

VII.

O saepe mecum tempus in ultimum
deducte Bruto militiae duce,
quis te redonauit Quiritem
dis patriis Italoque caelo,

Ad Pompeium Varum. Metr. *eet. A.* Pragmatice ad oratium Ponpilium conmilitonem Brutianum quem receptum in patria inuitat *B.* Prosphonetice uel pragmatice tetracolos ad Pompum Varum *H.*
1. *Diomedes l. c.* sepe *BH.* 2. miliciae *BH.* 4. Diis *ABGHg.* celo *B.*

Carm. VII. Prooemium. *Quae te fortuna, Pompei, restituit patriae, quocum moram expeditionis et cladem Philippensem perpessus sum? Inde me pauentem Mercurius sustulit, te nouus aestus in bellum abripuit. Oblata dape Ioui grates persolue, fessumque militia latus sub lauru mea depone, nec parce uino tibi destinato. Amico recepto sine modo laetari dulce mihi est.* (Metrum Alcaicum)

Occasionem scribendi carminis reditus amici ueteris praeter spem salui praebuit. Quando ille rediit? Anno 715, respondet Massonus quique hunc secuti sunt, quo triumuiri pace cum Sexto Pompeio pacta exulibus redeundi potestatem fecerunt (Dio XLVIII 36—38. Velleius II 77). Verum Pompeius post pugnam Philippensem iterum in bellum secessit (u. 15—16), atqui hoc bellum nisi Siculum a Sexto Pompeio a. 717—718 gestum iuste cogitari non potest. Sed ne anno quidem 718 Pompeius in urbem reuersus est, quod Horatius ante annum 724 non scripsit carmina ad morem Alcaei composita (cf. ad I 26). Itaque Sexto Pompeio deuicto ad partes Antonii uidetur transisse, atque inde uenia impetrata aut anno 724 aut 725 (29 a. Chr.) cum exercitu Caesaris Romam redisse. Hinc patet cur poeta salutem amici singulari potius fortunae et gratiae ascribat quam ullas pacis conditiones significauerit. Cui sententiae fauet quoque haec Acronis annotatio: 'ad Pompeium Varum scribit, gaudens ob eius in patriam reditum, quem commilitonem sibi in castris Bruti et Cassii fuisse commemorat et belli ciuilis euasisse pericula Augusto uictore'. Cognomentum *Vari* commentator, credo, accepit ab iis qui de personis Horatianis scripserunt.

1—2. *tempus in ultimum deducte:* quod secum in extremum uitae periculum dicit deductum Pompeium, hoc praecipue de duobus proeliis in campis Philippensibus accipiendum est.

2. *Bruto militiae duce: militiae* noue pro *militum*, quae significatio apud Liuium, saepius apud Tacitum reperitur accepta a poetis. Eleganter *deducte* in principio uersus, *duce* in fine positum est.

3. *quis — Quiritem: Quiritem* ualet *ciuem Romanum.* Quippe honorifice nec capite deminuto amicum reuersum esse significat. Hoc ut breuiter posset, ausus est singularem numerum nominis alias pluraliter dici soliti, certe in sermone pedestri, excepta formula *ollus Quiris leto datus est.* Acron: 'notandum tamen quod singularem numerum posuit, cum plurali numero dicatur'. Cledonius p. 1898: *semper pluralia ut manes, Quirites, licet Horatius singulari numero Quiritem dixerit, quamuis Iuuenalis* [*donauit*] *Quiritem.* Grammaticus ed. ab Hauptio p. 96: '*Quirites* singularem numerum non habet: nam Maecenas dixit *Quiritem*, sed non recipitur'. Verum hoc est de pe-

Pompei, meorum prime sodalium?
cum quo morantem saepe diem mero
fregi coronatus nitentes
malobathro Syrio capillos.

tecum Philippos et celerem fugam
sensi, relicta non bene parmula,

5. pompi *AH,* Pompili *BGg.* 6. sepe *BGH.* 7. nitentis *Hg.* 8. Malobathro *G,* malo bathro *A:* Malobatro *BH,* Malo batro *g.*

destris sermonis scriptoribus, non de poetis. Cf. Forcellinii Lexicon s. u.

5. *Pompei, meorum prime sodalium:* ab hoc Pompeio Varo distingue Pompeium Grosphum, quem II 16 allocutus est, Epl. I 12 laudauit; *prime,* h. e. quo primo usus sum sodali. Acron interpretatur 'praecipue, cuius amor ante omnes sit'. Verum amicis Vario et Vergilio, Maecenati Septimioque hunc Pompeium, cuius uno carmine mentionem fecit, praeferri Horatius minime uoluit, sed in prima iuuentute consuetudine illius se usum esse professus est.

6—7. *cum quo — fregi: cum quo* scribit, non *quocum*, ne ictus ingrate caderet, utque solitum uitaret.

6. *morantem saepe diem:* cogita diem quo munia nulla obeunda essent, uel qualem ipse descripsit in epodo 13. Varum tribunum militum fuisse in eadem cum Horatio legione coniecerim. *mero fregi:* Porphyrion: '*fregi* autem *diem* uidetur pro eo quod est *diuisi* dixisse, ut a sexta hora significet se saepe epulatos'. Immo cum dies tardius ire uideretur et longus esse, potando moram eius fregerunt amici, h. e. hilari conuentu fecerunt, ut celeriter iret, ut morari desineret.

7—8. *coronatus — capillos:* breuiter dixit pro 'corona florum ornatus et perfusus malobathro Syrio, quo niterent capilli'; *malobathro Syrio* pendet a *nitentes*, hoc a *coronatus.* De malobathro ungueuto Plinius XII 59 (26): *dat et malobathron Syria, arborem folio conuoluto, arido colore, ex quo exprimitur oleum ad unguenta, fertiliore eiusdem Aegypto; laudatius tamen ex India uenit.* Hinc disce proprie dictum esse *Syrium* malobathrum (conf. II 11 16), atque errare interpretes qui malobathrum Indicum de Syria aduectum accipiant. Scilicet Indi sub principatu Caesaris Augusti diu auditu tantum cogniti erant (Sueton. Aug. 21).

9—12. Ex militiae laboribus communiter toleratis cladem Philippensem commemorat in eaque ut in re graui aliquantum immoratur.

9. *Philippos et celerem fugam:* non est ἓν διὰ δυοῖν pro 'celerem fugam in proelio Philippensi', sed prius uocabulum ipsam pugnam Philippensem, alterum euentum et finem eius notat.

10. *relicta non bene parmula: non bene* (οὐκ ἀγαθῶς) est *non fortiter,* ut *bonus* dux dicitur pro *forti.* Flaccus, *inbellis ac firmus parum* (Epod. 1 16), fugiens ex acie *parmulam*, i. e. clipeum paruulum et rotundum, fortasse proprium tribuni militaris gestamen, reliquit, h. e. sciens parmulam abiecit, idque, opinor, fecit ne agnosceretur tribunus militum. Nam triumuiri duces et magistratus interfici iusserunt (Dio XLVII 49). Quod Flaccus nunc confessus est, id haud dubie uere sic accidit neque crimini ipsi uertendum est. Etenim non sua sponte in bellum profectus erat, sed coactus a Bruto gratum locum omiserat (Epl. II 2 46), atque commoda optimatium, pro quibus Brutus et Cassius certabant, filius patris libertini non magis curasse existimandus est quam ultionem illam

cum fracta uirtus, et minaces
turpe solum tetigere mento:

sed me per hostis Mercurius celer
denso pauentem sustulit aere,
te rursus in bellum resorbens
unda fretis tulit aestuosis.

ergo obligatam redde Ioui dapem,
longaque fessum militia latus

12. Turme *corr H.* 13. hostis *AHς:* hostes *BGg.* 16. fretis *B.* estuosis *BG.* 17. *Priscianus* VII 8 41. 18. milicia *BG.* *post* latus *A habet* rl *omittens reliqua.*

occisi Caesaris a triumuiris iactatam. Quid mirum, quod in fuga rem et periculosam sibi et odiosam exuit, ad diuersas curas reuersurus? Non apte comparant interpretes exemplum Archilochi uiri pugnacis ac fortis, qui scutum inuitus amisit, non sponte omisit (Plutarchus Lacon. instit. 33, Sextus Empir. Hypotyp. III 216, fragmenta Archilochi ed. Bergk n. 6), item Alcaei (Herodotus V 95), quem Athenienses armis spoliauerunt.

11. *cum fracta* (est) *uirtus:* haec contraria sunt prioribus. Fortissimi fugere nolebant, sed uirtus fracta est stratis qui resistere ausi sunt. Silius VI 14: *nec tamen aduersis fuerit fracta Itala uirtus.*

11—12. *et minaces — mento:* depingit habitum humi iacentium; *turpe solum* est humus sanguine infecta. Minaces fuere, quod fortiter pugnantes et inimicis animis occubuerant, ut fere fit in bellis ciuilibus. Sallustius Cat. c. 61: *Catilina uero longe a suis inter hostium cadauera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi quam habuerat uiuus, in uultu retinens.* Simul opposita praeclare se habent, hinc minaces bellatores meliore sorte digni, inde turpe solum et lectus morti parum decore stratus. Acron: '*turpe solum* aut cruentum aut quo prostrati turpiter precarentur'. Prior explicatio uera est, falsa altera: nam qui supplicatur, non mento solum attingit, sed uictoris genua uel pedes amplectitur.

13—16. Diuersa sors amicorum adhuc iunctorum. Virum Mercurialem (II 17 19) Mercurius lyrae repertor sustulit mortique subtraxit. Imaginem rei sumpsit ab Homero. Cf. Iliad. *Γ* 380, *Ε* 23 et 312—318 et 346, *Υ* 443.

denso aere est Graecum *ἠέρι πολλῇ*, denso aere inuolutum. Totum est *φαντασία* poetica pro 'in fuga seruatus sum incolumis et ab hostibus non confossus'. Acceptus in deditionem dimissus est. Epl. II 2 49.

15—16. *te — aestuosis:* dum alter amicus belli aestum effugit, alter a resorbente unda corripitur et fretis aestuosis iterum aufertur in bellum. Indicat partes Sexti Pompei qui bellum aduersus triumuiros continuare decreuerat. Dio l. c.: *οἱ δὲ λοιποὶ* (qui deditionem non accepere) *τότε ἐπὶ τὴν θάλασσαν διέφυγον καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Σέξτῳ προσέθεντο.* Ad Pompeium gentilem suum confugit Pompeius Varus.

17—20. *obligatam—dapem:* obligatam ob salutem ope Iouis *σωτῆρος* impetratam. Hanc dapem in Vari domo ab ipso decebat offerri. Quae sequuntur *longaque — destinatis*

depone sub lauru mea nec
parce cadis tibi destinatis.

obliuioso leuia Massico
ciboria exple, funde capacibus
unguenta de conchis. quis udo
deproperare apio coronas

curatue myrto? quem Venus arbitrum
dicet bibendi? non ego sanius
bacchabor Edonis: recepto
dulce mihi furere est amico.

19. depone — mea *Seruius ad Verg. Ecl.* 2 54. 22. Cibaria *H.* 25—26. quem — bibendi *Seruius ad Vergil. Georg.* III 125. 26. dicit *Seruius.* 27. Bachabor *BGg, non H.* edoniis *BGg*, ethoniis *H.* 28. est furere amico *B.*

non ad unum aliquod conuiuium a poeta in gratiam amici parandum pertinent, sed rogatur amicus ut saepe ad poetam uenire ibique uina largius haurire uelit.

19. *sub lauru mea:* laurus in urbana Horatii domo uidetur dici: abest certe uillae Sabinae significatio; cf. Epl. I 10 22.

21—22. Redit ad illud quod modo paucis uerbis significarat, *obligatam Ioui redde dapem,* idque amplius persequitur. Haec non spectant conuiuium quod Horatius paraturus esset, sed dapem a Varo dandam. Nam quaecumque sequuntur, conuiuatoris sunt, non hospitis.

21. *obliuioso — Massico:* de Massico dictum ad I 1 19; *obliuiosum* noue uocatur, quod curarum affert obliuionem.

21—22. *leuia — ciboria:* 'ciboria proprie sunt folia colocasiorum' (u. Plinii XXI 51 (15)), 'in quorum similitudinem pocula facta eodem nomine appellantur'. Porphyrion. Athenaeus XI c. 54 p. 477 *E*: *Δίδυμος δέ φησι ποτηρίου εἶδος εἶναι, καὶ τάχ' ἂν εἴη τὰ λεγόμενα σκυφία, διὰ τὸ κάτωθεν εἰς στενὸν συνῆχθαι, ὡς τὰ Αἰγύπτια κιβώρια.* Adde eiusdem III c. 1 p. 72 B. *leuia* sunt ut in festum usum detersa et leuigata.

23—24. *udo — apio: udum* (*ὑγρόν*) apium uocatur, quod folia recentis apii quasi madere uidentur. Apium Germanis est *Petersilie*, eius nomen poeticum *Eppich.*

24. *deproperare:* noue pro celeriter properare, festinanter parare. Etiam simplice uerbo ut transitiuo usus est Horatius, uelut III 24 62, Epod. 12 22, Epl. I 3 28.

25. *Venus:* iactu suo, in quo omnes tali uarios numeros ostendunt, Venus bibendi arbitrum facit. Mart. XIIII 14: *cum steterit nullus uultu tibi talus eodem, munera me dices magna dedisse tibi.*

25—26. *arbitrum bibendi:* '*ἀρχιποσίαν* significat et tesserarum iactu datum in bibendo primatum'. Acron.

27. *Edonis:* Edoni Thraciae incolae ut ceteri Thraces in uino inmoderati (I 27 2). Iidem effusis sacris Bacchicis indulgebant, quae Lycurgus rex frustra cohibere conatus est (Soph. Antig. 945 ed. Herm.). Hinc *bacchabor*, h. e. baccharum ritu insaniam.

27—28. *recepto — amico:* cf. IIII 2 47: *recepto Caesare felix.* Recepit quem perditum credidit.

VIII.

Vlla si iuris tibi peierati
poena, Barine, nocuisset umquam,
dente si nigro fieres uel uno
turpior ungui,

crederem: sed tu simul obligasti
perfidum uotis caput, enitescis
pulchrior multo iuuenumque prodis
publica cura.

Ad Barinen. Metr̄ saphicum *A.* Prosagoreutice Iuliae Barine. In meretricem rapacem ac periuram *B.* Prosagoreutice belare Varinae. In meretricem rapacem ac perium *H.* Ad Iuliam Barinen *Blandinii.*
1. *Diomedes l. c.* pierati *A.* 2. pęna *G.* barine *BGω*, barine *suprascr.* I u (*h. e.* uarine) *A:* uarine *Hς.* umquam *B*, unquam *g.* 4. umgui *B.* 6. nitescis *A.*

Carm. VIII. Prooemium. *Fidem, Barine, addito iureiurando obstringenti tibi crederem, si priora periuria tua uel minima poena subsecuta esset. Verum tu simulatque peierasti, pulchrior enitescis, magis expetita ab adolescentulis prodis, magis metuenda matribus, parcis senibus, puellis nuper nuptis.* (Metrum Sapphicum)

Barine aliis locis a Flacco non celebratur. Nota temporis quo hoc poema factum sit, impressa non est

1. *ulla si iuris tibi peierati: tibi* tam ad uerbum *peierati* pertinet quam ad proximum *nocuisset; iuris peierati* noue et fortiter dictum pro *periurio.* 'ut enim dicitur iuris iurati' (quis ita dixerit, non constat), 'ita posuit iuris peierati'. Acron. Idem partim uere partim falso de principio carminis: 'scenicum principium in Barinen meretricem. Intellegitur enim per hanc inuectionem aliquos praecessisse sermones' (hactenus recte), 'quibus noctem sibi eadem Barine iureiurando promiserit, dehinc postquam fefellit eum, in haec uerba uelut amantem erupisse'. *Barine:* puellae nomen dictum uidetur a *Bario* Apuliae oppido. *Iuliae* nomen, quod in aliquot codicibus additur, ex prima carminis uoce (*ulla*) obscure scripta natum puto.

1—2. *si — poena — nocuisset:* breuiter locutus est pro: 'si ulla poena secuta esset tibique nocuisset umquam'.

3—4. *dente — ungui:* sententiam modo generatim positam persequitur allatis leuis poenae exemplis. Variationem secutus est eo, quod turpitudinem dentis indicauit, in *ungui* haud nominauit. *uno* ad *unguem* pertinet, non etiam ad *dentem*, ut dicit Mitscherlichius et credit Orellius: nam dens attributum suum habet (*nigro*).

5. *crederem:* consulto post longam πρότασιν subsequi fecit breuem ἀπόδοσιν et quasi abruptam; quid ille *crederet*, poeta significauit, non elocutus est. Supplere possis 'tibi fidem obstringenti'. '*crederem:* aut tibi subaudiatur iuranti' (hoc uerum, falsum quod sequitur.) 'aut deos uindices esse periurii'. Acron. Scilicet si periurii poena subsecuta esset, Barine tantum in ueris promissis iureiurando uteretur, non in mendaciis.

expedit matris cineres opertos
fallere et toto taciturna noctis
signa cum caelo gelidaque diuos
morte carentis.

ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
simplices Nymphae, ferus et Cupido,
semper ardentis acuens sagittas
cote cruenta.

adde quod pubes tibi crescit omnis,
seruitus crescit noua, nec priores
inpiae tectum dominae relinquunt,
saepe minati.

10. tacitura *B*. 12. carentis *A*: carentes *BGHg*. 13. ipsa] inq. *B*. 14. nimphae *GH*. 15. ardentis *Agς*: ardentes *BGH*. 19. Impie *Hg*. 20. Sepe *BGH*. minanti *G*.

5—6. ***simul obligasti perfidum uotis caput:*** ut debitor aeris obligare solet rem familiarem, ita Barine fidem *uotis* obstringens caput pro pignore obtulit. Insigni breuitate, addita scilicet uoce *perfidum*, indicauit poeta *periurium* nunc admitti a Barine. *simul* pro *simul atque* poetis licet.

7—8. *iuuenumque prodis publica cura:* modo perfidum caput deuouit, et uni amatori fidem promisit: sed tantum abest ut domi se contineat, ut in publicum prodeat et amantium curas late moueat. Prodit puella formam suam ostentans et amatores sibi conciliatura. Id ipsum huic optime procedere indicant uerba *publica cura*, quibus larga amantium copia significatur. Porphyrion apte comparauit Sallustianum *publicam miserorum causam* (Catil. c. 35).

9—12. Persequitur inchoatam sententiam, dum aliquot grauiora periuria peieranti nihil nocentia, immo utilia recenset.

9—10. *expedit — fallere:* fallit mortuae matris cineres, dum non seruat fidem per hos promissam.

10—11. *toto — caelo:* cf. Epod. 15 1—4.

13—16. Causa exponitur cur periuria Barinae nihil noceant.

13. *ridet — Venus ipsa:* pro Ioue iurisiurandi custode (ὅρκιος) in rebus amatoriis Venus et comites eius agunt. Dea unde amator ultionem expectet, ipsa ridet puellae peierantis nota. Additum *inquam* commoti amatoris animum indicat.

13—14. *rident simplices Nymphae:* simplicitas animi (*Aufrichtigkeit*) Nympharum memoratur, ut mirum hoc indicetur, uel eas quae a fraude et mendacio abhorreant, tamen ridere perfidiam in amore mentientium.

14. *ferus et Cupido:* Cupido alioqui ferus et puniendi properus periuria amantium neglegit.

17—24. Quemadmodum peieranti Barinae nulla poena ab inmortalibus imponitur, sic eadem apud homines in dies potentior agit. Priore stropha exequitur poeta, quas curas ipsis amantibus iniciat Barine, altera quam metuenda sit matribus, patribus, nuptis.

17. *quod pubes tibi crescit omnis:* omnes pueri ad pubertatem progressi tua forma capiuntur, ut tibi crescere uideantur.

18. *seruitus crescit noua:* ubi puberes facti sunt, noua seruitus tibi parata est. Apte per haec transitus ad proxima munitur.

18—20. *nec priores — minati:*

te suis matres metuunt iuuencis,
te senes parci, miseraeque nuper
uirgines nuptae, tua ne retardet
aura maritos.

l cesiis
21. tesuis *A*. 22. misereque *G*. 23—24. tua — maritos *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 204.

dum noua seruitus admittitur, priores amatores offensi minantur se relicturos esse domum Barines, sed ui amoris subacti tectum dominae peierantis non relinquunt. Vox *inpiae* ad periuria pertinet, quibus Barine fidem suam ueteribus amatoribus obtestata est; neque tam breuiter neque tam bene Tibullus II 6 13: *iuraui quotiens rediturum ad limina numquam! cum bene iuraui, pes tamen ipse redit.*

21—24. Pergit describere potentiam Barines enumerando illos qui hanc metuunt ob alios qui ab illa in amoris laqueos inducentur.

21. *iuuencis:* adolescentulis qui nuper puberes facti sunt; cf. ad II 5 6.

22. *senes parci:* hi metuunt, ne filii donando rem patriam profundant.

22—23. *miserae — uirgines:* miserae sunt, quod mariti ad aliam declinant, se neglegunt; 'maior in recenti caritate dolor est sollicitati coniugis, maior uis meretricis animum affectione occupatum uicisse'. Acron.

23—24. *tua ne retardet aura maritos:* antique et paulo liberius dictum: aura (*Witterung*) est odor τῆς ἀφροδισιαζούσης, quo libido accedentium mouetur. Vergilius Georg. III 250: *nonne uides, ut tota tremor pertemptet equorum corpora, si tantum notas odor attigit auras?* Ad metaphoram conuenit uerbum *retardet:* mariti meretricis aura seducti tardi erunt coram uxoribus suis.

VIIII.

Non semper imbres nubibus hispidos
manant in agros aut mare Caspium
uexant inaequales procellae
usque, nec Armeniis in oris,

Consolatur Valgium consularem amicum suum. Metr. *cet. A.* Paranetice consolatio ad Valgium Rufum ne diu doleat *B.* Valgium consularem suum amicum consolatur. Paranetice tetracolos *H.*

1. *Diomedes l. c.* 2. caspū *G.* 4. armoeniis *B.* horis *H pr G.*

Carm. VIIII. Prooemium. *Noli semper prosequi flebilibus modis Mysten morte abreptum, amice Valgi: aliud laeta tempora suadent. Cantemus noua Caesaris Augusti tropaea de Armenia, Parthis, Scytharum populo parta.* (Metrum Alcaicum)

Scripti poematis tempus indicant uerba (u. 18—20): *noua cantemus Augusti tropaea Caesaris et rigidum Niphaten,* in quibus Niphatis Armeniae montis commemoratio ostendit respici expeditionem a Tiberio Nerone medio anno 734 in Armeniam susceptam iussu Augusti res Asiae Syriaeque tunc ordinantis (Dio LIIII 7 et 9), finitam anno 735, quo Tiberius et Augustus in urbem reuersi sunt. Conf. Prooemium ad Epl. I 3, etiam quae dicta sunt ad Epl. I 1. Itaque hoc carmen anno 735 (19 a. Chr.) assignabimus. De C. Valgio Rufo, elegiarum scriptore non ignobili, docte et laboriose expositum est a Rob. Vngero in libro cui indicem fecit *De C. Valgii Rufi poematis commentatio.* Halis 1848. 8. Valgius consul suffectus fuit anno 742.

1—8. Rerum naturam, in qua non semper dominatur tempestas et turba, homini exemplum praebere recte uiuendi poeta reticuit, sed illatis contrariis (9—12) significauit. 'Latet sensus in hac elocutione: intellegi enim uult nec semper pluere nec semper agros hispidos esse, i. e. horridos, per quod intellegendum aduersa hominibus non posse esse continua'. Porphyrion.

1—2. *non semper — agros: nubibus* est pro 'ex nubibus'; *hispidos* dictum est usu proleptico: agri enim continuis imbribus irrigui inaequalem et asperam siue horridam faciem ostendunt.

2—4. *aut mare Caspium uexant inaequales procellae usque;* inaequales procellae (*Orkane*) potissimum timentur a nautis: nam dum intermittunt, quasi uires colligere uidentur, ut nouo impetu proruant. Mare Caspium siue Scythicum nominauit, quia tempestatibus admodum est obnoxium ob propinquitatem Caucasi montis. Mare per se tardum et ad tranquillitatem procliue uexatur procellis, h. e. huc illuc raptatur; *usque* est 'sine intermissu', uox Horatio familiaris.

4—5: *nec Armeniis — per omnis:* Armenia niuibus infestata praecipue in iugis Tauri montis, tamen per menses aestiuos illis uacat. Cf. Tacit. Ann. XII 12: (Meherdates) *Armeniam petiuit, id temporis inportunam, quia hiems occipiebat. Exin niuibus et montibus fessi* cet. Cur prae ceteris Armenia memoretur, patet ex rebus tunc gestis, de quibus dictum est in Prooemio.

amice Valgi, stat glacies iners
menses per omnis aut aquilonibus
querqueta Gargani laborant
et foliis uiduantur orni.

tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi uespero
surgente decedunt amores
nec rapidum fugiente solem.

6. om̄is *H pr B:* omnes *AGg.* 7. querqueta *A et Blandinii:* querceta *BGHg.* gargani *superscripto alia m.* ł ri *A.* 9. urgues *Blandinii, non ABGHg.* 10. Mysten *H:* mysten *A,* Misten *Bg,* Pysthen *G.* 10—12. nec tibi — solem *scholiasta Statii Theb.* VI 239. 11. discedunt *G.* 12. rapido fugiente sole *A.*

5. *amice Valgi:* perscite hoc interpositum est: nimirum continet lenem admonitionem, naturam imitandam esse Valgio, id quod adhuc neglexerit.

6—7. *aquilonibus — laborant:* cogita aquilones per hiemem flantes, quod ex proximis *et foliis — orni* intellegitur. Apte igitur hoc membrum succedit priori de hiberna glacie Armeniae, et differt a procellis inaequalibus in mari Caspio saeuientibus. Querqueta Gargāni sunt siluae in Apulia septentrionali. Eiusdem *orni* (*Bergäschen*) sunt. Cf. I 28 26: *Venusinae plectantur siluae.* Epl. II 1 202: *Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum.* 'Querceta autem dicuntur, ut pineta et uineta, a querceis scilicet arboribus'. Acron.
Laborare de quouis grauiore discrimine dicitur, praecipue de parturientium dolore. Ad arbores translatum est etiam Carm. I 9 3. *uiduantur* uerbum est elegans, ut *orbantur*, et poetis proprium.

9—12. Leniter continuas amici querellas improbat, quippe qui naturam ducem non sequatur.

9—10. *semper urges — Mysten ademptum:* urgere est persequi atque ita sequi ut uestigiis concedentis uel obstantis instes, quod ad luctum continuum nunc translatum est; *modi flebiles* proprii elegorum, quos scripsit Valgius.

10. *Mysten ademptum:* poetica iunctura pro *Mystae mortem*, in scriptoribus qui pedestri sermone usi sunt Tacito praecipue adamata. Cf. II 4 10: *ademptus Hector.* Mysten Acron et Porphyrion *delicatum puerum* Valgii dicunt fuisse, cui interpretationi et uocabulum *amores* (= puer amatus) conuenit et elegi ea de re a Valgio compositi, et nomen Graecum puero inditum. Qui de filio cogitant siue uero siue adoptiuo, aliquod firmamentum opinionis inde petere possunt, quod paulo post Nestor adempti Antilochi pater et parentes caesi Troili comparantur. Sed in ea comparatione nihil nisi caritas respicitur, neque in illa puerili consuetudine amplius morari uoluisse et prudens uerba inde deflexisse Horatius uidetur.

10—11. *nec tibi — decedunt amores:* tibi semper ante oculos uersatur amati pueri species; *amores* Mystes ipse est, puer dilectus; perinde *amores* sunt Epod. 15 23. Significatio nominis a Catullo praemonstrata est; cf. 6 16, 10 1, 15 1, 21 1, 40 7, 45 1, 64 27. Statius Silu. II 6 27: *nec Paris Oebalios talis uisurus amores* (Helenam) — *deiecit in aequora pinus.* Tacit. Ann. II 41: *breues et infaustos populi Romani amores.*

10—12. *uespero — solem:* noue

at non ter aeuo functus amabilem
plorauit omnis Antilochum senex
annos, nec inpubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores

fleuere semper. desine mollium
tandem querellarum, et potius noua
cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,

14. omnis *BHg*, omš *AG*. anthilochum *G*. 15. inpubem *BG*: imp. *AH*. 16. Troylon *GH*. phryigiae *H*, phrigiae *AG*, frigiae *B*. 17. fleresep *A*. 18. querellarum *B*: querelarum *AGHg*. pocius *H*. 19. trophea *BGHς*, *non A*. 20. Cesaris *BG*. nyphaten *BH*.

et poetice dixit quod est 'sub solis occasum et ortum'. Nam uesper in caelo surgit, cum sol occidit. Idem mane fugit rapidos solis radios, ubi graphice *rapidum* scripsit: nam rapidus qui rapit cetera; hoc ne eueniat uespero, non expectat rapidum solem, sed fugit et uitat.

13—17. *at non — fleuere semper:* exempla hominum antiquorum, qui filios admodum dilectos amiserant nec tamen semper plorauerant.

13—14. *ter aeuo functus — Antilochum:* Antilochus Nestoris filius a Memnone caesus; Hom. Od. γ 111, δ 186. Pindar. Pyth. IIII 28. Proculus in Epitoma Aethiopidos Arctini: *Ἀντίλοχος ὑπὸ Μέμνονος ἀναιρεῖται. ἔπειτα Ἀχιλλεὺς Μέμνονα κτείνει.* Quantum occiso Antilocho dolorem senserit Nestor, uerba *ter aeuo functus* (talis enim filio adiutore prae ceteris eget) et epitheton *amabilem* ostendunt: Antilochus enim patrem dum periculo liberat, ipse occisus est. Aristoteles in Peplo 15 (11 Bergk): *ὃς θάνεν ἐν Τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα.* Xenoph. Cyneg. c. 1 § 14.

15—16. *inpubem — Troilon:* Homerus obiter memorat Il. *Ω* 257, ubi Scholiasta: *Σοφοκλῆς ἐν Τρωΐλῳ φησὶν λοχευθῆναι ὑπὸ Ἀχιλλέως ἵππους γυμνάζοντα παρὰ τὸ Θυμβραῖον καὶ ἀποθανεῖν.* Vergil. Aen. I 475: *infelix puer atque inpar congressus Achilli.* Mythogr. Vatican. I 210: *Troilo dictum erat quod, si ad annos XX peruenisset, Troia euerti non potuisset.* Proculus in epitoma Cypriorum: *καὶ Τρωΐλον φονεύει* (*Ἀχιλλεύς*).

16. *aut Phrygiae sorores:* has poeta uidetur addidisse, ut grauissimam sententiam *fleuere semper* subsequenti strophae reseruare et haec uerba proxime adnectere posset suae admonitioni *desine mollium querellarum.* Ceterum sororum commemoratio non inanis est: nam hae magis quam fratres ad flendum inclinant.

17—18. *desine — querellarum:* molles querellas dicit elegos de Myste compositos, non questus in consuetudine cum amicis editos. Docent hoc quae sequuntur contraria: *potius noua cantemus Augusti tropaea.* Structura ad normam Graecorum est: nam hi *παύεσθαι* et *λήγειν* genetiuo iungunt. In frustulis Antiopae Euripideae Valckenarius (c. 8 sub finem) dedit *παῦσαι δ' ἀοιδῶν.* Perinde III 27 69: *abstineto irarum calidaeque rixae.* Vergilius Aen. X 441: *tempus desistere pugnae.*

18—20. *potius noua cantemus Augusti tropaea Caesaris:* Horatius non de epopoeiis cogitat, a quibus abhorrebat (Serm. II 1 12 sqq., Epl. II 1 250 sqq.), sed dicit carmina lyrica a se de nouis uictoriis Augusti

Medumque flumen gentibus additum
uictis minores uoluere uertices,
intraque praescriptum Gelonos
exiguis equitare campis.

21—22. *scholiasta Statii Theb.* XI 508. 21. Medinmque *H schol. Stat.* 22. minores u. uertices *Seruius ad Verg. Aen.* VIII 726. 23. prescriptum *G.*

scribenda, tum elegias a Valgio de eadem re pangendas. Ipse suas partes continuo executus est. Quae dicantur uictoriae ex proximis intellegitur, nominatim ex uerbis *et rigidum Niphaten.* Conf. Prooemium. De Niphate monte Strabo XI 14 § 2: *τοῦ δὲ Μασίου ὑπέρκειται πρὸς ἕω πολὺ κατὰ τὴν Γορδυηνὴν ὁ Νιφάτης, εἶθ' ὁ Ἄβος, ἀφ' ου καὶ ὁ Εὐφράτης ῥεῖ καὶ ὁ Ἀράξης, ὁ μὲν πρὸς δύσιν, ὁ δὲ πρὸς ἀνατολάς·* Quod res a Tiberio Nerone in Armenia prospere gestas Augusti tropaea uocat, hoc eodem more factum est, de quo dicemus ad Carminum IIII 4 et 14.

21—22. *Medumque — uertices:* a *cantemus* porro pendent duo enuntiata, in quibus accusatiuus infinitiuo sociatus est, adiuncta per particulam *que.* Medum flumen est Euphrates, ueteris Medorum regni flumen, qui uictis gentibus additus dicitur, propterea quod Prahates signa Crassi Augusto reddiderat anno 734 = 20. Dio LIIII 7—8. Velleius II 91. Liuius Epit. 139. Florus IIII 12 63. Suetonius Aug. 21, Tiber. 9. Hinc ipse Parthorum rex tamquam minor et quasi subditus Augusto ab Horatio cogitatur. Quod fluuius uictus moderate et minus superbe fluit (minores uertices uel turbines habet), in eo hominum uel populi mores ad fluuium translati sunt. Vergilius Aen. VIII 726: *Euphrates ibat iam mollior undis.*

23—24. *intraque — campis:* respicit legationem Scytharum missam a. 734 in Syriam ad Augustum ibi uenerandum. Suetonius Augusto c. 21: *uirtutis moderationisque fama Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam.*

24. *exiguis equitare campis:* campis a Caesare Augusto artius definitis.

X.

Rectius uiues, Licini, neque altum
semper urgendo neque, dum procellas
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.

Licinium alloquitur ne semper magna temptet *A*. Ad Licinium Murenam optimum esse medium statum *B*, *item H nisi quod habet* uitae statum.
1. *Diomedes l. c.* lycini *H*. 2. urguendo *Blandinii, non ABGHg*.

Carm. X. Prooemium. *Auream, Licini, sequere mediocritatem. Non, si male nunc, et olim sic erit. Dubiis in rebus animo opus est: secundis modum adhibebis.* (Metrum Sapphicum)

Paulo ante annum urbis 731 (a. Chr. 23), quo Licinius consul accusatus et interfectus est, cum iam iniqui rumores de nimia libertate hominis circumferrentur, hoc poema factum est. Nam attemptati status certum indicium uerba continent (u. 17): *non, si male nunc, et olim sic erit.* Ipse Licinius Murena filius fuit eius Murenae quem Cicero defendit, adoptatus a Terentio Varrone ideoque in fastis Capitolinis hoc nomine (Terentius Varro) dictus, frater Gai Proculei, item Terentiae Maecenati matrimonio iunctae. Consulatu dum fungitur, coniurationis cum Fannio Caepione aduersus Augustum initae accusatur a Tiberio Nerone tunc quaestore. Absens damnatus, dein occisus est. Hinc in fastis legitur: IN MAG. MORT. Lege Vellei II 91: *Lucius Murena et Fannius Caepio, diuersis moribus (nam Murena sine hoc facinore potuit uideri bonus, Caepio et ante hoc erat pessimus), cum inissent occidendi Caesaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod ui facere uoluerant, iure passi sunt.* Idem II 93: *circa Murenae Caepionisque coniurationis tempus — Marcus Marcellus, sororis Augusti Octauiae filius — decessit admodum iuuenis* (a. 731). Suetonius Tiberio c. 8: *ciuilium officiorum rudimentis* (in quaestura) — *Fannium Caepionem, qui cum Varrone Murena in Augustum conspirauerat, reum maiestatis apud iudices fecit et condemnauit.* Quaesturam Tiberius gessit a. 731 (Dio LIII 28. Velleius II 94). Dio Cassius (LIIII 3) mortem Murenae in actis anni 732 narrauit: scilicet obiter rem memorauit ideoque non suo sub anno collocauit.

Eundem Murenam Horatius celebrauit III 19 11. Ad eius amicitiam cum Murena exercitam recte existimandam multum ualent uerba Vellei: *nam Murena sine hoc facinore potuit uideri bonus*, quod ipsius Tiberii de inimico iudicium uidetur esse, tum haec Dionis (LIIII 3): *καί σφισι* (qui in Augustum conspirauerant) *καὶ ὁ Μουρήνας συνομωμοκέναι, εἴθ' οὖν ἀληθῶς, εἴθε καὶ ἐκ διαβολῆς, ἐλέχθη.* Hinc suspitio oritur Murenam Tiberii criminibus labefactum esse. Ceterum Horatii admonitio tam sapienter temperata est, tam humane uiro parum cauto impertita, ut haec sua praecepta etiam caeso Murena sine offensione euulgare posset ac recipere in tres Carminum libros sub finem anni 735 editos.

1. *rectius uiues:* hoc breuius dictum et antiqua simplicitate, ut omnis ornatus allegoriae proximae reseruetur, quae uirum media sectantem tamquam prudentem nautam ostendit.

2—3. *dum procellas cautus horrescis:* procellas in alto mari periculosas qui horrescit, cautus est: sed

aeream quisquis mediocritatem
diligit, tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret inuidenda
sobrius aula.

saepius uentis agitatur ingens
pinus, et celsae grauiore casu
decidunt turres, feriuntque summos
fulgura montis.

sperat infestis, metuit secundis
alteram sortem bene praeparatum

6. obpsoleti *A*. 9. Sepius *BH*. uentos *A*. agitat' (*h. e.* agitatur) *A*. 11. Cecidunt *G*. 12. fulgura *BGHgωΣ Blandinii*, *Hieronymus in Epitaphio Nepotiani*, *Paulae*, *in prooemio ad quaestiones Hebraicas:* fulmina ς. fulgora montes (i *est ab ead. m.*) *A*. montes *BGHg*. 14. preparatum *H*.

cautor qui modum excedit altumque nimis uitat, litore iniquo illidere facile potest. Egregie componuntur *urgendo altum*, h. e. nimis persequendo altum mare, qui mos erat Murenae hominis nimium liberi, *et premendo litus iniquum*, quod noue et poetice positum pro *acriter legendo:* quippe premitur litus mole nauis.

5. *aeream — mediocritatem: aeream* est 'auro dignam'; *mediocritas* h. l. pro mediocri uitae statu dicitur, in quo nimium et parum aeque abest.

6—7. *obsoleti sordibus tecti:* hoc exquisitius est quam si scripsisset *sordido obsoletoque* (uetustate corrupto) *tecto*.

7—8. *inuidenda — aula:* cf. III 1 45: *cur inuidendis postibus et nouo sublime ritu moliar atrium?* Vocabulum *aula* est pro *atrio,* splendidissima domus parte.

9—12. γνώμην propositam iam illustrat poeticis imaginibus, quibus quomodo *tutus* sit mediocritatis amator et cur *sobrius* nimia declinet, significatur. Insignis fortuna cum ingente pinu, celsis turribus, summis montibus comparatur.

11. *decidunt:* in terram cadunt.

13—15. *sperat — pectus:* pergit mediocritatis studiosum describere; pectus bene praeparatum est animus recte institutus; talis medius est inter spem et metum. Quid sit *altera* (h. e. contraria) *sors,* ex adiunctis *infestis* et *secundis* elucet. *Infestis* breuiter dictum pro ἐν τοῖς δεινοῖς, item *sesundis* (ἐν τοῖς ἀγαθοῖς).

15—16. *informis — submouet:* recte facere prudentem uirum ostenditur ex rerum natura, quam sapientissimus deus moderatur.

17—18. *non, si male nunc, et olim sic erit:* hoc quamuis uniuerse dictum, tamen ex ipsius Licinii rebus sumptum uidetur: quippe rumores aduersi effecerant, ut frigesceret Augusti gratia et fauor. '*olim* nunc futuri temporis est'. Porphyrion.

18—19. *quondam cithara tacentem suscitat musam:* tacentem musam suscitare est cantum aggredi; ipsas uoces Apollo praemeditatur cithara eaque excitat, h. e. se ipsum ad canendum incitat. Praue interpolatum est in nonnullis codicibus *citharae*.

19—20. *neque semper — Apollo:* cum arcum tendit, iratus hominibus pestem immittit, ut inducitur ab Ho-

pectus. informis hiemes reducit
Iuppiter, idem

submouet. non, si male nunc, et olim
sic erit: quondam cithara tacentem
suscitat musam neque semper arcum
tendit Apollo.

rebus angustis animosus atque
fortis appare: sapienter idem
contrahes uento nimium secundo
turgida uela.

15. informis *A:* informes *BGHg.* 16. Iupiter *BGg, non AH.* 17. submouet *A:* sūmouet *B,* summouet *GH.* n̄ simile h̄c *A.* 18. cithara *Aω*, cythara *BGHg:* citharae ς.

mero in principio Iliadis. Contrarium est Carm. saecul. 33: *condito mitis placidusque telo.*

21. *rebus angustis:* cum res apertum agendi locum subtraxerunt; *animosus atque fortis:* animosus magno animo praeditus est, fortis pro eo animo agit.

23—24. *contrahes — turgida uela:* uela nimis turgida contrahes, ne rumpantur aut nimio impetu nauem in abrupta trahant. Saluberrima haec praecepta si secutus esset Licinius, graue periculum euadere potuisset.

XI.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
diuisus obiecto, remittas
quaerere, nec trepides in usum

Ad Hirpenum monens unumquemque utilitati suae consulere *A*, *item BH, nisi quod uterque* Quintium Hirpinum, *H* admonens *exhibet pro* monens.
1. *Diomedes l. c.* scithes *AG*, cythes *adscripto* s *B*. 2. Hyrpine *BG*. qųn,te (*h. e.* quinte *cum uirgula metrica*) *A*. hadria *Aς*: adria *BGHgς*. 3. diuisus | obiecto (*uirgula est signum metricum*) *A*. 4. Querere *GH*.

Carmen XI. Prooemium. *Omissa rerum externarum cura quaestusque cogitatione praesentem uitae fructum, Quinti Hirpine, capiamus. Id optimum sollicitudinis delenimentum erit.* (Metrum Alcaicum)

Horatius ipse curas externas post captam Alexandriam (724) exuerat, non item amici omnes, in his Quintius Hirpinus, qui de Cantabris, de Scythis quaerere solebat. De Cantabris Dio LI 20, ubi de principio anni 725 refert, haec tradidit: *ἦσαν μὲν γὰρ ἐν ὅπλοις ἔτι καὶ Τριούηροι Κελτοὺς ἐπαγόμενοι, καὶ Κάνταβροι καὶ Οὐακκαῖοι καὶ Ἄστυρες· καὶ οὗτοι μὲν ὑπὸ τοῦ Ταύρου τοῦ Στατιλίου, ἐκεῖνοι δὲ ὑπὸ Νωνίου Γάλλου κατεστράφησαν.* Porro *Scythes* primo uersu memoratus ab Horatio pertinet ad Bastarnas a. 724 et 725 a Marco Crasso debellatos; cf. Dio LI 23—26. Quibus indiciis hanc oden uerno tempore anni 725 (29 a. Chr.) factam esse dicemus.

In epistulis libri primi quae sextum decimum locum occupauit, ad Quintium scripta, haud dubie eundem amicum alloquitur. Nam illic quamquam abest uiri cognomentum, tamen praecepta ibi tradita cum huius carminis argumento ita consentiunt, ut periti eundem uirum facile agnoscant.

1—3. *quid bellicosus — diuisus:* cf. Prooemium.

1. *Scythes* Hadria diuisus: sunt Daci et Bastarnae, de quibus lege ad Carm. III 8. Verba *Hadria diuisus obiecto* causam reddunt, cur Scythes metum inicere non debeat.

3—4. *remittas quaerere:* non uulgare *omittas* scripsit ut III 29 11, aut uerbum simplex *mittas*, ut I 38 3 et Epod. 13 7, sed *remittas* dedit, ut quaestionem ab Hirpino iam saepius motam compesceret.

4—5. *nec trepides — aeui pauca:* cum cura rerum externarum etiam quaestus cupidinem abicias; haec de quaestu dicta cum curis modo memoratis uidentur cohaerere; fortasse Hirpinus circumspexerat, num posset in cohortem Tauri aut Crassi recipi, num posset pars esse bellorum tunc nondum conditorum eoque lucellum sibi parare. *aeuum* est hominis aetas; haec non diu durat et pauca tantum requirit in usum suum: haec ut contingant, non opus est inmensas opes parare aut terras longe sitas petere. *In usum trepidare* noue dictum est de anxiis curis in usum directis. Meinekius comparauit Sophoclis OR. 980: *εἰς τὰ μητρὸς μὴ φοβοῦ νυμφεύματα.*

5—8. *fugit retro — somnum:* nunc non ingerit, quod alibi facere

poscentis aeui pauca. fugit retro
leuis iuuentas et decor, arida
pellente lasciuos amores
canitie facilemque somnum.

non semper idem floribus est honor
uernis, neque uno luna rubens nitet
uultu: quid aeternis minorem
consiliis animum fatigas?

cur non sub alta uel platano uel hac
pinu iacentes sic temere et rosa

8. Canicie *BGH*. sonnum *B*. 10. neque *AGgω*: nec *BHς*. Conciliis *H*.

solet, se et Hirpinum rerum fructui mox impares fore, quae causa utrumque impellat ad fruendum dum liceat, sed potius hoc monet, sollicitis curis iuuentam atteri, amores pelli, somnum auferri.

6. *leuis iuuentas: leuis* est λεία, *inberbis*. IIII 6 28: *leuis Agyieu*. Tibullus I 8 31: *carior est auro iuuenis, cui leuia fulgent ora*. Contrarium est *hispidus* Carm. IIII 10 5. Dum refugit iuuentas et decor, succedit senecta: sed pro *senecta* magis poeticum uocabulum posuit *canitiem*, haec exsanguis et sine suco *arida* est.

8. *facilemque somnum:* cf. III 21 2: *seu* (geris) *facilem, pia testa, somnum*. Facilis somnus est qui sine molestia incipit ac desinit. *leues somnos* habet II 16 15; cf. III 1 21: *somnus agrestium lenis uirorum*.

9—12. Alterum argumentum quo commendat uitam securam, petiuit ex uicissitudine rerum naturalium, unde discere debemus nos non diu duraturos esse; quod cum sit, consilia nimis longa mittamus.

10—11. *neque uno — uultu:* rubet luna, cum ipsa plena et nox serena est; eius modi tempora prae ceteris iucunda sunt, sed cito praetereunt. Comparat Meinekius fragmentum Sophoclis a Plutarcho Demetr. 45 transcriptum: ὥσπερ σελήνης ὄψις εὐφρόνας δύο στῆναι δύναιτ' ἂν οὔποτ' ἐν μορφῇ μιᾷ κτλ.

11—12. *quid — fatigas: aeterna* uocat consilia, quae longissimum tempus praecipiunt eique consulere uolunt (cf. I 11 7: *spem longam*, h. e. longi temporis spem); ea cura frustra consumitur: animus enim aeternitati prospicere nequit. Similis est structura Epistul. I 20 21: *maiores pinnas nido* (= quam nidus fuit) *extendisse loqueris*.

13—24. Succedit tertia pars carminis. Certissimum curis lenimentum parabimus, si praesentibus bonis, dum licet, fruimur. Id igitur omni opera agamus.

13—14. *sub alta uel platano uel hac pinu:* peruenuste posuit *uel hac pinu*, h. e. quae prima nobis non quaerentibus se offert, mox *sic temere* (οὕτως εἰκῇ), i. e. sine omni prouisu, quod est maxime contrarium *aeternis consiliis* modo reprehensis. Imitatus est Seneca Hippol. 395: *sic temere iactae colla perfundant comae humerosque summos*.

14—15. *rosa canos odorati capillos:* rosa redimiti canos capillos eaque odorati, h. e. eius odorem spirantes. 'Absoluta locutio *canos odorati capillos* pro habentes odoratos capillos canos'. Acron. Alterum exemplum accusatiui Graeco more positi

canos odorati capillos,
dum licet, Assyrioque nardo

potamus uncti? dissipat Euhius
curas edacis. quis puer ocius
restinguet ardentis Falerni
pocula praetereunte lympha?

quis deuium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra

16. asyrioq, *A:* assyriaque *BGωΣ*, assiriaque *Hg*. 17. cuncti *A*. euhius *HωΣ:* eychius *G*, euchius *g*, eu.hius *B:* euius *A*. 'Euius. *sic inueni in Bland. u., sed a sciolo suprapposita nota aspirationis. alii omnes habent* Euhius'. Cruquius. 18. edacis *A:* edaces *BGHg*. 19. restinget *A*. 20. preterennte *G*. limpha *H*. 22. Liden *H*.

est paulo post *comas religata*; cf. ad I 1 21.

16. *Assyrioque nardo:* 'quae nunc Syria, olim Assyria uocabatur. Notandum autem quod nardum genere feminino posuerit'. Acron. Hoc ipsum scribis librariis potius imputandum est quam Horatio, qui nardi unguentum, ut par est, neutro genere posuit Epod. 5 59, 13 9. Itaque secutus sum grauem auctorem, dico codicem Bernensem ueterem, qui etiam hoc loco neutrum suppeditat Meinekio probatum. Vulgus scribentium noto sibi Assyriae nomine deceptum uidetur. De nardo unguento Plinius XII 26 (12): *de folio nardi plura dici par est, ut principali in unguentis. Frutex est graui et crassa radice, sed breui ac nigra fragilique, quamuis pingui, situm redolente, ut cyperi; aspero sapore, folio paruo densoque. In nostro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum.* Cf. idem XIII 3 (4). Etiam nardi unguentum ut cetera Horatii diebus ex Syria, nondum ex India aduehi solitum est. Conf. ad II 7 7—8. Seneca Hippolyto 394: *odore crinis sparsus Assyrio uacet.* Hic odor Assyrius nardi est.

17—18. *dissipat Euhius curas edacis:* edaces curae animum edunt (*zehrende*); cf. I 18 4 *mordaces sollicitudines*. Hesiodus *E* 66: *γυιοβόρους μελεδῶνας*. *Euhius* Bacchus ab acclamatione *euhoe* et *euhan*. 'Euhyius Liber pater dictus eo quod, cum di bellum cum Gigantibus gererent, primus in leonem conuersus occidit Gigantem, ex quo facto eum Iuppiter ita laudauit *εὖ υἱέ*, h. e. *bene fili:* Graece enim *υἱός filius* dicitur'. Acron. Ex falsa originatione ueram disce nominis scripturam, de qua dixit Lachmannus ad Lucretium V 743 p. 309. Conf. Carm. II 19 5 et 7.

18—20. Postulat quae compotationi seruiant, prae ceteris puerum pocula ministrantem et miscentem, cui rei ne mora sit, aquam de riuo praeterfluente petere iubet; *ardens* et *restinguet* posuit, quo appareat id uinum sine delenimento uel a laetis bibi uix posse. De Falerno conf. ad I 20 12.

21—22. *quis deuium scortum eliciet domo Lyden?: deuium* artius iunge cum *eliciat domo:* nam domo (sua) dum elicitur scortum ad amicos procul a uia in nemore iacentes, ipsum *deuium* fit, h. e. de uia deuersurum. Converte: *wer wird in die Einsamkeit Lyde die Dirne aus ihrem Hause locken?* Perinde *deuius* (de uia aberrans) dicitur I 17 6, III 25 12. Vulgo aliter interpretantur auctore Porphyrione qui scribit: 'belle *deuium scortum* Lyden ait, quae corpore quidem quaestum faciat, sed non publice: deuium enim est a uia remotum. Ceterum scortum meretrix *μεταφορικῶς* dicitur a scorto, id est a solo calcia-

maturet, in comptum Lacaenae
more comas religata nodum.

XII.

Nolis longa ferae bella Numantiae
nec durum Hannibalem nec Siculum mare

23. ĩ cōptũ *A,* in comptum *ςΣ* (*u. Blandinius*)*:* incomptum *BGHgω.* lacenae *BGH.* 24. comas *pr B pr GHgς:* comam *correcti BGς:* comę *A.*

Ad Maecenatem. Metr̃ trib; ũsib; asclipiadeum, quartus glyconius *A.* Ad mecenatem. non esse res magnas leui carmine dicendas *B.* Ad Mec. Non esse leui carmine res magnas dicendas. Prosphonetice tetracolos *H.*
1. *Diomedes.* 2. durum *ABGHgω Blandinii:* dirum *perpauci.*

mentorum subiecto omnibus, etiam uulgaribus'.

23—24. *maturet — nodum:* ut possit maturare, comas tantum in nodum colligere uel religare iubetur, ne diu pectendo moram faciat. Eleganter componuntur ex una parte *eburna lyra*, h. e. lyra ornata et pretiosa, qualem melior fidicina gestet, ex altera munditiae simplices comarum: scilicet musicum studium prae corporis uoluptate celebrari uoluit. Iunctura uerborum est: *religata comas in comptum nodum* (h. e. ut fiat comptus nodus) *more Lacaenae.* Accusatiuus *comas* Graeco more; perinde IIII 11 5: *qua crines religata;* Epod. 5 15: *implicata uiperis crines et incomptum caput.* Conf. III 14 22: *dic et argutae properet Neaerae murreum nodo cohibere crinem.* Epl. I 14 25: *nec meretrix tibicina* (subest), *cuius ad strepitum salias.*

Carm. XII. Prooemium. *Bella fortiumque uirorum res gestas aptari molli citharae noli, Maecenas, sed iocos et amores. Itaque celebrabo Licymniam dominam praeter ceteras amabilem tibique carissimam.* (Metrum 18)

Licymnia per hanc oden celebrata uero nomine fuit *Terentia* uxor Maecenatis, cuius poeticum uocabulum a gente Liciniorum, cui ante adoptionem ascripta erat, repetitum ac paulum immutatum est, ut syllabarum ratio in uero nomine ac ficto consentiret. Tam hoc carmen quam epodi tertii finis spectant matrimonium Maecenatis cum Terentia recens sancitum. Quando hoc scriptum sit, colligere licet ex illis (u. 9): *tuque pedestribus dices historiis proelia Caesaris, Maecenas, melius, ductaque per uias regum colla minacium.* Nam ibi quod scriptum est *ductaque,* non *ducenda* neque aliud de futuro tempore accipiendum, arguit triumphum Octauiani Caesaris sextili mense anni 725 actum tunc habitum iam esse. Quo signo matrimonium Maecenatis sub initium anni 725 iunctum et hanc oden sub exitum anni 725 (a. Chr. 29) scriptam esse colligimus. Desponsam, sed nondum collocatam Terentiam significat clausula epodi quarti decimi.

1. *longa ferae bella Numantiae:* diu a ducibus Romanis aduersus unam ciuitatem pugnatum est, ab anno 611 usque ad 621, quo Scipio minor siue Aemilianus hanc urbem a ciuibus accensam cepit (Appianus Iber. c. 84—98. Liuius Epitom. 57 et 59. Velleius II 4. Florus II 18). *Fera* Numantia uocatur cum ob militiae labores acriter coeptos et toleratos, tum quod ante expugnationem oppidi ciues in uicem se trucidauerunt.

2. *nec durum Hannibalem:* acerrimos Romanorum hostes recensens a

Poeno purpureum sanguine mollibus
aptari citharae modis,

nec saeuos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu
telluris iuuenes, unde periculum
fulgens contremuit domus

Saturni ueteris: tuque pedestribus

4. aptare *Aς*. cytharae *BG*. 5. seuos *BGH*. laphitas *ABGH*. 6. hyleum *AG*, Hileum *H*. domitosq, *ABH*: domitos *G*. 9. tuque — 12. *Seruius ad Vergil. Georg.* II 42.

Numantinis uenit ad Hannibalem, quem *durum* nominat, quod nullo labore fatigari, nulla calamitate frangi potuit. Hoc, non *dirum*, tum in omnibus bonae notae codicibus scribitur (*dirum* Cruquius ex uno libro Martinio non bono, *dirum u. l. durum* Kirchner ex libro Leidensi attulit) et ab Acrone lectum est, ut clarum ex huius interpretatione: 'fortem, qui summa difficultate uictus est'. Hoc *durum* conuenit proximis *longa — bella Numantiae,* ac *durus* Hannibal epopoeiam requirit, si iuste cantabitur, *dirus* etiam in carmine celebrari potest. De uerbis Quintiliani VIII 2 9, quae huc non pertinent, uide ad III 6 36, IIII 4 42.

2—3. *nec Siculum — sanguine:* a secundo bello Punico ad primum ascendit, cuius pugnas nauales Carthaginiensibus perniciosas significauit, priorem commissam a Gaio Duilio anno 494, alteram a Lutatio Catulo a. 512.

3—4. *mollibus — citharae modis:* non omnem lyricam artem dici uoluit (Stesichorus enim epici carminis onus lyra sustinuit), sed Musam amatoriam siue iocosam, *mollibus modis* canentem, qualem suam esse profitetur. Conf. I 6 17 sqq.

5—9. *nec saeuos — Saturni ueteris:* a rebus gestis Romanorum recedit ad mythica tempora, unde memorat proelia Centaurorum et Lapitharum, tum Gigantomachiam.

5. *saeuos Lapithas: saeui* uocantur Lapithae, quod saeua ultione persecuti sunt insolentiam Centaurorum; cf. ad I 18 8.

5—6. *nimium mero Hylaeum:* 'intolerabilem ebrietate'. Acron. Pro Centauris unum et praecipuum ex his memorat, causa certaminis breuiter (*nimium mero*) significata.

6—7. *domitosque — telluris iuuenes:* de re cf. Apollodorus I 6 1: *τοῖς δὲ θεοῖς λόγιον ἦν ὑπὸ θεῶν μὲν μηδένα τῶν Γιγάντων ἀπολέσθαι δύνασθαι, συμμαχοῦντος δὲ θνητοῦ τινος τελευτήσειν. Αἰσθομένη δὲ Γῆ τοῦτο ἐζήτει φάρμακον, ἵνα μηδ᾽ ὑπὸ θνητοῦ δυνηθῶσιν ἀπολέσθαι· Ζεὺς δὲ ἀπειπὼν φαίνειν Ἠοῖ τε καὶ Σελήνῃ καὶ Ἡλίῳ, τὸ μὲν φάρμακον αὐτὸς ἔταμε φθάσας, Ἡρακλέα δὲ σύμμαχον δι᾽ Ἀθηνᾶς ἐπεκαλέσατο.* Quae ueteres, Hesiodus et Eumelus, de Titanibus narrauerant, haec proximi ad Gigantes (telluris iuuenes) transtulerunt.

7—9. *unde periculum — Saturni ueteris:* haec adduntur, ut significetur quam non apte res tam graues mollibus citharae modis aptentur.

8—9. *fulgens domus Saturni ueteris:* di superi in lucidis locis habitantes, proles ueteris Saturni; perinde domus pro familia est I 6 8, III 3 26, 16 12, IIII 12 6; Epl. I 9 4. Alii cogitant de aedibus Olympi, ut est *aetheria domo* I 3 29.

9—12. *tuque — colla minacium:* a ueteris temporis uera historia et fabulosa ad res gestas Caesaris Octa-

dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius, ductaque per uias
regum colla minacium.

me dulces dominae Musa Licymniae
cantus, me uoluit dicere lucidum
fulgentis oculos et bene mutuis
fidum pectus amoribus,

10. dicis *Seruius.* hystoriis *G.* proelia *H:* p̄lia *AB*, prelia *G.* cesaris *GH.* 11. maecenas *A:* Mecenas *BGHg.* 12. minacium *Agς Blandinii Seruius*, minatium *G:* minantium *Hς*, mina tium (*fuit* minantium) *B.* 13. dulces *Bς:* dulcis *AGHgω.* licymniae *Aς duo Blandinii*, lycymniae *u. Blandinius:* lycimnae *G*, lythinnię *B* (*in loco perraso*), lyciñie *g*, licinniae *H*, liciniae *ς.* 15. fulgentis *A pr H:* fulgentes *BGg.*

uiani deuenit, quas melius a Maecenate oratione pedestri quam a se uersibus describi posse profitetur. Haec pertinent ad sermones Maecenatis et Horatii, in quibus ille optauerat, ut pugna Actiaca et capta Alexandria ab Horatio maiore carmine celebrarentur. Pronomen *tuque* haud dubie unum Maecenatem notat, ut paulo post (u. 21) *num tu — permutare uelis*, id quod mire negat Orellius. Nimirum cum Horatio non ignotum esset ad Maecenatem, cum is rebus urbis Italiaeque praefectus ageret, per biennium ab Octauiano accurate relata esse quaecumque gesta essent, apte dixit, 'tu melius dices prosa oratione proelia et triumphos Caesaris', non, ut cogitat Orellius, 'mores et facta Caesaris'. Ceterum Horatius securus esse potuit, scriberetne Maecenas proelia Caesaris necne. Etiam hoc probe tenendum eum dicere de re quae fieri possit, ut additum *melius* ostendit, non de ea quae fiat.

9—10. *pedestribus historiis: pedestres historias* praeclara breuitate nominauit pro historiis sermone pedestri (πεζῷ λόγῳ) compositis. Horatius primus hoc uocabulo usus est ad notandum sermonem numeris non astrictum Graecos imitatus. Nemo tamen poesin *equestrem* orationem dixit.

11. *per uias:* per uias urbis, in quibus pompa triumphalis ad Capitolium ascendit. De re dictum in Prooemio.

13—28. Accedit ad praecipuum carminis argumentum. Quippe matrimonii recens a Maecenate iuncti felicitatem canere uoluit. Nuper Terentiam in domum Maecenatis ductam esse et uiuida caritatis maritalis descriptio ostendit, et recordatio recens, qualis uirgo haec paulo ante fuerit (17—20). Licymniam laudat primum a suaui cantu, tum a fulgentibus oculis amorem coniugis prodentibus, postremo a caritate qua maritum prosequitur.

13—14. *dulces — cantus:* seruaui h. l. *dulces* formam, non scripsi *dulcis*, ne praue referatur ad nomen *dominae*, et id ipsum poetam prouidisse puto. Hoc proxime positum uidetur fecisse, ut *dulcis* in multis codicibus scriberetur. *dominae — Licymniae: Terentiae* scribere non licuit Horatio, quia seruari uoluit matronalem dignitatem, *Liciniae* propter uersum non potuit; hinc paulum immutauit eam formam, ut Graeca oriretur. De libertina, ut nonnulli crediderunt de Maecenate parum recte honorificeque sentientes, haec intellegi nequeunt. Maecenas cum Horatio modo *rex* esset, modo *pater* (Epl. I 7 37), idem *dominus* et hinc Terentia *domina* fuit.

14—15. *lucidum fulgentis oculos:* dictum ad morem Graecorum; cf. ad I 22 23.

15—16. *bene mutuis fidum pectus amoribus: bene* iunge cum *fidum*, ut sit *fidissimum*, non cum *mutuis*, quod aduerbio aptius caret. *Mutui*

quam nec ferre pedem dedecuit choris
nec certare ioco nec dare brachia
ludentem nitidis uirginibus sacro
Dianae celebris die.

num tu quae tenuit diues Achaemenes
aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
permutare uelis crine Licymniae,
plenas aut Arabum domos,

cum flagrantia detorquet ad oscula
ceruicem, aut facili saeuitia negat

21. achemenes *G*, achimenes *H*, achemęnes *B*. 22. *Seruius ad Vergil. Aen.* II 4. pingues *c. Cassel. Seruii.* frygiae *A*, frigiae *B*, phrigiae *GH*. migdonias *ABG*, micdonias *H*, aut Mygdonias *Seruius*. 23. licy̆nꝫę (*h. e.* licymniae) *A*, licymniae *H*: lycimniae *G*, licimnyae *B*, lycinie *g*. 25. Cum *ABHω*: Dum *Ggς*. 26. seuicia *BGH*.

amores et *bene fidum pectus* haud dubie de caritate coniugali dictum est, non de amore libertinae nescio cuius. Vidit Acron: '*mutuis*, id est alternis et iugalibus'.

17—20. Terentia, nunc matrona, modo uirgo fuit et puellarum licentia liberaliter usa est. Admonet his Maecenatem, quam laeta et decora uirgo Terentia puellari aetate fuerit. Conf. ad Carm. I 9 16. *ludentem*, *παίζουσαν*, refer ad gestus et carmina et saltationem. Diana *celebris* est cuius festum celebratur.

21. *diues Achaemenes:* Achaemenidarum generis regii apud Persas auctor Achaemenes. Herodot. VII 11.

22. *pinguis Phrygiae Mygdonias opes:* Mygdon uetus rex Phrygiae. Homeri Il. *Γ* 186. Pausan. X 27 1. Horatius diuitem cogitat agris fertilibus.

23. *crine Licymniae:* poetice positum pro *pulchra Licymnia:* nam crinis praecipua pars pulchritudinis, et partem pro toto ponere amant poetae.

24. *plenas aut Arabum domos:* I 29 1: *beatis Arabum gazis; plenas* cogita omnium rerum refertas.

25—28. Dulcissimis uerbis amici lusus cum coniuge recens domum ducta describit. Germani haec prima coniugum tempora nominant *Flitterwochen,* etiam *Honigwochen.*

25—26. *detorquet — ceruicem:* detorquet ceruicem ut flagrantia oscula deuitet. Sic recte accepit Porphyrion: 'magnifice depinxit fastidium mulieris auertentis ab eo qui osculari se uelit, quod ideo facere solent, ut irritent amantibus desiderium sui'. Alii de occurrente mariti basiis cogitant. De neglecta diaeresi cf. ad I 18 16.

26. *facili saeuitia:* saeuitia quae facile superatur et expugnatur.

28. *interdum rapere occupat* (*φθάνει*): hoc contrarium prioribus; interdum oscula raptim auferre ab imprudente marito studet. Praua assimilatione proximi uerbi *gaudeat* in permultis libris scriptum est *occupet:* sed oscula quae mulier saeuitia quamuis facili negat, eadem raptim et sponte auferre nequit. Immo Flaccus a deteriore ad melius ascendit, quatenus Licymnia Maecenatis oscula aut detrectat, aut facili saeuitia negat, aut rapere occupat. De basiis facili saeuitia negatis inserit suam coniecturam *quae poscente magis gaudeat eripi;* hic coniunctiuus recte se ha-

quae poscente magis gaudeat eripi,
interdum rapere occupat?

XIII.

Ille et nefasto te posuit die,
quicumque primum, et sacrilega manu
produxit, arbos, in nepotum
perniciem obprobriumque pagi;

28. occupat *Gg correcti BH*ς (*u. Blandinius*) *Commentator Cruquii:* occupet *A pr B pr Hω Porphyrion.*

Ad arborem. Metr̄ ut supra *A*. Ad arborem cuius casu paene (pene *B*) perierat *BH*.
1. *Diomedes l. c. in uu.* 1—9 *primas litteras om G.* 1. nefaste posuit *A*. 4. obprobriumque *ABGH, ut solent:* oppr. *g*.

bet, non item in ceteris locis, ubi res facta narratur.

Carm. XIII. Prooemium. *Et die nefasto te, arbor, posuit, quicumque auctor extitit, et sacrilega manu in perniciem nepotum produxit, cuius casu paene oppressus sum. Magna pars hominum inprouisa mortis ui rapitur; ego quoque prope abfui ut uiderem inferorum regna, in his Alcaeum et Sappho, suo quemque more in sedibus piorum canentes.* (Metrum Alcaicum)

Totum carmen uidetur eo respicere, poetas et superis gratos esse et inferis: nam illi Flaccum sospitem praestitere, inferi Sapphonem et Alcaeum unice uenerantur. Periculum a se narratum Horatius adiit kalendis Martiis anni 724, ut patet ex carmine post annum ea de re composito (III 8). Non tamen statim post casum arboris hanc oden priorem conscripsit, sed anno 724 (a. Chr. 30) ad finem uergente aggressus est: nam carmina ad Alcaei legem composita non ante medium annum 724 scribere coepit, ut uidimus ad I 26. Rursus non diu post periculum haec cecinit: nam et recenti memoria magnoque uigore scripsit, et Alcaei praeclara ueneratio idem monstrare uideatur. Nimirum postquam Alcaei plectro uti coepit, hunc aliquo carmine celebrare et notum reddere hominibus Romanis aequum putauit. Arboris casus obiter mentionem fecit II 17 27—30, III 4 27.

1—3. Quod arbor pium poetam paene oppresserat, hinc duo colliguntur, primum nefasto die quo arbores plantare non licet, illam positam esse, tum auctorem arboris hominem nefarium fuisse.

2. *quicumque primum* (posuit): recogites lignum *caducum* uetustate collapsum esse; itaque et posita est arbor ante longum tempus et auctor eius plane ignotus est. *sacrilega manu:* i. e. inpia et nefaria, quae sacra deorum abstulit.

3—4. *in nepotum — pagi:* est accusatiuus qui rem consecutiuam denotat, *ut nepotum pernicies consequeretur et obprobrium pagi foret.* Consilium affingere ponenti, ut arbor olim in homines irrueret, nimis longe petitum uidetur.

illum et parentis crediderim sui
fregisse ceruicem et penetralia
sparsisse nocturno cruore
hospitis; ille uenena Colcha

et quicquid usquam concipitur nefas
tractauit, agro qui statuit meo

5—6. illum — ceruicem *Priscianus* XVIII 13 106. 5. parentes *A*. 6. penitralia *A*. 8. uenaena *H*. colcha *Aς* '*duo Bland. antiquissimi*': colchica *BHgς*, cholchica *G*.

5—10. *illum et — tractauit:* imaginem hominis scelesti, qualem mente percepit, depingere pergit. Ille, ut credere fas est, et parricida fuit et hospitem noctu apud se iugulauit, tum uenenis cuiusuis generis grassatus est. Priscianus l. c. *crediderim* confirmatiue dictum esse monet et interpretatur πεπιστευκὼς εἴην ἄν.

6. *fregisse ceruicem:* est inmane parricidii genus frangere ceruicem (*das Genick brechen*); id manu facit parricida, carnifex laqueo. 'nouo uerbo execratus est parricidam'. Acron. Cf. Epod. 3 1—2. Sallustii Catil. 55.

6—8. *penetralia — hospitis:* hospitem in media domo iacentem noctis tempore iugulauit.

8. *uenena Colcha:* 'ita (*Colchica*) editiones, opinor, omnes et maior pars membranarum, et sic noster alibi Epod. 5: *flammis aduri Colchicis;* et 17: *cales uenenis officina Colchicis.* Sed quid opus est, ut syllaba ultima ad sequentem uersum reiiciatur? cum pari, si non maiore, elegantia dicere potuit *uenena Colcha:* et sic certe uetustissimi codices Cruquii et aliorum, ut et ex nostris Graeuianus et Galei; Reginensis uero *Colchia,* ut et unus Bersmanni; unde error uidetur primum emanasse. *Colcha* uenena pro *Colchica*, ut *Marsi duelli, Italo caelo*, *Mauris iaculis,* de quo uide nos ad Carm. I 22. Propertius III 2: *tuque tuo Colchum propellas remige Phasin,* uti ex libris scriptis edidit elegantissimus Broukhusius, cum antea ferretur *Colchon:* atque idem ad Propert. I 1 probat hic loci apud Horatium *Colcha*, ex Ouidio in Metam. VIII 394: *sed postquam Colchis arsit noua nupta uenenis.* Cui addas et sequentia, Metam. XIII 24: *litoraque intrauit Pagasaea Colcha carina.* Heroid. VI: *hanc tamen, o demens, Colchisque ablate uenenis;* et XVI: *laesa nec est Colcha Thessala terra manu.* Amor. III 3: *quo duce trabs Colchas sacra cucurrit aquas.* Fast. III 875: *peruenit in Colchas aurea lana domos.* Sidonius Carm. XXIII 274: *qui iactos super arua Colcha dentes expauit.* Martialis XII 57: *cum secta Colcho luna uapulat rhombo*, ubi perperam Nic. Heinsius ad Ouid. East. II 575 corrigere iubet *Iolco rhombo.* Dolet insignem uirum non attendisse ad analogiam. Regionis nomen est *Colchi;* inde adiectiuum gentile *Colchus*, et possessiuum *Colchicus:* sic ab *Italia* gentile *Italus*, possessiuum *Italicus;* et sic alia sexcenta. Iam id poetis familiare, ut gentilia pro possessiuis usurpent, siue, ut Graeci dicunt, ἐθνικὰ ἀντὶ τῶν κτητικῶν; ita *Itala arua* pro *Italicis*, uenena *Colcha* pro *Colchicis.* Atqui *Iolcus* nomen urbis tantummodo est, non etiam adiectiuum gentile; neque *Iolco rhombo* dicere possis, sed *Iolcio:* quippe τὸ ἐθνικόν est *Iolcius*, et τὸ κτητικόν *Iolciacus*'. Bentleivs. Conf. nostra ad I 1 28.

te triste lignum, te caducum
in domini caput inmerentis.

quid quisque uitet numquam homini satis
cautum est in horas. nauita Bosporum
Poenus perhorrescit, neque ultra
caeca timet aliunde fata,

miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum

12. inmerentis *BG*, ĩmer. *Ag:* immer. *H.* 14. in oras *H*, in^{h}oras *B.* bosfor̄ *A*, bosphorum *BGHg Blandinii ω.* 15. Pęnus *B.* p̱ orrescit *H.* 16. Ceca *B.* 18. cathenas *H.*

11. *caducum:* ea natura ut *caderes;* sic *fulmen caducum* III 4 44. Utrumque noue dictum.

12. *in domini caput inmerentis:* ut scelus eius qui posuit arborem magis constaret, hoc memorari debebat, dominum innoxium fuisse neque meruisse ut tristi casu affligeretur.

13—14. *quid quisque — in horas:* sententia ipsa consequitur ex casu, quo Horatius paene abreptus est, sed hanc ipsam rursus aliis exemplis illustrat u. 14—19.

14. *cautum est:* prospectum est, ut possit securus esse; *in horas:* h. e. in aliquot horas (*auf Stunden lang*).

14—15. *nauita Bosporum Poenus perhorrescit:* Bosporum cogitari *Thracium,* in quo ex mari Aegaeo in Pontum Euxinum commeatur, apparet: nam *Cimerium* Bosporum Poenus mercator uix adeundum habet, Thracium saepius. 'Bosphorus enim Ponti sunt fauces, ubi propter angustias assidua naufragia fiunt. Nomen autem dicitur accepisse, quod inde in bouem Io mutata transierit, quasi *βοοσφόρος*' (lege *βοὸς πόρος*). Acron. In urbe Roma homines uulgo *Bosphorum* uidentur pronuntiasse; certe haec scriptura optimos quosque libros occupauit; cf. Carm. II 20 14, III 4 30.

15—16. *neque — fata:* caeca fata egregie componuntur cum ui undarum per Bosporum prorumpentium: hic enim pericula in aperto sunt, ultra ubi omnia bene uidentur se habere, occulta sunt, quae non timet ignarus nauta.

16. *timet:* in caesura uersus dactylici produxit syllabam olim ac per se longam, sed acuta ui litterae *t* correptam. Cf. annot. ad I 3 36. Lachmannus ad Lucretium II 27 *timetue* commendauit, alii alia temptarunt.

17—18. *miles—Parthi:* ut miles facile intellegatur *Romanus,* efficit et oppositum nomen *Parthi* et quod de mutuo Romanorum et Parthorum metu sequitur: nam Parthi aemuli sunt imperii Romani. *sagittas et celerem fugam:* sagittas e celeri fuga in hostem inprouide sequentem missas; cf. ad I 19 12.

18—19. *catenas — robur:* non de uulgo captiuorum sermo est, sed de iis qui Romanis inuisi in robore Tulliano carceris Romani strangulantur. Cf. Sallust. Catil. 55: *est locus in carcere quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderis ad laeuam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus uincta.* Liuius XXXVIII 59: *ut in carcere inter fures nocturnos et latrones uir clarissimus Scipio includatur et in robore et tenebris expiret.* Tacitus Ann. IIII 29: *robur et saxum minitari.*

robur: sed inprouisa leti
uis rapuit rapietque gentis.

quam paene furuae regna Proserpinae
et iudicantem uidimus Aeacum,
sedesque discretas piorum et
Aeoliis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus,
et te sonantem plenius aureo,

19. inprouisa *BG*: improuisa *AHg*. leti *A*: loeti *BH*, lęti *G*. 20. gentis *A*: gentes *BGHg*. 21. *Agroetius p.* 2274. pene *AG*, poene *H*. 22. eacum *BG*. 23. discretas *GHgωΣ*: discriptas *A* '*duo Blandinii uetustissimi*', descriptas *Bς*. 25. Sapho *ABGHg*.

19—20. *sed inprouisa — rapuit rapietque gentis:* plerique ui non expectata pereunt et peribunt. Comparant Epl. I 2 43: *labitur et labetur;* I 7 21: *tulit et feret.*

21. *furuae — Proserpinae:* Proserpina ut dea inferorum nigra facie est (*furua*). Lucretius IIII 461: *furuae nubis caligine crassa.* Iuuenalis XII 104: *belua — furua gente petita.* *Prŏserpinae:* in epicis uersibus prima syllaba constanter producitur, etiam ab Horatio Serm. II 5 109: *imperiosa trahit Proserpina: uiue ualeque.* In Asclepiadeis correptam dedit Seneca Hercul. fur. 551: *uidisti Siculae regna Proserpinae.*

22. *iudicantem — Aeacum:* haec et quae sequuntur de sedibus secretis piorum uidetur posuisse memor eorum quae apud Platonem Athenis legit in Gorgia p. 524 A: *οὗτοι οὖν ἐπειδὰν τελευτήσωσι, δικάσουσιν ἐν τῷ λειμῶνι, ἐν τῇ τριόδῳ ἐξ ἧς φέρετον τὼ ὁδώ, ἡ μὲν εἰς μακάρων νήσους, ἡ δ' εἰς τάρταρον. καὶ τοὺς μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας Ῥαδάμανθυς κρινεῖ, τοὺς δὲ ἐκ τῆς Εὐρώπης Αἰακός.*

23. *discretas*: separatim et procul a cetero uulgo assignatas. Diuersa scriptura *discriptas* et *descriptas* ad notitiam Porphyrionis et Acronis non peruenit.

24—25. *Aeoliis — querentem:* querentem quod suo erga illas amori parum respondeant. Eiusmodi querellas continet fragmentum Hephaestionis p. 42 (Bergk n. 40): *Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμέλης δύνει γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον· Ἄτθι, σοὶ δ' ἔμεθεν μὲν ἀπήχθετο φροντίσδην, ἐπὶ δ' Ἀνδρομέδαν πότῃ.* Eiusmodi amicae nominantur Gorgo, Atthis, Andromeda, Gyrinna, Anactoria. Lege Maximi Tyrii dissert. XXIIII.

26—28. *et te sonantem — dura belli:* aduerte uigorem poetae et ueram exemplaris admirationem: nimirum Alcaeum nuper exprimere et in litteras Latinas traducere coeperat.

26—27. *sonantem plenius aureo — plectro:* fortius aures implent uirilia Alcaei carmina quam amantis Sapphus quaerimoniae. 'aureo autem plectro propter dignitatem carminis posuit'. Porphyrion. Aureum plectron etiam Pindarus habet Nem. 5 24: *φόρμιγγ' Ἀπόλλων ἑπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων*, item Euripides in Hercule fur. 339.

27. *Alcaee, plectro dura nauis:* posterior uersus particula (*dura nauis*) ab ordine antecedente incisione numeri discreta et ipsa rursus admissa diaeresi in duas partes aequales dissecta est (´– ⏑ | – ⏑), ut iustum uinculum desideretur. Hoc parum cauit Flaccus in ternis primi et secundi libri carminibus (I 16 3, 26 7, 29 11;

Alcaee, plectro dura nauis,
dura fugae mala, dura belli.

utrumque sacro digna silentio
mirantur umbrae dicere; sed magis
pugnas et exactos tyrannos
densum humeris bibit aure uulgus.

quid mirum, ubi illis carminibus stupens
demittit atras belua centiceps

27. Alcee *AG,* Alcee *BH.* 28. male *A.* 31. tyrrannos *A,* tyramnos *B.* 32. umeris bibat *A.* 34. belua *mei.*

II 1 11, 14 11, 19 7 et 11. Cum aliquamdiu (a medio fere anno 724 usque ad finem anni 725) hoc systemate usus esset, etiam leuius peccatum sua diligentia uidit et uitauit, nisi quod semel etiam in poemate anni 727 (dico I 29) non detrectauit, iocoso et facili hoc tribuens illius carminis ingenio. Lachmannus ad Frankii Fast. Hor. p.238: 'in eo uersuum systemate, quod Horatio prae ceteris placuisse uidemus, colon tertium post quintam syllabam ea conditione inciditur, ut sexta teneat uocabulum monosyllabum, hoc modo: *excepit ictus | pro pudicis.* Hoc in cultissimis carminibus secutus est, neglexit in quibusdam, quae cur omnia primo et secundo libro inseruerit, miror'. Res tamen mira non est: nam ex carminibus Alcaicis libri tertii nullum excepto undetrigesimo ante annum 726 factum est: illud autem praecipua cura politum huiusmodi uersibus uacare non mirabimur.

27—28. *dura nauis — dura belli:* absolute dictum est, non ex proximis supplendum 'dura nauis mala' atque 'dura belli mala': nam inter haec duo consulto intulit *dura fugae mala,* ne eadem iunctura ter recurreret. Est igitur structura de qua dictum ad IIII 4 76. *Fuga* more Graeco (φυγή) est pro *exilio.* Alcaei exilium memorat Aristoteles Polit. III 9; cf. Strabo I 2 30 p. 37.

29. *sacro digna silentio:* digna eo silentio quod in sacris faciundis obseruatur.

30—32. *sed magis — uulgus:* sunt στασιωτικά illa, quae uulgum magis alliciunt quam tenerae sententiae et desiderium amoris et amicitiae in Sapphus uersibus.

32. *densum humeris:* 'stipatum ad audiendum pugnas compositas, ut *haeret pede pes densusque uiro uir*' (Vergilius Aen. X 361). Acron.

33. *illis carminibus:* haec non referenda sunt ad proxime priora, sed dicuntur et Sapphus et Alcaei carmina. Ablatiuus pendet ex *stupens,* ut Serm. I 4 28: *stupet Albius aere;* II 2 5: *stupet insanis acies fulgoribus;* II 7 95: *Pausiaca torpes tabella.*

34. *belua centiceps:* nominatur centiceps, quod centum anguium capita in ipsius capite intorta sunt; cf. III 11 17. 'Cerberum dixit propter multitudinem anguium, qui in capite eius eminebant' (*eminent*). Acron. 'Cerberum dicit. Propter multitudinem anguium, qui ex eo emanant' (lege *eminent*), 'recte dicitur'. Porphyrion. Vere sic grammatici, ut uerba *demittit aures* probant: nam haec unusquisque de duabus auribus Cerberi, non de ducentis accipiet. Non bene centum ipsius Cerberi capita tueri studet Naekius Opusc. I p. 75. Quod *demittit aures,* signum est placati animi. Similis imago aquilae Iouis,

aures et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

quin et Prometheus et Pelopis parens
dulci laborum decipitur sono,
nec curat Orion leones
aut timidos agitare lyncas.

38. laborẽ (*A uoluit* laborū = laborum) *Aς*. 39—40. *Priscianus* VI 5 26. 40. timidos *ABĠHgω Priscianus: pauci* timidas.

citharae sonis delenitae, apud Pind. Pyth. I 6: *εὕδει δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετός, ὠκεῖαν πτέρυγ' ἀμφοτέρωθεν χαλάξαις*. Contrarium *aure sublata* est Epod. 6 7.

35—36. *intorti — recreantur angues:* respirant a motu et tumultu, quo plerumque agitantur. Angues capillis Eumenidum primus implicari fecit Aeschylus (Choephor. 1049 sqq.): Pausanias I 28 6. Secutus est Catullus 64 193: *Eumenides, quibus anguino redimita capillo frons expirantis praeportat pectoris iras.*

37. *quin et Prometheus:* hoc proprium Horatii, Prometheum in numero impiorum apud inferos etiamnum graues poenas luere; cf. II 18 25, Epod. 17 67. Apud ceteros eualuit quod Aeschylus finxit, Prometheum post longos labores uinculis solutum ad superos euectum esse. Cf. Catull. 64 295.

38. *laborum decipitur:* Graecissat, ut *πόνων κλέπτεται*. *Pelopis parens* est Tantalus, de cuius apud inferos poena primus cecinit Homerus Odyss. λ 582 sqq.

39—40. *Orion:* Odyss. λ 572 sqq; cf. Carm. III 4 71. *timidos:* Priscianus l. c.: *Horatius in II Carminum: nec — lyncas. Et notandum etiam de genere, quod masculino genere protulit Horatius, cum Vergilius feminino in III* (u. 264) *Georgicon: quid lynces Bacchi uariae?*

XIIII.

Eheu fugaces, Postume Postume,
labuntur anni, nec pietas moram
rugis et instanti senectae
afferet indomitaeque morti;

non si trecenis, quotquot eunt dies,
amice, places inlacrimabilem

Ad Postumum de celeritate uitae *AH*. ad postumum de breuitate uitae *B*.

1. *Diomedes* III 36. 1—2. eheu — anni *Diomedes* II p. 440.

1. Heu *H*. $\overset{t}{p}$hume $\overset{t}{p}$hume *A*. 4. affert *H*. 5. trecenis ς (*u*.) *Blandinius:* tricenis *ABHgω Acron*, trecentis *Gς*. eū *A*. 6. inlacrimabilem *BGH*, ĩlacr. *Ag*.

Carm. XIIII. Prooemium. *Fugaces, Postume, labuntur anni, neque pietas moram affert senectuti aut morti. Quaecumque placent, mox relinquenda sunt. Paratis qui frui cunctatur, heredi studet semet digniori.* (Metrum Alcaicum)

Carmen Alcaico systemate compositum non ante annum 724 factum est (cf. ad I 26). Rursus incisio illa u. 11 non uitata arguit hanc oden non post a. 726 ad Postumum missam esse (cf. ad II 13 27). Ipse Postumus aliquis ex interioribus amicis uidetur fuisse. Ad eundem Propertius elegiam libri tertii duodecimam scripsit, quo tempore Postumus Augustum in Asiam et Syriam secutus est (732—735), uxore Aelia Galla in urbe relicta. Quae Galla *placens uxor* est ab Horatio u. 21 celebrata. De moribus Postumi aliunde non cogniti neque ex hoc poemate neque ex uersibus Propertii quicquam tuto colligere licet.

1. *Postume Postume:* Diomedes II p. 440: *ἐπανάληψις est, cum maiore significatu facta repetitio, ut est in Horatio eheu fugaces Posthume, Posthume, labuntur anni.* Inest etiam familiaritatis significatio: nam Postumum dignum censet poeta quocum grauem sententiam communicet.

2. *labuntur anni:* labuntur fluminis ritu, ut in cursu numquam remittant.

3—4. *instanti senectae — indomitaeque morti:* duo imminent aduersarii, quorum alter citius quam uolumus adest (instat), alter flecti nequit (indomitus). ‘*indomitaeque: quasi ferocissimae, a qua nemo exoret indulgentiam*’. Acron.

5—7. *non — tauris:* praegressa sententia (*nec pietas — morti*) addita noua dilatatur et illustratur. Verbis *si trecenis — places Plutona tauris* haec subiecta sententia est: si quoque anno trecenos tauros Plutoni mactes, uel: si quotidie tauri hostia Plutoni inmoles, minime uero: si quotidie trecenos tauros Plutoni mactes, quae foret ridicula hyperbola, abs qua nemo sibi cauit hoc nostro religiosius. Nimirum uoce *trecenis* et proximis *quotquot eunt dies* numerus dierum annuus significatur, et *quotquot eunt dies* poeta adiecit memor trecenis diebus anni spatium non totum impleri. Nos conuertimus: *oder wie viele Tage* (*im Jahre*) *ablaufen mögen.* Verum ignorata sententia mature fecit, ut *trecenis* in *tricenis*, quamuis reprobante uersus mensura, corrumperetur. Etiam Acron falsam scripturam secutus est explicans ‘per menses singulos, id est *quotidie*’.

6. *amice:* suauiter instillare uult Postumo sententiam tam sibi quam

Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

compescit unda, scilicet omnibus,
quicumque terrae munere uescimur,
enauiganda, siue reges
siue inopes erimus coloni.

frustra cruento Marte carebimus
fractisque rauci fluctibus Hadriae,
frustra per autumnos nocentem
corporibus metuemus austrum.

8. gerionen *AG*, Gerionē *Hg*, Gerione *B*. titionque *AG*, tytionque *g*, tycionque *BH*. 9. Compescit *AGHg*: Conpescit *B*. 14. raucis *A*. adriae *G*.

amico ad agundam aetatem ualde grauem. Cf. II 16 7. *inlacrimabilem:* nouo uocabulo bis noue usus est, nunc ut sit 'qui commoueri non possit ut lacrimas effundat'; IIII 9 26 *inlacrimabiles* sunt 'nullis lacrimis defleti'.

7—9. *qui ter amplum — compescit unda:* haec potentiam Plutonis describunt; etiam eos qui robore et audacia ceteros olim praeminebant, Acherontis claustro Pluto coercet. *ter amplus* qui ter amplitudinem corporis impleuit; conuertit Graecum *τρισώματος*, ut audit Geryon Euripidi Herc. fur. 423, melius quam Lucretius V 28: *quidue* (posset) *tripectora tergemini uis Geryonai?* Lucretium secutus est Vergilius Aen. VI 289: *forma tricorporis umbrae*, et VIII 202: *tergemini nece Geryonae.*

8. *Tityonque:* Odyss. *λ* 576. Aen. VI 595.

10. *quicumque — uescimur:* inopiam humanae naturae, quae munere terrae sustentanda sit, obiter apteque memorat. Homer Il. *Z* 142: *οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι.* Seneca Phoen. 221: *aut ullo fruor almae parentis munere?*

11. *enauiganda:* noue dictum pro *tandem nauiganda* post uitae decursum. In uersu *enauiganda, siue, reges* incisio est minus grata, de qua dictum ad II 13 27.

12. *inopes — coloni:* additum *inopes* ostendit intellegi colonum qui aut mercede agrum colat aut annuam pensionem pro usu agri soluat; cf. ad I 35 6.

13—20. 'Praesentia pericula effugere possumus, mortem non possumus'.

13. *frustra — carebimus: cruento Marte carere* est abesse a proeliis et armis pugnantium; cf. Epl. I 1 42: *sapientia prima* (est) *stultitia caruisse.*

14. *fractisque rauci fluctibus Hadriae:* naufragii periculo in mari angusto et tempestuoso (Hadria), ubi undae scopulis rauco cum sono franguntur. '*rauci:* unde et raucum sonum fracta reddit unda in scopulis'. Acron.

15—16. *austrum* (Scirocco) autumnali tempore in Italia perniciosum. Tunc ille magis nocet, quod ex arenis Africae spirans humore caret. Plinius NH. II 47: *noxius auster et magis siccus, fortassis quia humidus frigidior est.* Conf. Horat. Serm. II 6 18; Epl. I 7 5—9. Iuuenalis IIII 56: *iam letifero cedente pruinis autumno.*

uisendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

linquenda tellus et domus et placens
uxor, neque harum quas colis arborum
te praeter inuisas cupressos
ulla breuem dominum sequetur.

absumet heres Caecuba dignior
seruata centum clauibus et mero

18. cocitos *A*. 19. dampnatusque *H*. 20. sisyphus *A:* Sysiphus *BG*, Sysyphus *Hg*. eolides *BG*. 21. tellus] placens, *sed subducta linea deleto et superscripto ead. m.* tellus, *A*. 25. hęres *A*. cecuba *Gg*.

17—20. Iniucunda spectacula apud inferos nos manent.

18. *Danai genus:* cf. III 11 25—52.

20. *Sisyphus Aeolides:* respexit Homeri Od. λ 593. *Damnatus laboris* iunxit ut *damnatus mortis, capitis, iniuriarum,* pro uulgato *ad laborem*.

21—22. *et domus et placens uxor:* domus in urbe cum cara uxore; uxor Aelia Galla fuit; cf. Prooem. Ne blandiri uideretur, minima laude contentus fuit poeta, siquis alius, moderatus. Aliter Propertius III 12 38: *uincit Penelopes Aelia Galla fidem*.

22. *harum quas colis arborum:* has arbores uidetur opponere aedificio urbano ante memorato. Poeta, opinor, in praedio Postumi hoc poema fecit.

23. *praeter inuisas cupressos:* inuisae sunt ut ferales arbores. Cupressus sequitur dominum, quod in tumulo locari solet; cf. Epod. 5 18.

24. *breuem dominum:* δεσπότην ὀλιγοχρόνιον. Luculenta mortalitatis imago, uel arbores domino suo et cultori superstites erunt.

25—28. 'Haec cum inuectione dicuntur corripienti' (corrige *corripientis*) 'eum quod ad nimiam parsimoniam se constringat, adseruans' (lege *adseuerans*) 'quod heres prodige sit absumpturus'. Porphyrion. Ad hanc explicationem uindicandam uti uel potius abuti quis possit uersibus Propertii (III 12 5): *si fas est, omnes pariter pereatis auari, et quisquis fido praetulit arma toro.* Verum Porphyrionem haud dubie fefellit opinio. Nimirum ut *Caecuba seruata centum clauibus* nihil pertinent ad Postumum Horatii amicum (scilicet Caecuba centum clauibus asseruante ne in aliquot horas quidem usus esset Flaccus), sic quoque *heres dignior* non intellegitur heres Postumi, sed heres hominis cuiusuis supra modum tenacis et parci. Recte Acron: 'haec cum inuectione dicuntur in eos qui nimia parsimonia conseruant quae prodigi heredes absumunt'.

25. *Caecuba:* numerus multitudinis, qui de copia uini Caecubi accipiendus est, tum proximum *seruata centum clauibus* magna uini horrea demonstrant, quae non in usum domini sed emptoribus destinata iacent. De Caecubo cf. ad I 20 9.

26—27. *mero tinguet pauimentum:* Cicero Phil. II 41: *natabant pauimenta uino, madebant parietes.* Superbum uinum est, quod testa se continere uix potest. Sciens compo-

tinguet pauimentum superbo,
pontificum potiore cenis.

XV.

Iam pauca aratro iugera regiae
moles relinquent, undique latius
extenta uisentur Lucrino
stagna lacu, platanusque caelebs

27. Tinguet *BGH Blandinii:* tinget *Agς.* 28. pociore *B.* cenis *Ag:* caenis *BGH.*

Praecedenti continuat A, item Blandinii. Hec de presentis uitae luxuria dicit *B.* De presenti luxuria templorum dicit *H. Omisit Diomedes.* 2. lacius *H.* 4. Stana *B.* planan3q, *A.* celebs *GH*, celeps *g.*

suit *superbum merum* et profusionem carae mercis in pauimento triclinii, in quo potant ebrii; non minore cum arte hanc profusionem iunxit cum centum clauibus, quibus auarus uina seruauit.

28. *pontificum potiore cenis:* breuius dictum pro 'quod est melius quam quod bibunt pontifices, cum fiunt dapes publicae', de quibus cf. Martialis. XII 48 12, Macrobius Saturn. II 9.

Carm. XV. Prooemium. *Mox regiae moles agrum aratro, stagna pecori campos subducent, platanusque caelebs ulmos, uiolae et myrtus oliuas submouebunt. Non ita praescriptum est a maioribus: priuatus illis census breuis erat, publicum magnum.* (Metrum Alcaicum)

Aedificandi luxus a fine belli Actiaci, cum Aegypti opes Asiaeque in urbem confluerent, erupit. Itaque hoc poema, quo summum illius luxuriae fastigium exagitatur, aut anno 730 (a. Chr. 24) aut proximis temporibus assignare licuerit.

1—10. Praesentem in uillis ponendis luxuriam ita improbat, ut multo effrenatiorem magno ciuium detrimento mox erupturam esse praenuntiet.

1—2. *iam pauca — relinquent:* ubi olim aratrum ducebatur et fruges colebantur, mox infinita uillarum spatia (Tacit. Ann. III 53 et 55) regum more structa agros occupabunt.

2—4. *latius — lacu:* pro pascuis pratisque ampla stagna siue piscinas uidebimus. Haec bene comparantur cum lacu Lucrino apud Baias: nam ipse et spatiosus erat et piscibus abundabat, quorum causa stagna parabantur.

4—5. *platanusque caelebs euincet ulmos:* pro uinetis platanones mox spectabimus; ulmus arbor utilis quaeque uitibus maritatur, concedet platano, quae quamuis sterilis forma sua et umbra commendatur nostrae aetati. De ulmo cf. Epl. I 16 3, etiam I 7 84. Plinius XVI 29 (17): *inter has atque frugiferas materie uitiumque amicitia accipitur ulmus.* Quintilianus VIII 3 8: *an ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis ostenderit lilia et uiolas et anemonas, fontes surgentes, quam ubi*

euincet ulmos. tum uiolaria et
myrtus et omnis copia narium
spargent oliuetis odorem
fertilibus domino priori,

tum spissa ramis laurea feruidos
excludet ictus. non ita Romuli
praescriptum et intonsi Catonis
auspiciis ueterumque norma.

priuatus illis census erat breuis,
commune magnum: nulla decempedis

7. in oliuetis *B.* 9. tum — 10. ictus *om A.* 11. Prescriptum *BG.* et *om H.* catonis Rl *A* (*quippe reliqua desunt*). 14. Connune *B.* 14—16. nulla — arcton *Priscianus* VI 5 27, VIII 4 20.

plena messis aut graues fructu uites erunt? Sterilem platanum tonsasque myrtos quam maritam ulmum et uberes oleas praeoptauerim? Seneca de Vita beat. 17: *cur arbores praeter umbram nihil daturae* (platani similesque) *conseruntur?*

5—8. *tum uiolaria — priori:* in oliuetis possessori olim fertilibus mox nihil nisi uiolae, myrtus, rosae alia eiusdem generis uoluptatis causa colentur. *copia narium* contemptim de floribus dictum, ut qui steriles nihil ualeant nisi lenocinari naribus. Contrarium laudat Martialis III 58 1: *Baiana nostri uilla, Basse, Faustini non otiosis ordinata myrtetis uiduaque platano tonsilique buxeto ingrata lati spatia detinet campi, sed rure uero barbaroque laetatur.*

9—10. *tum spissa — ictus: laurea* (arbor) est pro *lauro; feruidos ictus* noue pro ardentis solis ictus. Horti non oliuis, quibus prodest calor solis, sed floribus consiti lauro uarie cingentur, quae densis ramis ardorem solis grauem floribus et molestum dominis ibi meridiantibus excludat.

10—20. Altera pars carminis; diuersam uiam ingressus ueterum continentiam et sapientiam pietatemque cum noua luxuria componit.

11. *praescriptum:* lege sancitum. '*praescriptum,* praeceptum. Dicitur a magistris ludi' (sic distingue, non *praeceptum dicitur a magistris*), qui scripta pueris dant praecipiuntque imitari'. Porphyrion.

10—12. *Romuli et intonsi Catonis auspiciis:* hanc luxuriam non Romulus, non Cato ueteris moris amator (*intonsus*) captis auspiciis contioni aut patribus lege firmandam praecepit. 'Romuli et Catonis auspiciis' noue dictum pro Romulo et Catone auctoribus'.

13—16. Veteres priuatim parci fuerunt et pauperes, publice magnifici et liberales.

13. *breuis:* non in longum porrectus, poeticum uocabulum pro *exiguus.* *Commune magnum: commune* est *τὸ κοινόν*, publica res, nominatim aerarium, pascua, ager.

14—15. *decempedis — priuatis:* breuiter *priuatis* dixit noueque iunxit cum nomine *decempedis*, ut sint decempedae a priuatis adhibitae. Scilicet porticus tanta mensura metata ipsa ingens erit. Priscianus VI 5 27: *haec decempeda ab accusatiuo Graeco, ἀπὸ τοῦ δεκάποδα.* Idem VIII 4 20 uerbum *metata* passiue positum

metata priuatis opacam
porticus excipiebat arcton;

nec fortuitum spernere cespitem
leges sinebant, oppida publico
sumptu iubentes et deorum
templa nouo decorare saxo.

16. arton *G.* 17—18. nec — sinebant *Seruius ad Vergil.* VI 179. • 17. cespitem *BGH*, *non* caesp. 18. eges *omissa prima littera G.* opida *G.*

monet; cf. Serm. II 2 114. Vt *decempeda* nominatiuus ex accusatiuo Graeco formatus est, sic etiam *cratera*, *Ancona.*

15—16. *opacam — arcton:* est porticus ad septentrionem spectans et a sole auersa ad uitandos aestus. Sidonius Apollinaris 22 179: *porticus ad gelidos patet hinc aestiua triones.* 'Septentrioni autem obiecta porticus aestate delicatioribus grata est, quia solem non contingit'. Porphyrion.

17—18. *nec fortuitum — sinebant:* dum noui per aestatem in porticibus ad septentrionem directis ambulant, ueteres illi in fortuito cespite iacebant, solis calorem minime uitantes; *fortuitus*, qui ubique sese offert sine sumptu et labore (*der erste beste*). Quae sequuntur de oppidis et templis, haec de pauimentis uiarum et sacrarum aedium capienda sunt, ut ostendunt uerba *nouo* decorare *saxo:* nam *nouum* saxum neque est recens excisum e lapicidinis, ut Orellius dicit, neque admirandum, ut Handius cepit, sed est nouum quod substituitur pro uetere et attrito. Hoc fit, cum censores sarta tecta exigunt et uias urbis reparant. *Leges* dicit uetera decreta de officio et munere censorio.

XVI.

Otium diuos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit lunam neque certa fulgent
sidera nautis:

Ad Pompeium Grosphum *A*. Modo loquitur ad Grosphum *B*. Hypothetice Grospho Pompeio qua testatur quam sit locus (*opus?*) deum otium *H*.

1. *Diomedes l. c.* Ocium *B*. impatenti *AH*. 2. pressus *G*ς. egaeo *G*, aegeo *H*. atra] *nunc* Atra *est in corr A superp.* 'uel simul atra'; *uidetur fuisse* dira.

Carm. XVI. Prooemium. *Otium, Grosphe, omnes cupiunt, pauci assequuntur: nam opibus parari nequit, sed constat animo bene temperato et paucis contento. In bonis extra nos positis semper aliquid deest, quod Achillis et Tithoni exempla, etiam tuum meumque, ostendunt.* (Metrum Sapphicum)

Grosphus, quem alloquitur Flaccus, est Pompeius Grosphus Siculus (hinc *Siculae uaccae* u. 33 in eius opibus referuntur), cuius egregiam commendationem inseruit epistulae anno 735 ad Iccium in Siciliam missae (Epl. I 12 21—24). Multo ante ad ipsum Grosphum hoc poema scriptum est, cuius annum natalem ex uersu postremo (*et malignum spernere uulgus* Parca mihi dedit) conicere licet. Scilicet obtrectatores in Horatium sat multi coorti sunt, postquam in quarta libri primi satira de Lucilio acerbius iudicasse uisus est. Quorum calumniis edita decima libri primi satira anno 723 obuiam iuit et acriter respondit. Atqui idem animus iniustis inuidentium criminibus lacessitus tam in satira illa quam in extremis huius odae uerbis agnoscitur. Quo signo hoc carmen conferemus in annum 723 siue ante Chr. 31. Tunc expeditio Actiaca parata est, tunc ciues Romani ob bellum solliciti *otii* dulcedinem magnopere requirebant. De Grosphi siue patre siue uno ex maioribus Cicero in Verr. lib. III 23: *Eubulidas est Grosphus, Centuripinus, homo cum uirtute et nobilitate domi suae, tum etiam pecunia princeps.*

1—8. Ex omni hominum copia eos memorat, qui quamquam ab otio plerumque abhorrent, hoc tamen aliquando optant, mercatorem (1—4) et militem (5—6).

1—4. *otium — nautis:* mercator quaestui negotiisque intentus in uitae discrimine otium a diuis petit. Conf. I 1 15—17.

1—2. *in patenti prensus Aegaeo:* his nomen *mercatoris* naui uehentis circumscribitur; prensus est ὁ καταληφθείς; *in patenti Aegaeo* nullum portus refugium est. Seruius ad Vergilii Georg. IIII 421 *deprensis olim statio fidissima nautis: deprensus nauticum uerbum est, cum tempestate occupantur.* 'Bene prensus, tamquam furtum nauigans faciat, insidiatus sereno'. Acron.

2—3. *simul atra nubes condidit lunam:* atra nubes et tempestatem fert et lucem nauiganti demit.

3—4. *certa — sidera:* sidera quae tamquam certos duces nauta sequi possit. Tibull. I 9 10: *ducunt instabiles sidera certa rates.* 'Nota' (hoc non bene) 'aut certe fidelia, quorum claritudo pernox sit, ut merito eis credatur, id est septentrio, unde et Lucanus: *miseros fallentia nautas sidera non sequimur, sed quae non mergitur undis Arctos*'. Acron.

otium bello furiosa Thrace,
otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura ue-
nale neque auro.

non enim gazae neque consularis
submouet lictor miseros tumultus
mentis et curas laqueata circum
tecta uolantis.

uiuitur paruo bene, cui paternum
splendet in mensa tenui salinum,

5. Ocium *H.* thrachę *G.* 8. neque auro *AGHgω:* nec auro *Bς.* 9. gaze *A.* 10. Submouet *BG,* Sūmouet *A,* Sūmouet *Hg.* 12. uolantis *A:* uolantes *BGHg.* 14. immensa *H.*

5. *bello furiosa Thrace:* est ἀρειμανής significatu actiuo, belli cum furore studiosa. Cf. Lobeck ad Sophocl. Aiac. 143. *Thrace* Graeca forma usus est in carminibus (cf. III 25 11), Latine flexa *Thraca* in Epistulis (I 3 3, 16 13). Thracum saeuitia bellique furor Romae percrebrescere coepit inde a bello Thracio a. 640 (a. Chr. 114) gesto, de quo Florus III 4, Liuius Epit. 63.

6. *otium Medi pharetra decori:* iam tertium idem nomen repetitur, quod rarum apud Horatium et fortasse iuuentuti ascribendum: nam etiam u. 33—35 est *te, tibi, te.* Medi siue Parthi pro suo bellandi studio pharetram tamquam unicum decus gestant.

7. *Grosphe:* sollerter amici nomen hoc loco posuit, scilicet deprompturus sententiam grauem et utilem ad uitae rationem recte moderandam. Hanc cum amico communicando ipsum honorauit; cf. ad II 14 6. *non gemmis neque purpura:* has opes mercator prae ceteris parare potest, *aurum* miles ex hostibus trucidatis aut praeda parta.

7—8. *ue-nale neque auro:* eandem ueniam Sapphici uersus uidimus I 2 20 et 25 11. Notio ceteris grauior sic a recitante intenditur.

9—12. Externa bona, diuitiae et honores, otium donare nequeunt, quod metus et curae iis non submouentur.

9. *non enim gazae:* gazae sunt thesauri regum; cf. ad I 29 1—2.

10. *submouet:* lictor consularis hominum turbam consuli potest submouere, perturbationes et curas non potest.

10—11. *miseros tumultus mentis:* his πάθη et perturbationes animi poetice notauit; *miseros* qui miseros faciunt.

11—12. *laqueata circum tecta uolantis:* tecta laqueata (getäfelte, wellenförmige *Decken*) dicit tecta atriorum artificiose structa, saepius auro intexta et ornata, forma sua lacus undantis superficiem imitantia. 'Laquearia autem dicuntur opera camerae in lacus collectae'. Acron. Isidorus Orig. XV 8 6: *laquearia sunt quae cameram subtegunt et ornant, quae et lacunaria dicuntur.* Cf. Carm. II 18 2. Cic. Legg. II 1: *pauimenta marmorea et laqueata tecta contemno.* Statius Theb. I 144: *crasso laquearia fulua metallo.* Curae (φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερὰ ποικίλ' ἔχουσαι Theognis 1227) praecipue diuitum et potentium aedes magnificas circumuolant. 'Ostendit non alibi grauiores curas esse, quam ubi maiores opes sunt'. Porphyrion.

12—16. Pauper bene uiuit, si adest quantum opus est, si uacat timore et cupidine.

13—14. *cui paternum — sali-*

nec leues somnos timor aut Cupido
sordidus aufert.

quid breui fortes iaculamur aeuo
multa? quid terras alio calentes
sole mutamus? patriae quis exul
se quoque fugit?

scandit aeratas uitiosa nauis
cura, nec turmas equitum relinquit,

15—16. nec (*sic*) Cupido sordidus auf. *Seruius ad Vergil. Aen.* V 122. 17. breui sontes *corr Hς*. 18. quid tras salio *A*. 21. scanditeratas *A*. uiciosa *BGH*. nauis *Ag:* naues *BGH*. 22. neq, *A*. aequitum relinquid *H*.

num: uoce *splendet* foedam paupertatem abesse significauit, adesse quantum satis ad uiuendum. Persius III 25: *rure paterno est tibi far modicum, purum et sine labe salinum.* Serm. I 3 14: *concha salis puri.* *Mensa tenuis* pauperem indicat, *paternum* breui censu paterno contentum uiuere.

15—16. *nec leues — aufert:* praeter modicas opes ad beate uiuendum requiritur ut perturbationibus animi careas. Pro his posuit id, unde cognoscitur aliquem auaritia et timore, praecipuis humani animi perturbationibus, liberum esse.

15—16. *Cupido sordidus:* praeter traditum *Cupidinem*, pulchrum amoris antistitem, poeta feliciter audax *Cupidinem sordidum* ex sua fabrica nobis praebuit. Idem est *Cupido prauus* III 24 51, *Cupido falsus* S. I 1 61, *miser Cupido* Epl. I 1 33, *semper inops Cupido* ibid. I 18 98. Adde Carm. III 16 39. Non intellexit Porphyrion: 'Cupidinem hic non puto pro amore posuisse, sed pro cupiditate; quare miror masculino eum genere cupidinem dixisse, cum hac significatione *haec cupiditas* (lege *haec cupido*) dicatur'.

17—20. Multo labore, trepido quaestu otium frustra petitur.

17. *fortes:* forti animo dura sustinentes et fortitudine quasi abutentes; *breui aeuo* atque *multa* opposita sunt, ubi ne uox simplex *multa* sordeat, prouisum est uerbo *iaculamur*.

19. *mutamus:* occupamus pro nostra terra quam omisimus; cf. ad I 17 1—2.

19—20. *patriae quis — fugit:* quotus quisque patriam cum fugit (patriae exul), se quoque (h. e. cupidinem et timorem suum) fugit? Est ὀξύμωρον hoc consilio positum, ut appareat ad beatam uitam nihil proficі itineribus in alias terras susceptis: curas enim et perturbationes non relinqui, sed una proficisci. Ille igitur patriae exul est, sui exul non est. Seneca Epl. 28: *quaeris quare te fuga ista non adiuuet? tecum fugis.* Exulem genetiuo perinde iunxit Ouidius Met. VI 189: *exul erat mundi;* VIIII 409: *exul mentisque domusque.* Theocritus κδʹ 127: φυγὰς Ἄργεος.

21—24. Eo labore tantum abest ut otium paretur, ut curarum multitudo etiam illos persequatur, qui uitae suae genere procul a ciuibus uersantur, milites, classiarios et equestris militiae turmas. Conf. III 1 38—40.

21. *aeratas nauis:* cur aere compactas et firmatas? dicit longas naues et militiae destinatas, quae firmius tempestatem tolerant. Sed mentis curae ne in his quidem uitantur.

21—22. *uitiosa — cura:* quae-

oçior ceruis et agente nimbos
ocior euro.

laetus in praesens animus quod ultra est
oderit curare et amara lento
temperet risu: nihil est ab omni
parte beatum.

abstulit clarum cita mors Achillem,
longa Tithonum minuit senectus,

23. Otior *GH*. nymbos *B*. 24. Otior *BGH*. 25. Letus *B*. impresens *H*. 26. amare *A*. 27. nichil *B*. 29. cito (*scriptum ibi est* 'icito) *A*. 30. *Seruius ad Vergil. Aen.* IIII 585. titonum *G*, thithonum *H*.

stus cupido, contraria studio rerum honestarum. Lucretius II 48: *metus hominum curaeque sequaces nec metuunt sonitus armorum nec fera tela, audacterque inter reges rerumque potentis uersantur.*

23—24. *ocior ceruis — euro:* uarietati consuluit; ante curarum uelocitatem eo notauit, quod assequuntur tutissimas naues, equitum turmas: iam comparantur ceruis uelocibus et euro nimbos prae se pellenti.

25—27. *laetus — risu:* progressus ad contrarium sapientis et uere otiosi animum describit. In eo postulantur duo, ut praesentibus laetetur securus de futuris, ut amara contemnendo tolerabilia reddat.

26—27. *amara lento temperet risu: lentus* est risus qui non facile euincitur uel remittit, hinc *tranquillus*. Serm. I 9 64: *lentissima* (*les plus indifferentes*) *brachia*. Vergil. Ecl. 1 4: *tu, Tityre, lentus in umbra.*

27—32. Haec ostendunt quam necessarium sit bene recteque uiuenti etiam amara ferre posse et lento risu temperare: nam amara ubique admixta sunt dulcibus, mala bonis.

29—30. *abstulit — minuit senectus:* 'ostendit rerum humanarum duo inter se contraria exempla eorum, qui putati felices sunt'. Acron. Scilicet alteri diu durare summaque claritudine sua frui non concessum est, alter longissimum aeuum peregit, sed incommoda senectutis in diem magis sensit.

31—32. *et mihi — hora:* fortasse ego tibi superstes ero, ab hac parte magis quam tu beatus.

33—40. Hisce duabus strophis demonstrat et Grospho et sibi propria bona esse, illi diuitias, sibi carminum facultatem. Vterque igitur non ab omni parte beatus est.

33—34. *circum mugiunt:* noue et ingeniose copiam uaccarum indicauit.

35. *apta quadrigis equa:* pretium equae augetur eo quod apta est quadrigis festis diebus uel in curuli certamine ostentandis. Vergil. Georg. I 59: *Eliadum palmas Epiros equarum.*

35—37. *te bis Afro — lanae:* alterum argumentum diuitiarum ex pretiosis uestibus Grosphi sumptum est. Bis tinctae suco purpurae uestes (δίβαφα) magis naturam huius coloris referunt, qui nigrantis rosae uel concreti sanguinis more sublucet (Plinii NH. VIIII 60 (36) et 62 (38). Conf. Epod. 12 21: *muricibus Ty-*

et mihi forsan, tibi quod negarit,
porriget hora.

te greges centum Siculaeque circum
mugiunt uaccae, tibi tollit hinnitum
apta quadrigis equa, te bis Afro
murice tinctae

uestiunt lanae: mihi parua rura et
spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
spernere uulgus.

31. est mihi *A.* 33. syculaeque *B.* 34. higuitum *B.* 35. qs afro (*sic*) *A.* 36. Muricę *B.* 38. spritum *A.* gragae *H.*

riis iteratae uellera; Epl. II 2 181: *uestes Gaetulo murice tinctas. Murex* Latine uocatur πορφύρα. 'Afrum muricem pro Tyrio dixit, uidelicet quia Tyrii in Africam transierunt, id est, Carthaginem condiderunt'. Porphyrion. Hoc longe petitum: immo *Afrum* muricem proprie dictum esse discas ex Plinio VIIII 61 (36): *Tyri praecipuus hic* (ros purpureus) *Asiae, in Meninge Africae et Gaetulo litore Oceani, in Laconica Europae.*

37—40. Meae possessiones tuis conferri nequeunt, sed in supplementum Parca mihi poesis facultatem dedit et contemptum inuidentium.

38. *spiritum Graiae tenuem Camenae:* tenuis opponitur spisso uel pingui. Scilicet ad gratum Camenae sonum subtili et tenui spiritu opus est, obstat pinguis et crassus. '*Camenae* autem *Graiae* ideo dixit, quod haec carmina ad imitationem Graecorum scribat'. Porphyrion. *Parca non mendax:* carm. Saecul. 25: *ueraces cecinisse, Parcae.* Parca nascenti sua dona unicuique tribuit. Quod Horatio promisit, hoc re uera sese probauit.

39—40. *malignum spernere uulgus:* cur hoc memorauit? Nimirum ut arte laetus fungi eaque frui possit, opus est ut inuidiam uulgi contemnat.

XVII.

Cur me querellis exanimas tuis?
nec dis amicum est nec mihi te prius
obire, Maecenas, mearum
grande decus columenque rerum.

ah te meae si partem animae rapit
maturior uis, quid moror altera,

Ad Mecenatem. Metr̄ ut supra *A*. Modo loquitur ad Mecenatem *B*. Paranetice tetracolos ad Mecenatem *praeposito* Al Symboleutice *H*.
1. *Diomedes l. c.* querellis *B:* querelis *G*, q̄relis *Ag*, quęrelis *H*. 2. dis *A:* diis *BGHg*. 3. abire *G*. męcenas *A:* mecenas *BGH*. 5. Ah *Gς:* A *ABH*, Ad *g*, at *in margine g*. 6. alteram *ς*.

Carm. XVII. Prooemium. *Noli querellis me fatigare ob instantem mortem: me comitem habebis in uia ad inferos facienda. Sic fatis constitutum et mihi decretum est.* (Metrum Alcaicum)

Forti consolatione erigit hominem ingrauescentis aetatis et infirmae ualetudinis molestiis circumuentum. De his lege Plinii NH. VII 52 (51): *quibusdam perpetua febris est, ut Gaio Maecenati; eidem triennio supremo nullo horae momento contigit somnus.* Vitae cupidior promptus fuit in querellas, cum febre uel morbo temptaretur. Viuendi amorem ipse professus est his uersibus (Seneca in Epist. 101):

debilem facito manu,
debilem pede, coxa;
tuber adstrue gibberum,
lubricos quate dentes:
uita dum superest, bene est;
hanc mihi, uel acuta,
si sedeam cruce, sustine.

Carmen circa annum urbis 730 (a. Chr. 24) factum uidetur, certe post odam libri tertii quartam anno 726 compositam hoc natum est, id quod ad u. 14 docebitur.

1. *cur — tuis?:* interrogatio est corripientis admonentisque nihil causae adesse cur amicum querellis exanimet. De scriptura u. *querella* cf. Lachmannus ad Lucret. III 1014 p. 203 sqq. *Exanimare* est ita angere sollicitumque reddere, ut spiritus deficiat; cf. III 12 2.

2—3. *nec dis amicum est nec mihi te prius obire:* οὔτε θεοῖσιν ἐστι φίλον οὔτ' ἐμοί. Se mox obiturum esse non tam sua causa quam Horatii gratia sollicitus, opinor, questus erat Maecenas; itaque omnis consolatio hinc proficiscitur, quod Horatius superstes esse amico nolit.

3—4. *mearum grande decus columenque rerum:* ultro fatetur poeta se ex Maecenate pendere, ea fortasse ductus ratione, quod Maecenas huius rei mentionem iniecisset, quo magis sollicitudinem amico probaret. *Columen* est ἔρεισμα. Cf. I 1 2.

5. Primum docet cur sibi certum sit cum Maecenate mori (5—8), tum Parcis idem placuisse (17—30) ostendit.

6. *maturior uis:* quae te ante

nec carus aeque nec superstes
integer? ille dies utramque

ducet ruinam. non ego perfidum
dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
utcumque praecedes, supremum
carpere iter comites parati.

me nec Chimaerae spiritus igneae,
nec, si resurgat, centimanus Gigas,
diuellet umquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.

u. 7—9. *om A.* 7. eque *G.* 11. precedes *G.* 13. chimerae *BGH*, chimere *g*, chymerae *A.* 14. gigas *codices:* Gyas *Lambinus*, Gyges *Muretus.* 16. Iusticiae *BGH.*

rapere maturet. *quid moror altera:* quid ego, altera pars animae iam dimidiatae, in terris moror?

7—8. *nec carus — integer:* nec carus aeque post obitum Maecenatis Horatius erit, cum a tam dulci amico iam non amabitur, *nec integer,* quod altera parte animae priuatus et quasi dimidiatus aget. Augustinus in Confess. IIII 6 de amico mortuo: *ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus; et ideo mihi horrori erat uita, quia nolebam dimidius uiuere.*

8—9. *ille dies — ruinam: utramque ruinam* dixit pro *utriusque ruinam.* Vulgo ruina *ducere* uel *trahere* dicitur quae obruit: nunc ipsa ruina ducitur, quod posita est pro hominibus qui ruina trahentur. Ita fere, ut praedixit Horatius, factum est. Nam prior Maecenas obiit a. 746, mox eodem anno secutus est Horatius, ut in Suetonii uita Horatii traditum est.

9—15. Confirmat quod modo promisit.

10. *ibimus, ibimus:* de se uno loquitur, et in numero semel posito permanet etiam in uerbis *comites parati.*

11. *utcumque praecedes:* quandocumque uita ante me concedes. De temporali ui particulae *utcumque* cf. ad I 17 10.

12. *carpere iter:* est unam itineris partem post alteram conficere, ut conficitur flos, dum singula folia carpuntur. Serm. I 5 94: *longum carpentes iter.*

13. *Chimaerae spiritus igneae:* obuersata sunt Iliadis *Z* 179—183.

14. *nec, si resurgat, centimanus Gigas:* cur addit *si resurgat?* scilicet respexit a se scripta ante hoc carmen III 4 69 sqq. Nimirum quoniam ipse nouos secutus poetas ibi tradidit, terram iniectam esse Briareo et ceteris Gigantibus, nunc addendum putauit, *si resurgat*, ne incredibilia et quae fieri posse nequeant fingere uidetur. Gigas centimanus est *Briareus* siue *Aegaeon*, de quo dictum ad III 4 69.

15—16. *sic potenti — Parcis:* hoc et iustum est et decretum a Parcis, quae nascentibus sua cuique tribuunt. *Δίκη* soror Parcarum est Hesiodo Theog. 902. His uerbis transitus ad alteram partem carminis munitur.

seu libra seu me scorpios aspicit
formidolosus, pars uiolentior
natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae capricornus undae,

utrumque nostrum incredibili modo
consentit astrum. te Iouis inpio
tutela Saturno refulgens
eripuit uolucrisque fati

17. scorpios *A:* scorpius *BGHgω.* aspicit *mei, non* adsp. 19. Fatalis *B*, Letalis ς *duo Bland.* tyramnus *B*, tirannus *H.* 19—20. seu — undae *Seruius ad Vergil. Georg.* I 336. 22. Consensit *B.* impio *mei.* 22—25. te — alas *Seruius ad Vergil. Aen.* IIII 610. 24. uolucresque ς *Seruius.*

17—22. Quod astrum me aspiciat meamque genituram regat, uiolentumne an lene, ego nescio, sed scio meum consentire cum tuo. Haec refert ad opinionem mathematicorum, de qua cf. Tacit. Ann. VI 22: *Ceterum pluribus mortalium non eximitur quin primo cuiusque ortu uentura destinentur*, h. e. destinentur sidere tunc ualido. Quod sidus genituram alicuius aspexerat, hoc eundem comitari et aspicere per omnem uitam credebatur. Horatium imitatur Persius V 45—51.

17—19. *seu libra — horae:* libram esse sidus benignum ex iis quae de scorpio dicuntur contraria, sponte intellegitur. Consentit Manilius IIII 549.

18. '*formidolosus:* timendus, qui naturaliter formidandus sit, ut Sallustius: *etiam tum potentia Cn. Pompei formidolosa erat*'. Acron.

18—19. *pars uiolentior natalis horae:* quos nascentes uidit scorpios, his pericula parat et uiolentum finem. Manilius IIII 553—559.

19—20. *seu tyrannus — undae:* Hesperia unda est mare in occidentem uersum. Manilius IIII 791: *tu, Capricorne, regis, quicquid sub sole cadente est positum —, Hispanas gentes et quot fert Gallia dives cet.*

21—22. *incredibili modo consentit:* ex hoc consensu colligit utrumque amicum simul obiturum esse.

22—30. *te Iouis — custos uirorum:* sententia praegressa (*utrumque nostrum incredibili modo consentit astrum*) argumentis probatur.

22—23. *inpio Saturno refulgens:* inpius Saturnus erat in liberos suos, quos deuorauit aut uoluit deuorare. Hinc sidus esse inprobum et rapidum mathematici crediderunt. Iuppiter qui facinora Saturni cohibuit, etiam impetum Saturni in Maecenatem ita reppulit, ut *fulgore* suo Saturni lucem hebetem redderet eiusque uim noxiam restingueret. Persius V 50: *Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus una.* De noxia Saturni ui cf. Propertius IIII 1 84, Iuuenalis VI 569. Ad uerbum *eripuit* ex proximo suppletur *Saturno.*

24—25. *uolucrisque fati tardauit alas:* Bentleius *uolucrisque* accusatiuum accepit, ut Ouidius scripsit in Arte II 45: *remigium uolucres disponit in ordine pennas*, ac sane poetarum est uerba sensu coniuncta loco secernere. Verum hoc non est perpetuum, et μοῖρα πτερωτή magis decere poetam uidetur quam uolucres alae. Qui Bentlei rationem probabunt, *uolucresque* legant, ut Seruius ad Vergilii uerba (Aen. IIII 610) *di morientis Elisae:* 'aut manes dicit — aut certe ἀναιρετικούς dicit, id est Martem et Saturnum, qui intercidunt uitae rationem, si radiis suis ortum geniturae pulsauerint. Horatius Carm. II: *te Iouis inpio tutela Saturno refulgens eripuit, uolucresque fati tardauit alas.* Et bene *tardauit,*

tardauit alas, cum populus frequens
laetum theatris ter crepuit sonum:
me truncus illapsus cerebro
sustulerat, nisi Faunus ictum

dextra leuasset, Mercurialium
custos uirorum. reddere uictimas
aedemque uotiuam memento:
nos humilem feriemus agnam.

26. Loetum t[h]eatris (h *est eiusdem m.*) *B.* teatris *A.* 27—29. me truncus — leuasset *Priscianus* XVIII 14 126. 27. illapsus *mei*, *non* inl. 31. hedemque *G.* 32. Ñ humilẽ *A.*

quia necessitas fati impediri potest, non penitus eludi'.

25. *cum:* quo tempore, qua tempestate. Particula *cum* h. l. non indicat quod eodem temporis momento factum, sed quod proxime secutum est. Scite querulum traducit ad iucundum uitae anteactae tempus. Eiusdem rei mentio facta est I 20 3 sqq. Lachmanni coniectura *cui* (Nou. Mus. Rhen. III p. 616) Hauptii assensum tulit.

26. *laetum theatris — sonum:* sonus quo gaudent theatra, *plausus* est. Hinc numerus multitudinis h. l. explicatur: nam Maecenatem post morbum in uno theatro consalutatum esse ad I 20 3 uidimus. *Crepare* uerbum plaudentes notat. Propertius III 10 4: *et manibus faustos ter crepuere sonos.*

27—28. *me — sustulerat:* sustulerat sequente *nisi* paulo fortius idem exprimit quod *sustulisset:* nam actionem iam inchoatam esse intellegitur, et quominus perageretur, impedimentum accessisse. Conf. III 16 3: *munierant satis;* Epod. 17 60: *quid proderat.* Fallitur Priscianus XVIII 14 126: *sustulerat pro sustulisset posuit propter metrum.* De re cf. ad II 13.

28—29. *nisi Faunus — leuasset:* figmentum poeticum. Faunum cum a fando dictum esse crederent, fatidicum et prouidum inesse existimarunt, unde Ennius dixit: *scripsere alii rem uersibus quos olim Fauni uatesque canebant.* Hinc Horatius Epl. I 19 4: *ascripsit Liber Satyris Faunisque poetas.* Ruris amatorem a Fauno agrorum praeside Horatium protectum esse, ut opinantur alii, id ille nunc non significauit, immo addidit *Mercurialium custos uirorum. Mercuriales* qui sunt in tutela Mercurii facundiae numine et lyrae repertore. *leuasset:* fecit Faunus, ne subito in terram procideret truncus.

30—32. Clausula praeclara. Quippe ut utriusque amici in omnia consensionem monstraret, etiam in gratiarum actione Maecenatem et se ipsum eodem tempore idem facere debere monuit. Sed maioris momenti hoc est: nam Maecenatem de ualetudine querentem inde traducit ad gratam erga deos memoriam, quomodo olim ex periculo longe praesentiore feliciter incolumis seruatus sit.

31. *aedemque uotiuam:* aedem abs te uotam. Epl. I 3 36: *uotiua iuuenca.*

32. *humilem — agnam:* qualis decet uirum minus diuitem.

XVIII.

Non ebur neque aureum
mea renidet in domo lacunar,

non trabes Hymettiae
premunt columnas ultima recisas

Ad aurũ. Metrum Yponactium et est primus uersus trochaicus dimeter acefalus catalecticus: una enim syllaba deest nisi plenus dimeter; secundus iambicus trimeter catalecticus *A*. Paranetice lyyro et ad uarum *B*. Paranetice al ypothetice ad auarum de continentia qua paupertatem suam diuitiis prefert *H*.

1. *Diomedes* III 34 23 p. 510. 1—2. *Atilius Fortunatianus* I 9 18, *Terentianus Maurus u.* 2472 p. 2438, *Mar. Victorinus* III 17 14, IIII 3 52, *Diomedes* III 36. neque — lacunar *Isidorus Orig.* XV 8 6, XVIIII 12. 2. *Seruius ad Vergil. Aen.* VIII 25. renidet *Hg*ς *grammatici Acron:* renitet *superposito al. m.* uel d *A*, renitet *BG*ς. 3. hymettiae *A:* hymectiae *B*, hymetiae *H*, hymetie, himetiae *G*.

Carm. XVIII. Prooemium. *Ego domo modica, uno praedio contentus ago: nobiles nostri non pauci inmensas domos struunt, moles in mare promouent, praediorum spatia nefario in clientes scelere prolatare audent, obliti mortis iam impendentis ac nemini parcentis.* (Metrum 11)

Temporis notam impressam agnouimus hisce uerbis (u. 9): *at fides et ingeni benigna uena est, pauperemque diues me petit.* Scilicet iure laudat fidem suam amico Maecenati probatam, quo tempore ex Maecenatis conuictu in domum suam Augustus transire Horatium uoluit, hic recusauit. Eodem spectant illa *pauperemque diues me petit*, h. e. me sibi parare studet; diues ille est Caesar Augustus, quem dilucidius consignari non uoluit. Petiuit autem Augustus Horatium anno 730 (a. Chr. 24), ut in Prooemio Carm. III 16 docebitur. Itaque hanc odam eodem anno factam esse censebimus.

1—2. *non ebur — lacunar:* ebur pro se constat et intellegitur de sellis lectisque ac parietibus triclinii ebore distinctis, fortasse etiam de simulacris eburnis. Lecti eburni sunt Serm. II 6 103. Alii secuti auctorem Acronem *ebur* iungunt cum proximo *neque aureum lacunar*, ut sit 'neque eburnum neque aureum lacunar'. Illud uarietati Horatii conuenientius est. Ipsum *aureum — lacunar* est tectum atrii uel triclinii, quod imitatur superficiem lacus (wellenförmig) auroque pertextum est. Conf. ad II 16 11. Fortasse respexit Lucretium II 27: *nec domus argento fulget auroque renidet. Domum* dicit in urbe a se aedificatam; cf. ad Serm. II 3 308.

3—5. *non trabes — Africa:* columnae ultima recisae Africa sunt columnae ex marmore Numidico, de quo cf. Plinius XXXVI 8 (6). His superimpositae trabes (ἐπιστύλια) marmore Hymettio ex Attica inuecto. De hoc cf. Xenoph. de Vectig. 1 § 4. Strabo VIIII 1 23 p. 399. Pausanias I 19 § 7, 32 § 1.

5—6. *neque Attali — occupaui:* neque ignotus aliquis ditissimi regis

Africa, neque Attali
ignotus heres regiam occupaui,

nec Laconicas mihi
trahunt honestae purpuras clientae.

at fides et ingeni
benigna uena est, pauperemque diues

me petit: nihil supra
deos lacesso nec potentem amicum

largiora flagito,
satis beatus unicis Sabinis.

truditur dies die,
nouaeque pergunt interire lunae:

5. atali *G.* 6. haeres *A.* 8—9. *Charisius* I 18 17 p. 77. 8. honeste *H.* clientae *A*ς*Σ duo Blandinii Charisius:* clientes *BGHg*ω *unus Blandinius ex correctione.* 9. ingenii *ABGHg.* 11. et nichil *g,* nichil *BG.* 12. lacessa *A.*

heres ac repente diues factus domum omni apparatu ornatam habito. Attalum pro diuite et orbo rege posuit: cf. I 1 12. Verbum *occupaui* et aptum est et proprium: nimirum notat illum qui amplam domum (regiam) omni instrumento et seruorum multitudine repleuit.

7—8. *nec Laconicas — clientae:* 'ostendit uotum clientum, quorum uxores, cum nobilibus togae praetextae fiunt ad spem magistratuum gerendorum, purpuras carpentes iuuant matronas'. Acron. Recte. Laconicas purpuras *trahere* est lanam purpura Laconica infectam trahere de ferro subactamque reddere (*carminare*, *krempen*). Cf. Iuuenalis II 54: *uos lanam trahitis calatisque peracta refertis uellera;* VII 224: *obliquo lanam deducere ferro.* De purpura Laconica cf. Plinius VIIII 61 (36), XXI 22 (8). Pausanias III 21 § 6. *Clienta* est etiam apud Plautum Mil. glor. III 1 194 (789): *habeo eccillam meam clientam, meretricem adulescentulam.* Honestae clientae nobilem patronum ostendunt.

9. *at fides:* cf. Prooem.

9—10. *ingeni benigna uena:* AP. 409: *nec studium sine diuite uena — quid possit uideo.* Locutio traducta est a uenis metallorum.

10—11. *pauperemque diues me petit:* cf. Prooem.

11—12. *nihil supra deos lacesso:* qui deos poscit quibus opus non est, lacessit deos et in poenam suam irritat. *potentem amicum:* est Maecenas potens gratia Augusti.

14. *unicis Sabinis:* h. e. uno quo utor praedio Sabino. Multitudinis numerum posuit propter praegressam uocem *largiora*, ut sit largiora illis quae mihi sunt in Sabinis. Conf. Epod. 1 31: *satis superque me benignitas tua ditauit.*

15—28. Suae continentiae totidem uersibus opponit eos qui insano aedificandi studio laborant quique possessiones uel summa cum inhumanitate prolatare quaerunt.

15—16. *truditur — lunae:* in sermone pedestri foret: 'quamquam dies die truditur — lunae, tu tamen secanda marmora locas'. Dierum et

tu secanda marmora
locas sub ipsum funus, et sepulcri

inmemor struis domos,
marisque Bais obstrepentis urges

submouere litora,
parum locuples continente ripa.

quid quod usque proximos
reuellis agri terminos et ultra

limites clientium
salis auarus? pellitur paternos

in sinu ferens deos
et uxor et uir sordidosque natos.

18. sepulcri *A:* sepulchri *BGHg.* 19. inmemor *BG:* iñemor *A,* imm. *Hg.* 20. bais *mei, non* baiis. urges *AGHg:* urgues *B.* 21. Sũmouere *ABg*, Summouere *GH.* littora *BH.* *u.* 22—29. *om A.* 22. locupleps *B.* 24—27. *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 609.

mensium celeris successio te mortalem et aeui breuis esse admonet, sed tu agis ut qui mortem non esse putet.

17—18. *tu secanda — ipsum funus:* componit funeris propinquitatem cum labore operoso et diuturno: nam secare marmora, h. e. in crustas secare, longi laboris est. De sectis marmoribus cf. Plin. XXXVI 6—8 (6). *locas:* cum redemptore pacisceris ut tibi marmora secet.

20—22. *marisque — ripa:* molem caementis struis ex continente in mare Baianum iactam, in eaque uillam ponis. Cf. III 1 33—37, 24 3—4.

21. *submouere litora:* e continente in altum submouere iactis molibus. Sic enim litora de loco suo mouentur (*submouentur*). Idem *mare submouere* dixit Seneca de Tranq. animi c. 3: *incipiemus aedificia alia ponere, alia subuertere, et mare submouere, et aquas contra difficultates locorum ducere.* 'Hic autem corripit eos qui in Campania affectant molibus in mare iactis praetoria super aedificare'. Porphyrion.

22. *continente ripa:* possessionibus sitis in ripa terrae continentis.

23—28. Cupidi praediorum domini noua spatia acquirunt, dum agros adhuc a clientibus cultos ipsi occupant, colonos pellunt. *ultra limites clientium salis auarus:* his praegressa explanantur: quippe terminos reuellit diues possessor quibus clientium agri a suis secernuntur. Iniuriam huic similem describit Sallustius Iug. 41: *praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant: interea parentes aut parui liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur.*

26—27. *pellitur paternos in sinu ferens deos:* diues non ueretur deos: miseri clientes etiam in summis malis deos curant; *paterni di* sunt lares uel penates a patribus traditi.

28. *sordidosque natos:* sordida ueste squalentes. 'Hic ipsa rei acerbitas descripta est, homines pauperes a religiosis sedibus suis pulsos etiam sacra deorum penatium secum ferre, cum discedant, nec aliud amplius quam filios suos, quos sordidos dicendo grauiorem inuidiam expellentibus facit'. Porphyrion.

29—40. Tertia pars carminis. In

nulla certior tamen
rapacis Orci fine destinata
aula diuitem manet
erum. quid ultra tendis? aequa tellus
pauperi recluditur
regumque pueris, nec satelles Orci
callidum Promethea
reuexit auro captus. hic superbum
Tantalum atque Tantali
genus coercet, hic leuare functum

29—32. nulla — erum *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 152. 29. cercior *B*. 30. fine *ABGHgωΣ Blandinii:* sede ς *Seruius*. 32. erum *AH:* Herum *BGg*. aequa *ABH*, equa *g:* aeque *G*ς. 53. Pallidum *G*. 36. Reuinxit ς, *superscripto alia m.* Reuexit *B*. 38. cohercet *ABGH*, coheret *g*. releuare *H*.

magna mortis propinquitate stultum est opes longi temporis parare.

29—32. *nulla — manet erum:* nulla aula certior, quam quae in fine Orci destinata est, diuitem manet erum; finis Orci (das Gebiet des Orcus) poetice dictum est pro *finibus* siue regione Orci, ut I 34 11, Sermon. II 1 35; *fine* est *in fine* (cf. ad I 16 5). Alii iungunt *fine destinata* (= quam finis destinata), sed apud aetatis aureae scriptores femininum non nisi *quae finis* et *quam finem* euitandae *κακοφωνίας* gratia admittitur (Epod. 17 36), neque *certior aula* et *destinata finis* a poeta scite componi potest. Diuersa scriptura *sede* pro *fine* ex glossa nata est.

30. *rapax Orcus:* qui abripit omnes mortales, *Ἀΐδης ἁρπακτήρ*.

32. *quid ultra tendis?:* h. e. cur consilia tua fines Orci superare student? *aequa tellus: aequa* est eadem terra, non discreta; uitauit uulgare illud *aeque pauperi ac regum pueris*. Haec dixit de corporibus humanis post mortem, proxima de animis.

34. *satelles Orci:* est Charon. Prometheum posuit pro callidissimo homine, qui auri potentiam in Charonte frustra expertus sit. Fabulam Graecam non secutus uidetur: fortasse nouam ipse excogitauit. Cf. ad Carm. II 13 37.

36—38. *hic — coercet:* Orcus, non satelles Orci, quod proxima probant, ubi mortis uice fungitur Orcus.

36—37. *superbum Tantalum:* Tantalus dignus habitus quem dei epulis suis aduocarent quique ipsos conuiuio exciperet: sed superbus fortuna sua non effugit aulam Orci. Quod illic poenas dedit (Pind. Olymp. 1 56—64, Homerus Odyss. λ 582—592), hoc poeta nunc non curauit. *Tantali genus:* est filius Pelops, nihil amplius. Cf. Carm II 13 37.

38. *hic leuare:* infinitiuus pendet ex participio *uocatus*, ut intellexit Cruquius. Respicit fabulam ueterem (*γέρων καὶ θάνατος*) de fesso paupere mortem uocante, sed rogante uenientem ut sibi ligna imponere uelit. Vidit Halmius in tertia editione Orelliana. Hoc dicit: etiam pauperem, siue uolentem siue inuitum (qualis

pauperem laboribus
uocatus atque non uocatus audit.

XVIIII.

Bacchum in remotis carmina rupibus
uidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentes et aures
capripedum Satyrorum acutas.

Ad Liberum patrem. Metr. *cet. A.* hac oda ostendit bachum patrem se uidisse neque satis sufficere ad laudes bachi patris decantandas *B.* Entusiastice ad Liberum patrem laudes *H.*

1. *Diomedes* III 36. 1—2. Bacchum — docentem *schol. Iuuenal.* VII 58. 1. Bacchum *AH:* achum (*quippe primas carminum litteras solet omittere*) *G,* Bachum *B.* 3. Nimphasque *GH.* 4. satirorum *BH.*

fuit ille qui non serio mortem uocauit), laboribus mors demit. Meineke in diario antiquit. 1851 p. 233: 'illud de morte Carm. II 18 40 *uocatus atque non uocatus audit*, compares cum eo, quod ex oraculi responso ductum esse Suidas in u. *καλούμενος* dicit: *καλούμενος καὶ ἄκλητος ὁ θεὸς παρέσται,* quae Pythius in hunc fere modum extulisse uidetur: *κλητός τ' ἄκλητός θ' ὁ θεὸς [πάντεσσι] παρέσται'.*

Carm. XVIIII. Prooemium. *Bacchum a me uisum canere fas est, deum praeclara suis dona ferentem, beatam coniugem honorantem, inimicos acriter punientem, fluuiorum domitorem et maris, uictorem in pugna aduersus Gigantas commissa, cuius potentiam Cerberus sensit ac ueneratus est.* (Metrum Alcaicum)

Proximis diebus post nuntium captae Alexandriae in urbem perlatum, h. e. sub finem anni 724 (30 a. Chr.), hoc carmen compositum est. Id docebit comparantem libri tertii oden uicesimam quintam, quae primo impetu gaudentis de felicibus Octauiani rebus facta est, docebit primi libri tricesima septima, quae continuo secuta est. Eo in tempore in domo Maecenatis interque exultantes Caesaris amicos uim Bacchi magis quam alias expertus poeta in has laudes prorupit. Fauet huic sententiae quod incisio a poeta in strophis Alcaicis recente non uitata (cf. ad II 13 27) in hoc poemate bis (u. 7 et 11) admissa reperitur, quod pronomen *tu* ultra modum alibi obseruatum (cf. ad I 17 14) quater repetitur u. 17—21.

1—2. *Bacchum — uidi docentem:* quia Bacchus in altero Parnassi capite prope Musas habitat, animum addit hominibus, laetitiam donat, sollicitudines pellit, choro Thyiadum praesidet, idem carminum praeceptor ab Horatio noue nunc inducitur. Vaticinantem Bacchum praebuit Euripides in Bacchis u. 298—301. *remotis — rupibus: remotis* absolute positum, ut u. 18 *separatis in iugis*, in rupibus montium, qui ab hominum commercio remoti sunt. Carminibus et choris Nympharum eiusmodi loca prae ceteris fauent; cf. I 1 30—32.

2. *credite posteri:* posteros alloquitur, qui oculis suis impetum loquentis a Baccho excitatum agnoscere non poterunt.

3. *Nymphasque discentes:* ut Longus III 23 dicit, *αἱ Νύμφαι πᾶσαι μουσικαί,* sic Horatius et has et comites Satyros carminum studiosos cogitauit; cf. I 1 30: *me gelidum nemus Nympharumque leues cum Satyris chori secernunt populo.*

3—4. *aures capripedum Satyrorum acutas: aures* Satyrorum memorauit, ut hos audiendi discendique

euhoe, recenti mens trepidat metu
plenoque Bacchi pectore turbidum
laetatur. euhoe, parce Liber,
parce graui metuende thyrso.

fas peruicaces est mihi Thyiadas
uinique fontem, lactis et uberes
cantare riuos, atque truncis
lapsa cauis iterare mella,

5. *Priscianus* XV 3 17. euhoe *AH*, Euhohe *g*, Heu hoe *B Priscianus*, He·ho he *G*. 6. bachi *ABGHg*. 7. euhoe *AH* (*in A* eu . hoe, *sed punctum est nota metrica*), heu hoe *B*, euhohe *g*, heuohe *G*. 9. thyadas *AG*, thiadas *Hg*, t(h)yadas *B*.

cupidos ostenderet; *acutas:* 'sic uidemus Satyros fingi, oblongas aures acutasque habentes'. Porphyrion. Saepe simul corniger i aspiciuntur in artis operibus. *Capripedes* Satyros Horatio praeiuit Lucretius IIII 578; plerumque humanis pedibus finguntur. Itaque perite scribit Acron: 'Panas dixit caprarum pedes habentes'. *capripedes Panes* habet Propertius III 17 34.

5—8. Poeta uisi numinis maiestatem et uim modo perceptam describit etiam nunc correptus et agitatus.

5. *euhoe:* 'mira energia totus hic locus explicatur. Et est bonus sensus: uiso enim deo quis non perturbetur, licet gaudeat. Et bene repetitum *euhoe*, quasi incitamento mentis ad hanc exclamationem instigante'. Porphyrion.

6. *plenoque — pectore:* III 25 2: *quo me, Bacche, rapis tui plenum?*

6—7. *turbidum laetatur:* turbida laetitia mouetur; cf. ad I 22 23. Vocabulum *turbidum* a mari turbido ad animum translatum est.

7—8. *parce Liber, parce:* ab omni nimio abhorrens laetitiam increscentem, qualem in se sentit, deprecatur. Etiam hoc praeclare facit ad uim numinis explicandam.

9—12. *fas — mella:* qui aspectu numinis dignus est habitus, suo iure et sine metu offensae hunc deum celebrare potest: nam deus ipse inuitauit. Verum ita deum Flaccus celebrauit, ut insignem uarietatem effecerit, dum modo agentem Bacchum et fortiter pugnantem (14—16 et 21—28) inducit, modo alios ostendit numinis potentia uarie affectos (13—14 et 29—32). *Peruicaces* sunt Thyiades siue Bacchae, quod in furiosa laetitia die noctuque perdurant.

10. *uinique fontem:* respexit Euripidis Bacch. 706: ἄλλη δὲ νάρθηκ' ἐς πέδον καθῆκε γῆς, καὶ τῇδε κρήνην ἐξανῆκ' οἴνου θεός.

10—11. *lactis et uberes — riuos:* Euripides l. c. 708: ὅσαις δὲ λευκοῦ πώματος πόθος παρῆν, ἄκροισι δακτύλοισι διαμῶσαι χθόνα γάλακτος ἑσμοὺς εἶχον.

11—12. *truncis lapsa — mella:* Euripides l. c. 710: ἐκ δὲ κισσίνων θύρσων γλυκεῖαι μέλιτος ἔσταζον ῥοαί (stillantes *labebantur*) ῥοαί. Hinc et clarum est quos *truncos* nunc dixerit, thyrsos scilicet ex *truncis* hederae factos, et patet cur mella truncis *lapsa* memorentur. Non cogitauit de siluis et quercuum truncis mella sudantibus, ut Vergilius Eclog. 4 30: *et durae quercus sudabunt roscida mella.* In his enim nulla Bacchi uis agnoscitur.

12. *iterare:* quae uere facta sunt, uerbis iterare licet. Praeiuit Plautus Asin. III 2 21: *tua quoque malefacta iterari multa — possunt.* Accius in Macrobii Saturn. I 7 fin.: *sacra quae Cronia esse iterantur ab illis.*

fas et beatae coniugis additum
stellis honorem tectaque Penthei
disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

tu flectis amnes, tu mare barbarum,
tu separatis uuidus in iugis
nodo coerces uiperino
Bistonidum sine fraude crines.

tu, cum parentis regna per arduum
cohors Gigantum scanderet inpia,

15. leni *ABGHgω tres Bland.:* leui ς. 16. Tracis *H.* exitũ *A,* exiciũ *BHg.* lycurgi *A:* lygurgi *B,* ligurgi *GHg.* 17. flectes *A.* 19. coerces *Ag:* coherces *BGH.* 20. Bistonidum *B:* Bisthonidum *AGH.* 22. inpia *B:* impia *AGHp.*

13—14. *fas beatae coniugis — honorem:* coniux Ariadna inter superos uersatur (*beata*), corona illius (*honor*) in sidus mutata in stellis fulget. De coronae sidere cf. Aratus 71: *αὐτοῦ καὶ κεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκε σῆμ' ἔμεναι Διόνυσος ἀποιχομένης Ἀριάδνης.* Manilius V 253: *cara Ariadneae quondam monumenta coronae.*

14—15. *tectaque Penthei — ruina:* Euripides Bacch. 633: *δώματ' ἔρρηξεν χαμᾶζε (Βάκχιος).* Horatius potentiam Bacchi laudaturus, non uiolentiam, prudens tacuit de Pentheo a matre discerpto.

16. *exitium Lycurgi:* narrauit Apollodorus III 5 1; adde Sophoclis Antig. 945—954 ed. Herm.

17—20. Post poenas aduersariorum subsequuntur artes quibus rerum natura a Baccho mitigata est.

17. *tu flectis:* flectit de alueo et aliorsum dirigit, ut cum comitibus in sicco ire possit (Nonnus XIII 123). 'Flectis autem positum est, tamquam decursus eorum declinet quo uelit'. Porphyrion. Idem cum non apte dicatur de mari, *mare barbarum,* h. e. rubrum uel Indicum, per zeugmatis ueniam additum est, ut cogitetur 'tranquillum facis mare'.

18. *separatis — iugis:* separatis ab hominum commercio, ut ante *remotus.* Cum uino madet (*uuidus*), ludere cum bacchis Thraciis inclinat deus.

19. *nodo — uiperino:* uiperis in uinculorum usum adhibitis, quibus crines in nodum colligantur.

20. *sine fraude:* sine damno, ut uiperae nec tibi noceant neque Bistonum mulieribus.

21—28. Res bellicas Bacchi in pugna Gigantum editas celebrat, a lusibus ad seria transgressus.

22. *cohors Gigantum — inpia:* inpiam fuisse memorat, ut Bacchus iusti belli socius laudetur.

23. *Rhoetum:* Vergilius Georg. II 456: *ille* (Bacchus) *furentes Centauros leto domuit, Rhoetumque Pholumque. Εὔρυτον* nominauit Apollodorus I 6 2 in descriptione Gigantomachiae: *Εὔρυτον δὲ θύρσῳ Διόνυσος ἔκτεινε.* Hygini praefatio ad fabulas p. 4 item in Gigantum numero Eurytum recitat. Cf. Horat. III 4 55.

24. *unguibus — mala:* hoc unde sumpserit non compertum est. Praedones Tyrrhenos Bacchus ulciscitur leonis specie in hymno Hom. 6 44.

25—27. *quamquam — ferebaris:* ipsis superis incognita adhuc et insperata Bacchi uirtus erat.

27—28. *sed idem — belli:* noue dixit hoc, Bacchum et paci et bello parem fuisse.

28. *mediusque belli* liberius collocatum est pro *bellique medius,* ut

Rhoetum retorsisti leonis
unguibus horribilique mala:

quamquam choreis aptior et iocis
ludoque dictus non sat idoneus
pugnae ferebaris; sed idem
pacis eras mediusque belli.

te uidit insons Cerberus aureo
cornu decorum leniter atterens
caudam et recedentis trilingui
ore pedes tetigitque crura.

23. Rhoetum *ABH:* Rhethum *G,* Rhecum *u. Bland. in litura*, Hroetum *g.* 29—30. te — decorum *Seruius ad Aen.* IIII 654. 29. uiditq; *H.* 30. cornu] curru *Seruius.* 31. recedentes *A.*

mox *tetigitque crura* pro *cruraque tetigit;* I 30 6: *solutis Gratiae zonis properentque Nymphae.* III 1 12: *moribus hic meliorque fama*, 21 18: *uiresque et addis cornua pauperi.* 4 11: *ludo fatigatumque somno.* Saepius haec uenia ab Horatio sumpta est in Sermonibus, ut uidebimus ad Serm. I 2 63. Conf. ad Carm. I 30 6.

29—32. A Baccho fortiter pugnante regreditur ad potentiam dei ita describendam, ut hanc agnosci sentirique uel ab inmani et saeua belua narret.

29. *te uidit insons Cerberus:* insons qui damnum non inferret. Sed quando Cerberus Bacchum uidit inferos adeuntem? Noli cogitare de Baccho matrem Semelen ex inferis in caelum arcessente, de quo relatum est ab Apollodoro III 5 4, a Pausania II 37 5: nam hoc si respexisset Horatius, matris mentionem fecisset. Quid poetae obuersatum sit, docent proxima uerba *aureo cornu decorum.* Hoc est cornu copiae, quod manu gestat Liber *χθόνιος* et *μύστος* (Pausanias VIII 54 4), qui Proserpinae (*τῆς Κόρας*) apud inferos maritus et tamquam alter Pluto perhibetur. Ipsum illud *aureo cornu decorum* ex eiusmodi artis operibus sumpsit Horatius, quorum multa supersunt, Bacchum *χθόνιον* et *Κόραν* imitantia, magnam partem in Etruria reperta, edita ab E. Gerhardo in selectis uasorum imaginibus (*auserlesene Vasenbilder*). Hoc uoluit poeta, non quod Acron narrauit: 'Libero cornua nonnulli assignant, quoniam uinolentia proteruitatem et contumaciam consueuit augere'. Id si notasset, *cornua*, non *cornu*, nedum aureum cornu posuisset; cf. ad III 21 18.

30—31. *leniter atterens caudam:* atterit caudam in terrae solo ut placidus et reuerens dei maiestatem.

31—32. *trilingui ore:* 'uno ore, in quo tres linguae siue lingua trifida, qualis solet in serpentibus fingi'. Recte sic Naekius in Opuscul. I p. 76. Non uere *tricipitem* Cerberum alii accipiunt, qualem exhibuit Vergilius Aen. VI 417, Ouidius Metam. IIII 450, X 22: Horatius unum caput intortum centum capitibus anguinis Cerbero tribuit III 11 17—20.

32. *pedes tetigitque crura:* postquam caudam attriuit, paulatim confidentior factus accedit, pedes primum, h. e. imas pedum partes, deinde crura (*d. Schenkel*) lambit suo more blandiens.

XX.

Non usitata nec tenui ferar
pinna biformis per liquidum aethera
uates, neque in terris morabor
longius, inuidiaque maior

urbes relinquam. non ego pauperum
sanguis parentum, non ego quem uocas

Ad Maecenatem. Metr̄ *cet. A.* Ad mecenatem allegorice dycolos *B.* Paranetice sibi uel ad Mecenatem allegorice tetracolos. Immortalem se functum carminis benefitio et in cignum conuertendum ait *H.*

1. *Diomedes* III 36. Non ʒıta|ta (*h. e.* Non usitata, *ut uulgo legitur,* ʒ *ualet* us *et linea est nota metrica*) *A.* non tenui ς. 2. pinna *A:* Penna *BGHg.* 3. nec *B.* terra ς.

Carm. XX. Prooemium. *Exemptus moriendi necessitati et in cycnum canorum transmutatus per terras uolabo. Absint igitur inani funere luctus et querimoniae, etiam sepulcri honores.* (Metrum Alcaicum)

'Carmina sua perpetuo mansura et ad remotissimas nationes peruentura esse praedicit. Ipsa inmortalem auctorem facient. Occasionem carminis ad Maecenatem missi hanc fuisse reor. Cum Maecenas finem uitae suae adesse questus esset ac sollicitudinem de futura amici sui sorte memorasset, ut factum uidimus in carmine huius libri septimo decimo, curam illam ex carissimi hominis animo duabus odis eximere conatus est Horatius; in altera (17) pollicitus est se cum Maecenate simul obiturum esse, in hac professus est, sui mortem non ut in ceteris mortalibus euenturam esse, sed ita consecuturam, ut pro summo deorum inmortalium beneficio haberi debeat. Ex hac ratione anno 730 (a. Chr. 24) hoc carmen assignabimus, id est ei tempori, quo Horatius maximam partem odarum, quae tribus libris primis continentur, iam perfecerat. Hoc carminis argumentum postulat, huic perfecta condendi systematis Alcaici ars concinit. Ironiae nescio cuius cogitationem interpres rite officio satisfacturus remouere debet.

1—2. *non usitata nec tenui — pinna:* diuina uis erit in pinna, quae poetam sine ipsius molimine facilem ac sublimem supra terras feret (*non usitata*); eadem non infirma erit, sed densa (*non tenuis*) eoque ualida ac non deficiens.

2. *biformis:* uates manet, sed in cycnum mutatus duas formas iunxit. Acutius quam uerius Porphyrion: 'biformem autem se dicit, quod et lyrica scribat et hexametros'. Sola carmina, non etiam sermones, nunc poeta respexit.

4. *inuidiaque maior:* quem inuidia tangere iam nequit.

5—8. *non ego — unda:* haec accedunt, ne falso accipiantur proxima *neque in terris morabor longius:* nam uulgo mortem obeunt, qui terras urbesque relinquunt. Quapropter magna cum ui asseuerat se non moriturum esse.

5—7. *non ego pauperum sanguis parentum, non ego quem uocas 'dilecte', Maecenas:* cum uir insignis e uita discessit, in laudatione uel in monumentis rerum refertur, quibus parentibus natus, quibus amicis usus sit. Flaccus iam terras relicturus egregie haec composuit, se ignobili loco natum et summi uiri amicitia dignum habitum esse.

6—7. *quem uocas 'dilecte', Maecenas:* quem tu dilectum siue nomine dilecti amici uocare soles. Conf. Epl. I 6 54: *'frater, pater' adde.* Ouidii Amor. I 7 19: *quis mihi non 'demens',*

'dilecte', Maecenas, obibo,
nec Stygia cohibebor unda.

iam iam residunt cruribus asperae
pelles, et album mutor in alitem
superne, nascunturque leues
per digitos humerosque plumae.

iam Daedaleo ocior Icaro
uisam gementis litora Bospori

7. delecte *A*. maecenas *A*: mecenas *BGHg*. 8. stigia *A*, stigya *H*. 11. supernę *H*. 12. umerosque *A*. 13. dedaleo *ABGHg*. ocior *Bgω*: otior *H corr G*, notior *A pr Gς*. iącaro *A*. 14. littora *H*. bosphori *ABGHgω*, bosfori *ς*.

quis non mihi 'barbare' dixit. Lucae 6 46: τί με καλεῖτε 'κύριε'. Sic Acron: 'ordo est, Maecenas, non obibo ego, quem uocas dilecte'. Qui iungunt, *quem uocas*, *dilecte Maecenas*, neque uerba *quem uocas* iuste explicare, nec cur *dilecte* Maecenas nunc uocetur, satis declarare possunt. Conf. ad Serm. I 5 27. Rem illustrant uersus Maecenatis in uita Horatiana Suetonii: *ni te uisceribus meis, Horati, plus iam diligo*, cet.

8. *Stygia coh. unda:* hoc contrarium libero uolatui, quo super terras feretur.

9—10. *iam iam residunt cruribus asperae pelles:* dum crura cycnea fiunt, tenuia euadunt, quo fit ut pelles adhuc ampliores asperae sine corrugatae in contractis cruribus residant. Exponunt haec quomodo *inferne* uates in cycnum mutetur.

10—11. *et album mutor in alitem superne:* ab imis corporis sui partibus progreditur ad superas, describens quomodo *superne* in cycnum mutetur. Ibi cum scribit *album mutor in alitem superne*, hoc secutus est quod cycnus superne albus est, pedes non albos habet sed canos. Quapropter ipsum *cycnum* nominare non potuit. Mutationis descriptio lyrica est, non epica; illa summa fastigia rerum percurrit. Ultimam syllabam in uoce *superne* ante Horatium corripuit Lucretius VI 544: *terra superne tremit magnis concussa ruinis;* ibid. 597: *tecta superne timent*, *metuunt inferne cauernas.*

13—16. Volatum suum ad remotissimos populos describit, quo carmina sua in diuersis orbis Romani terris lectum iri significauit.

13. *Daedaleo ocior Icaro:* huiusmodi hiatus, ubi pura paenultima longa longae ultimae subiecta proximi uocabuli uocalem contingit, poetae Latini non uitarunt. Conf. Lachmannus ad Lucret. III 374 p. 158: 'primum genus est, cum in fine uocabuli est longa uocalis ante longam uocalem, quibus in proxima dictione uocalis subicitur. In hoc genere mihi certum uidetur, syllabas uocabulorum contiguas numquam commisceri'. Facilitatem et impetum uolandi his uerbis expressit. Lachmanno et Meinekio pro *ocior* placuit coniectura Bentleiana *tutior*, non mihi. Nam si quis *tutior* uolat eo, qui minime tutus uolauit ausisque excidit, infirmum salutis praesidium habet. Diuersa scriptura *notior* aut antiqua correctio est eorum, qui in hiatu legitimo offenderent aut ex forma *otior* pro *ocior* casu nata est.

14. *uisam gementis litora Bospori:* suam securitatem et periculum maris per angusta fluctuantis componit, in proximis (*Syrtesque Gaetulas Hyperboreosque campos*) longinquitatem regionum respiciens. Plinius NH. IIII 26 (12) § 89: *ultraque Aquilonem gens felix*, *si credi-*

Syrtesque Gaetulas, canorus
ales, Hyperboreosque campos.

me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
noscent Geloni, me peritus
discet Hiber Rhodanique potor.

absint inani funere neniae
luctusque turpes et querimoniae;
compesce clamorem ac sepulcri
mitte superuacuos honores.

15. syrteque *A*. getulas *mei*. 16. yperboreosque *A*, hiperb. *G*. 17. colchus *Ag*: cholchus *BGH*. 18. cohortes *A*, choortis *B*. 20. *Seruius ad Verg. Aen.* VII 605. hyber *B*, Hiberus *Seruius*. rhodonique *H*. 23. Compesce *AGHg*: Conpesce *B*. sepulcri *A*: sepulchri *BGHg*. Liber Carm̄ ·II· expl̄, incip liber ·III· *A*. Q. Hor̄. Flacci explicit liber secundus. Incipit pragmatice ad indoctos *B*. Q. Horacii Flacci carminum liber ·II· expliċ. incip̄ liber ·III· *H*. Oratii Flacci carminum liber secundus explicit. Incipit liber III. eiusdem in carminibus *g*.

mus, quos Hyperboreos appellauere, annoso degit aeuo cet. 'toto orbe se uulgandum promittit, ut etiam perueniat ad barbaras nationes: nam per commemorationem gentium omnes terrae partes designat'. Acron.

15. *Gaetulas: ἐθνικὸν πρὸ κτητικοῦ*, ut I 23 10, III 20 2; Epl. II 2 181. Conf. ad I 1 28.

17—20. His illatis allegoriae uersibus 13—16 propositae uis declaratur. Componit autem populos litterarum rudes (*Colchos, Dacos, Gelonos*) cum eis qui Romanam eloquentiam concupiscere coeperant (*peritus Hiber Rhodanique potor*).

17. *Colchus:* Colchi poetis aliquando pro extremis terrarum populis sunt, quod Argiua pubes et nauis illa prodigiosa hos in extremis terrae sedibus adisse dicta est.

17—18. *qui dissimulat metum Marsae cohortis:* metuit Marsi peditis uim et fortitudinem, sed dissimulat, ne timidus uideatur. Est nota gentis bellicosae.

18—19. *ultimi — Geloni:* accolae Borysthenis (Plinii NH. IIII 26 (12) § 88), ultimi terrarum ideoque a commercio litterarum et artium remoti; nominantur a Flacco etiam Carm. II 9 23, III 4 35.

19—20. *peritus — Hiber Rhodanique potor:* Hispani et Galli (Rhodani potor) periti sunt prae populis ante nominatis; *peritus* non solum ad Hiberum pertinet, sed simul ad Rhodani potorem: perperam Orellius explicuit 'ubi aliquando erit peritus'.

21—24. Memoriae meae non funeris honore sed carminum uirtute consultum erit. Ennius (Cic. Tuscul. I 15 et 49): *nemo me lacrumis decoret nec funera fletu faxit. cur? uolito uiuu' per ora uirum.*

21. *inani funere:* a funere in quo nihil sepeliendum erit.

22. *turpes:* quibus turpes fiunt lugentes, cum os lacerant, pectus plangunt, uestes scindunt.

24. *superuacuos honores:* superuacui sunt, quod ipsa carmina summum honorem ferent et seruabunt.

Q. HORATII FLACCI

CARMINVM

LIBER TERTIVS.

I.

Odi profanum uulgus et arceo.
fauete linguis: carmina non prius

Ad chorum uirginum et puerorum. Metr̄ *cet. A.* ad choros uirginum et puellarum *B in dextra parte folii.* Ad choros uirginum et uirorum *H.* Indoctos detestatur et contemptores sapientie *g.*

1. *Diomedes* III 37 1, *Mallius Theodorus* 4 10. Odi] di (*omissa, ut solet, littera prima odarum*) *G.* 2—3. *Seruius ad Vergil. Aen.* V 71.

Carm. I. Prooemium. *Carmina non prius audita canto. Non opes aut genus, non gratia aut potentia tranquillum animum dare possunt: una temperantia nos uiuere sinit sine timore et cupidine.* (Metrum Alcaicum)

De occasione carminum, quae in principio libri tertii sub numeris 1—6 collocata sunt et communi uinculo continentur, ad oden libri primi tricesimam secundam, quam esse horum carminum prooemium uidimus, expositum est. Nunc dicendum restat, quid efficere et praestare uoluerit Horatius, cum haec componere aggressus est, et quo tempore ad opus ab Augusto uel Maecenate postulatum (cf. ad I 32) accesserit. Poeta hoc secutus est propositum, ut populo Romano clades et damna, quae plurima adhuc ille perpessus est, in futurum effugienti et uitam beatiorem cupienti uirtutum omne genus commendaret, contraria uitia exagitaret. Quod ut ratione et uia consequeretur, de *temperantia* et *fortitudine*, de *iustitia* et *sapientia*, hoc est, de quattuor uirtutum formis quas a Graecis constitutas Romani adoptauerant, rara facundia primis quattuor carminibus cecinit. Sed idem cum sibi persuasum hoc haberet, praeter artes a se laudatas ad uitam beatam nihil magis conferre quam amorem patriae et erga deos pietatem, haec tamquam uirtutum supplementa quinto loco sextoque cantanda suscepit.

Tempus carminum illorum ex his notis discere licet. In quarto poemate, quo prudens consilium siue *sapientia* celebratur, haec uirtus in Caesare Octauiano sic agnoscitur: *uos* (Musae) *Caesarem altum, militia simul fessas cohortes abdidit oppidis, finire quaerentem labores Pierio recreatis antro.* Quorum uerborum priora respiciunt ueteres milites ab Octauiano in Italiam sextili mense anni 725 reuerso in colonias aut municipia dimissos, subsequentia spectant ad aedem Apollinis anno 726 dedicatam, bibliothecam Graecam ac Latinam eodem anno additam; cf. Prooemium I 31. Itaque oden quar-

audita Musarum sacerdos
uirginibus puerisque canto.

regum timendorum in proprios greges,
reges in ipsos imperium est Iouis,
clari Giganteo triumpho,
cuncta supercilio mouentis.

6. inperium *B*. 7. gyganteo *B*.

tam anno 726 (a. Chr. 28) ascribemus. Eidem anno sextam adtribuo, hoc fretus argumento, quod Flaccum recenti memoria et belli Actiaci et rerum anno 724 et 725 gestarum iniecisse mentionem (u. 13—16) uideo. Quintam anno 727 (a. Chr. 27) editam esse fidem faciunt uersus: *diuus habebitur Augustus adiectis Britannis imperio grauibusque Persis*, quibus nuntiatur expeditio ab Augusto sub finem anni 727 in Occidentem coepta, altera in Parthos tunc parata, ut ostensum est ad Carm. I 35. Ante hunc annum scripta esse nequit tertia, in qua leguntur uersus: *quos inter Augustus recumbens purpureo bibet ore nectar*. Quippe nomen *Augusti* mense Ianuario anni 727 Caesari a patribus delatum est; Dio LIII 16, Censorinus de Die nat. c. 21. Porro secundam eodem anno 727 auctorem cecinisse hinc colligo, quod uersu tertio et quarto Parthi a Romanis fortiter debellandi memorantur. Restat prima. Cuius prooemium (u. 1—4) cum ad omnes aeque pertineat, hanc postremam sub finem anni 727 ceteris accessisse crediderim. In his de tempore expositis siquid minus certum remanet (dilucidiores notas ipse in sexto desidero), hoc tamen uix dubitari potest, quin omnia haec carmina duobus annis (726—727 = 28—27) edita sint.

1. *odi — arceo:* profanum siue indoctum uulgus, percipiendis egregiis sententiis haud aptum, procul esse iubet; *profanus* nunc est *ἀμύητος* siue *βέβηλος*, qui artis arcana non didicit. '*profani* dicebantur sacris non initiati qui fanum intrare non poterant. Hic tamen per allegoriam profanos imperitos dixit, qui merito doctis exosi sunt'. Acron. Vergilius Aen. VI 258: *procul o, procul este profani*. Aristoph. Ran. 354: *εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων*.

2. *fauete linguis: εὐστομεῖτε, εὐφημεῖν χρή*. Fauetur linguis, cum tacetur, ut poeta sua rite promere possit. Seruius ad Vergilii Aen. V 71: *ore fauete omnes: apto sermone usus est et sacrificio et ludis: nam in sacris taciturnitas, in ludis necessarius fauor est*, cuius uerba non Acron aetate prior, sed qui Acronis commentarium excerpsit, Acroni addidit. *carmina non prius audita:* aperte nuntiat non unam oden, sed sex prima huius libri carmina ut noua conamina; cf. ad III 4 1—4.

3. *Musarum sacerdos:* apte se sacerdotem Musarum nominat, totus in eo ut mores emendet, uirtutem doceat celebretque.

4. *uirginibus — canto:* carmina casta et apta festis diebus ne forte profanentur, a uirginibus puerisque cantabuntur, sic habitura plus honoris et ponderis. Non probanda sunt haec Acronis: 'promittit se carmen prolaturum quo teneras aetates ad utilia instituat, quibus ad uitam beatam peruenire possint'. Populo Romano, non tantum pueris puellisque, cecinit Horatius, quod carminum indoles satis docet.

5—8. Temperantiae modus humano generi praemonstratus est eo,

est ut uiro uir latius ordinet
arbusta sulcis, hic generosior
descendat in campum petitor,
moribus hic meliorque fama

contendat, illi turba clientium
sit maior: aequa lege Necessitas
sortitur insignes et imos,
omne capax mouet urna nomen.

9. lacius *H.* ordinat *A.* 11. Descendit *H.*

quod plena αὐτάρκεια et infimis et summis adempta atque uni Ioui reseruata est.

5. *regum — greges:* reges intellegit principes Orientis, qui non legibus imperant, sed pro arbitrio dominantur; inde horum imperio subiectos uocauit *proprios greges*, non respiciens regem qui fouet et pascit sibi parentes (ποιμένα λαῶν), quem perperam interpretes h. l. adhibuerunt, sed qui infinita potentia seruis imperitat hisque utitur tamquam suis (*propriis*).

7—8. *clari — mouentis:* paucis sed grauibus uerbis maiestatem Iouis indicauit. Huius imperium infinitum esse hinc patet, quod subiecit quicumque resistere ausi sunt, quodque mundum uniuersum supercilio mouere potest. Cf. I 12 14—16, III 4 45—48. Aliter et Horatiana dignitate inferius Philemon: δοῦλοι βασιλέων εἰσίν, ὁ βασιλεὺς θεῶν, ὁ θεὸς ἀνάγκης.

9—24. Opes aut honores mortem non adimunt; quapropter exquisitissimi diuitum apparatus metum non expellunt, si mala adest conscientia: pauperes autem et innocentes plerumque tranquille uiuunt.

9—10. *ordinet arbusta sulcis:* ordo siue regula uitium sulcis longe ductis dirigitur. Dicit his opulentum uinearum possessorem. Arbusta sunt uites, quae cum more uetere *arbores* dictae sint (cf. ad I 18 1), etiam *arbusta* pro uineis poni possunt. Sic etiam Vergilius Eclog. III 10, Georg. II 416.

10. *generosior:* genere maiorumque nobilitate praestantior, qua fretus honores petit.

11. *descendat in campum petitor:* scite *descendat;* siquidem candidatus magno comitatu clientium et amicorum ex domo in campum Martium se conferre solebat honores petiturus. Veteris rei publicae species in magistratibus ambiendis etiamtum obseruabatur. Sueton. Aug. c. 56: *quotiens magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat supplicabatque more sollemni. Ferebat et ipse suffragium in tribubus ut unus e populo.*

12. *moribus hic meliorque fama:* alius de honore cum contendit, moribus suis ac fama fidens in certamen uenit.

13. *turba clientium:* clientes qui pro patrono suffragia ferant. Hi cum multitudine potius ualeant quam auctoritate, *turba* uocantur.

14. *aequa lege:* nullo discrimine aut priuilegio. Necessitas tamquam dea quae sortium urnam temperat, ab Horatio nunc inducitur. Cf. I 35 17.

16. *omne — nomen: capax* urna est ut omnium sortes recipere possit; omne nomen aequa lege mouetur (πάλλεται), ut hoc quouis tempore exsilire et possessorem suum ex uiuis uocare possit. Fortasse respexit Iliad. *H* 181 sqq., ubi ad pugnam uocatur, cuius sors ex motà urna cecidit. 'Haec secundum illam opinionem uulgarem dicuntur, qua affirmatur sorte ductos ad mortem ab Orco trahi'. PORPHYRION. Vergilius Aen. VI 432: *quaesitor Minos urnam mouet.*

destrictus ensis cui super inpia
ceruice pendet, non Siculae dapes
dulcem elaborabunt saporem,
non auium citharaeque cantus

somnum reducent. somnus agrestium
lenis uirorum non humiles domos
fastidit umbrosamque ripam,
non zephyris agitata Tempe.

desiderantem quod satis est neque
tumultuosum sollicitat mare,
nec saeuus Arcturi cadentis
impetus aut orientis haedi,

17. Destrictus *ABHς*: districtus *Ggω*. impia *mei*. 18. syculae *B*. 20. cytharaeque *BG*. 22. humilis *g*. 24. zephyris *B*: zefiris *A*, zephiris *GHg*. 27. saeuus *A*: seuus *BGHg*. 28. hedi *Gg*.

17—24. In hac nostra sorte bona conscientia opus est, ut sine metu agere et dulci somno frui possimus: opes hoc inpio homini ut praestare possint, tantum abest, ut securitas in pauperum domibus plerumque habitet.

17—18. *destrictus ensis cui — pendet:* h. e. qui scelerum conscientia agitatur et terretur, ueluti Damocles in aula Dionysii maioris (Cic. Tusc. V 21).

18. *Siculae dapes:* quales Damocli apponebantur in aula regia. Quod Siculi epulis indulgebant in luxum prompti, nihil huc pertinet.

19. *elaborabunt:* cum labore aut cura parabunt; notum uerbum (*elaborabunt*) callida iunctura nunc commendatur.

21—24. Pauperes saepius quam diuites securitate potiuntur.

21—23. *somnus — fastidit:* iunge *somnus lenis non fastidit humiles domos agrestium uirorum*, h. e. rustici quamuis pauperes saepe curis uacant atque leni somno gaudent.

23. *umbrosamque ripam:* h. e. pastores in umbrosa ripa iacentes.

24. *zephyris agitata Tempe:* pastores in ualle uentis tepidis perflata quiescentes.

25—32. Moderatus damnis uacat et sollicitudinibus.

25. *quod satis est:* quod sufficit naturae paucis contentae. Epl. I 2 46: *quod satis est cui contingit, nil amplius optet;* ibid. II 2 52: *quod non desit* (= quod satis est), *habentem.*

26. *tumultuosum — mare:* tumultu uentorum agitatum. Maris tumultus moderatum uirum non sollicitat, quod neque ipse mari uehitur neque naues eius ibi commeant.

27. *Arcturi cadentis:* Columella XI 2: *quarto kalendas Nouembres Arcturus uespere occidit: uentosus dies.* Plautus Rud. prol. 70: *Arcturus signum sum omnium acerrumum: uehemens sum exoriens, cum occido, uehementior.*

28. *orientis haedi:* cf. ad I 3 14.

29—30. *non uerberatae — mendax:* temperantiae compotem clades uineae fundusque spem fallens non facit sollicitum, quod uineas fundumque aut non possidet aut ob temperantiam eiusmodi damnum facile ferre solet.

30. *fundusque mendax:* praeter uim grandinis etiam ob sterilitatem fundi spes colentis uitem eludi potest,

non uerberatae grandine uineae
fundusque mendax, arbore nunc aquas
culpante, nunc torrentia agros
sidera, nunc hiemes iniquas.

contracta pisces aequora sentiunt
iactis in altum molibus: huc frequens
caementa demittit redemptor
cum famulis dominusque terrae

fastidiosus: sed timor et minae
scandunt eodem quo dominus, neque
decedit aerata triremi et
post equitem sedet atra cura.

30. mendax *om A.* 31. torrencia *B.* 32. Sydera *GH.* 33. equora *Hg.* 34. inaltum *H.* 35. Cementa *Gg.* demittit *AGς duo Blandinii:* dimittit *BHgς unus Bland.* 39. triremi et *Bς:* triremi *AHGgω* (*in A est* decedite aratri remi *pro* decedit aerata triremi et).

cum aut nimii imbres cadunt, aut solis ardor nocuit, aut hiems acrior praecessit. Recte itaque, ut est in bonis libris omnibus, *fundusque mendax* legitur; cf. Aristoph. Nub. 1122: *εἶτα τὸν καρπὸν τεκούσας ἀμπέλους φυλάξομεν, ὥστε μήτ' αὐχμὸν πιέζειν, μήτ' ἄγαν ἐπομβρίαν. Arborem* more uetere *uitem* nominauit, non *oleam,* ut dicit Orellius; lege Gai uerba ex Instit. IIII 11 ad Carm. I 18 1 ascripta. Auaro et instanti domino respondentem uitem et culpam a se amouentem induxit.

33—40. Contrarium describens uiri inmoderati studia et curas persequitur.

33—34. *contracta — molibus:* aequora adhuc libera iactis in altum molibus *contracta* sunt et pisces circumuentos se sentiunt, cum offendunt moles et euadere nequeunt. Cogita lacum structis prope litus molibus ex mari secretum. Simile est quod II 18 20 refertur; ibi moles ex continente in mare ducuntur, nunc in mare profundum (*in altum*) iaciuntur. *iactis:* 'uerbo in ipso usus est fabricantium: iaci enim in mare moles dicuntur, quoties excluditur aqua'. Acron.

34—35. *huc frequens caementa demittit:* ut moles fiat et fundamentum aedificii super mole ponendi, in mare caementa, h. e. lapides firmi et magni, demittuntur. Sic etiam Acron: '*caementa* fundamenta, ubi aedificium consistit'. Interdum caementa sunt lapides in frusta confracti: sed de his nunc non loquitur Horatius. *frequens demittit* poetice dictum pro *frequenter demittit.* Redemptor est qui opus faciendum recepit, *ὁ ἐργολάβος,* uel 'fabricae susceptor', ut loquitur Acron.

36—37. *dominusque terrae fastidiosus:* in mari habitaturus terram fastidire coepit.

37—38. *timor — dominus:* timor et mala conscientia etiam in aedes marinas peruadunt.

38—39. *neque decedit aerata triremi:* cogita ducem militum in triremi aerata, h. e. in naue longa et firma, quae undarum uim facilius tolerat, per mare currere; ad hunc quoque atra cura penetrabit.

40. *post equitem — cura:* mala cura equitem ne tum quidem relinquit, ubi equo regendo intentus est. II 16 21: *scandit aeratas uitiosa*

quod si dolentem nec Phrygius lapis,
nec purpurarum sidere clarior
delenit usus, nec Falerna
uitis Achaemeniumque costum,

cur inuidendis postibus et nouo
sublime ritu moliar atrium?
cur ualle permutem Sabina
diuitias operosiores?

41. phrigius *AGH*, frigius *B*. 42. sydere *G*. 43. Delenit *AG duo Bland.*: Delinit *BHgω unus Bland.* falerna Vitis *Ggς tres Blandinii*, falerna uites *A*, falernę uites *BHς*. 44. achęmoniumq, *A*, achimeniumque *G*, achemeniumque *BH*, acham. *g*. 45. in uidendis *B*. 48. Diuicias *H*.

naues cura nec turmas equitum relinquit.

41—48. Ipse profitetur sibi temperantiam placere, non amplas aedes et splendorem nimis magna et inmoderata quaerentium.

41—43. *quod si — usus:* ex supra dictis sibi praeceptum uitae colligens hoc fecit adhibita particula *quod si*, perinde ut I 1 35.

41. *Phrygius lapis:* marmor Synnadicum uarietate colorum eximium; Strabo XII 8 14 p. 577: *διὰ δὲ τὴν νυνὶ πολυτέλειαν τῶν Ῥωμαίων κίονες ἐξαιροῦνται μονόλιθοι μεγάλοι πλησιάζοντες τῷ ἀλαβαστρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν.*

42. *purpurarum:* h. e. uestium purpurearum. Audaciam loquendi adiuuat numerus multitudinis. Vocem *clarior* a purpuris transtulit ad *usum*, hyperbato paulum licentiore; cf. ad III 20 7—8. Purpureae uestes uersicolores similes sunt micantibus stellis.

43—44. *Falerna uitis:* omnium optima; cf. ad I 20 10. *Achaemeniumque costum:* costum (*Zittwer*), quo Achaemenes uetus rex Persarum (Herodot. VII 11) usus est, aduecto ex Arabia aut Syria. Dioscorides I 15: *κόστου διαφέρει ὁ Ἀραβικός, λευκὸς ὢν καὶ κοῦφος, πλείστην ἔχων καὶ ἡδεῖαν τὴν ὀσμήν· δευτερεύει δὲ ὁ Ἰνδικός, ἁδρὸς ὢν καὶ κοῦφος καὶ μέλας ὡς νάρθηξ. τρίτος δέ ἐστιν ὁ Συριακός, βαρύς, τὴν χρόαν πυξώδης, πληκτικὸς τῇ ὀσμῇ.* Plinius NH. XII 25 (12): *radix costi gustu feruens, odore eximio, frutice alias inutili. Primo statim introitu amnis Indi in Patale insula duo sunt eius genera, nigrum et quod melius candicans.* Costum admiscebatur praestantissimis unguentis. Lege Plinii XIII c. 1 et 2.

45. *inuidendis postibus:* postes ianuae pretioso marmore facti, qui praetereuntium inuidiam moueant. Hos uitat Horatius in urbana domo a se nuper in Esquiliis aedificata (cf. ad Serm. II 3 308), cui nunc ipsum (fine anni 727) ultimam manum uidetur admouisse, quod licet colligere ex uerbis *cur — moliar* sqq.

45—46. *nouo — ritu moliar atrium:* atrium nouo more tectum lacunari, quale descripsit II 18 1—2. Etiam hoc pertinet ad domum quam recens in urbe struxerat.

47—48. *cur ualle — operosiores:* ab urbana domo ad uillam progreditur: ‘cur omissa ualle Sabina operosiores (domino maiorem operam exhibentes) possessiones acquiram’? *mutem* est *συναλλάσσω*, de quo dictum ad I 17 2. Quod poeta de se praedicauit, idem ceteris omnibus temperantiae studiosis commendauit.

II.

Angustam amice pauperiem pati
robustus acri militia puer
condiscat et Parthos ferocis
uexet eques metuendus hasta,

uitamque sub diuo et trepidis agat
in rebus. illum ex moenibus hosticis

Ad amicos. Metr. *cet. A.* De institutione ad amicos loquitur *HB* (*B in dextra parte folii, ut solet a libro tertio*).
1. *Diomedes* III 37. amice *ABGω Blandinii:* amici *Hgς*Σ. 2. milicia *BGHg*. *desunt uu.* 2 *et* 5—12 *A*. 3. et *om H*. ferocis *A:* feroces *BGHg*. 5. dio ς. 6. męnibus *B*.

Carm. II. Prooemium. *Fortitudine Romanus puer imbuendus est, ut hostibus metum iniciat, belli labores et inopiam contemnat. Qui cum casu quodam opprimitur, decora morte fungitur. Vir fortis turpem repulsam numquam patitur, immo fulget honoribus non interituris; idem perfidiam et inpotentem loquacitatem odit ac uitat.* (Metrum Alcaicum)

Editum est carmen anno 727 (a. Chr. 27), quo tempore expeditiones in Occidentem et Orientem paratae hominum spes aut metum excitauerant. Conf. Prooem. Carm. III 1 et I 35. Romanos milites ciuium bellis corruptos uetere disciplina corrigere ac magno animo confirmare post bellum Actiacum Augustus aggressus est. Quod inceptum ut pro uirili parte iuuaret Horatius, de fortitudine (*uirtute*) sic cecinit, ut monstrata uia qua ad illam ueniretur, uaria uiri fortis commoda exponeret (6—24), tum fidem et silentium praecipue postulari moneret.

1—6. *angustam amice — in rebus:* disciplina militaris hoc spectare debet, ut Romanus et hostibus metum iniciat et graues labores tolerare possit; *amice* est amico animo erga paupertatem. 'sic (*amice*) habent omnes manuscripti sine ulla litura aut macula. quem casum quando crederent omnes enarratores esse uocatiuum, nec peculiarem nominaret Horatius amicum, maluerunt efferre pluraliter: unde sumpta ęst haec inscriptio uulgata, ad amicos. sed ab omnibus erratum est ualde inconsiderate, non enim τὸ amice uocandi casus est, sed purum putum aduerbium sententiae praesenti conuenientissimum'. CRVQVIVS.

2. *robustus acri militia:* qui robur uirium nanciscitur, dum acrem militiam obit.

3. *condiscat:* dum acrem militiam tolerat, angustam pauperiem pati simul discat. Nam robur acri militia partum uiro forti non sufficit, siquidem is non solum hostibus, sed etiam inopiae magno animo obuiam ire debet.

3—4. *et Parthos —'hasta:* praeter robur et continentiam accedat equestris pugnae exercitatio, quae uel Parthis equestri militia claris metum incutiat. Conf. Prooem. Carm. III 1.

5—6. *uitamque — in rebus:* forti uiro etiam constantia opus est et indefesso studio, quo fit, ut uir militaris continuo aut in castris et itineribus (*sub diuo*), aut in pugnae discrimine (*trepidis in rebus*) uitam agere debeat.

6—12. Eiusmodi sit miles Romanus, ut aspectum eius hostes exhorrescant pugnamque detrectent.

6. *ex moenibus hosticis:* urbem

matrona bellantis tyranni
prospiciens et adulta uirgo

suspiret, ‘eheu, ne rudis agminum
sponsus lacessat regius asperum
tactu leonem, quem cruenta
per medias rapit ira caedes’.

dulce et decorum est pro patria mori:
mors et fugacem persequitur uirum,
nec parcit inbellis iuuentae
poplitibus timidoue tergo.

uirtus repulsae nescia sordidae

9. heu *H*. 10. lacesset *tres Blandinii*. 12. cedes *BGg*. 14. prosequitur *gς*. 15. ĩbellis *Ag*, inbellis *G:* in bellis *BH*. 16. poblitibus *Ag*. timidoue *ABHgς Acron:* timidoque *Gς*. tergo rł (= reliqua) *A*, *qui omittit u.* 17—32.

hostium obsideri a Romano milite cogitat; *hosticus* antiqua forma est et poetica pro *hostilis*, ut *genticus* pro *gentilis*, *ciuicus* pro *ciuilis;* cf. II 1 1. Huius loci colores Flaccus uidetur duxisse ex *τειχοσκοπίᾳ* Homerica Iliad. *Γ* 161—242.

7—8. *matrona bellantis tyranni* — *adulta uirgo:* illa filio suo bellum gerenti timet, haec sponso auxilia socero adducenti. Vtraque insolito spectaculo fortis uiri commouetur, altera ob maternam caritatem, altera amore sponsi in metum promptior.

9 — 11. *rudis agminum sponsus* — *asperum tactu leonem:* praeclare componuntur sponsus agminum rudis, quales regum filii solent esse, et leo ungue malisque asper.

11—12. *cruenta* — *ira:* ira proeliantis cruore hostium se prodit.

12. *per medias* — *caedes:* obuios quosque caedendo caesis corporibus undique cinctus est. Graeci dicunt *διὰ μέσων αἱμάτων*. Conf. IIII 14 24: *mittere equum medios per ignes*.

13 — 16. Qui pro patria moritur, dulci morte fungitur et decora: fugientem mors nihilo minus assequitur, et ignominia ad cladem accedit.

13. *dulce* — *mori:* sententia primum a Tyrtaeo celebrata (Lycurgus in Leocrat..c. 28): *τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐνὶ προμάχοισι πεσόντα ἄνδρ᾽ ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.*

14. *mors* — *uirum:* Simonides (apud Stobaeum in Florileg. CXVIII 6. Bergk n. 65): *ὁ δ᾽ αὖ θάνατος κίχε καὶ τὸν φυγόμαχον.*

15 — 16. *inbellis iuuentae poplitibus timidoue tergo:* fugiens atque inbellis auersis uulneribus, non aduersis cadit, siue in poplites siue in tergum uulnus adigitur. Itaque eiusdem generis moriendi duae species cum referantur, has separatim poni (*timidoue*) quam iuxta (*timidoque*) uidetur praestare; illud meliores libri suadent.

17—20. Fortitudo (*uirtus*) efficit ut repulsam negatosque a populo honores facillime feramus: ipsa suis honoribus fulget numquam interituris, quae a ciuibus repulsa nihilo minus dignitate sua et decore frui pergit.

17. *repulsae nescia sordidae:* bene addidit *sordidae*, h. e. ignominiosae: nam fortes repulsam pati possunt, sordidam repulsam experiri non possunt.

intaminatis fulget honoribus,
nec sumit aut ponit secures
arbitrio popularis aurae.

uirtus, recludens inmeritis mori
caelum, negata temptat iter uia,
coetusque uulgares et udam
spernit humum fugiente pinna.

est et fideli tuta silentio
merces: uetabo, qui Cereris sacrum
uulgarit arcanae, sub isdem
sit trabibus fragilemque mecum

18. Intaminatis *prior BGHgω:* Cŏtaminatis *corr B*, in — Contaminatis *pauci.* 19. sũmit *H.* 21. inmeritis *BG*, ĩmer. *g:* immeritis *H.* 22. ire ς. 23. cętusque *BGH.* 24. pinna *u. Blandinius:* penna *BGHgω.* 27. Vulgarit *GHgω:* Vulgauit *Bς.* archanae *BGH*, archane *g.* 28. fragilemue *Bentleius.*

18. *intaminatis:* qui contaminari nequeunt, ut *indomitus, inuictus* cet. *Intaminatus* noue procusum est ex obsoleto uerbo *taminare.*

19—20. *nec sumit — aurae:* sententia modo pronuntiata ut magis illustretur, iam rebus Romanis accommodatur; cf. IIII 9 39: *consulque non unius anni.*

21—24. Fortitudine uera gloria et inmortalis acquiritur.

21. *inmeritis mori:* h. e. qui rebus gestis meruerunt ut morti eximantur et in hominum memoria uiuere non desinant.

22. *negata temptat iter uia:* ut caelum recludere possit, negata aliis mortalibus uia ingredi temptat.

23. *coetusque uulgares:* uulgus profanum, ut est III 1 1. Cogitat concilia populi, honores quae saepe tribuunt indignis, denegant bonis.

23—24. *udam — humum:* huic diuersus est liquidus et purus aether, ad quem tendit uirtus.

25—26. Viro forti et militari fides et silentium praecipue necessaria sunt. Qui commissa produnt, inpotenti animo sunt et fortitudine carent. Tacitus Hist. I 83: *ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinae habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Si, ubi iubeantur, quaerere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit.* Recte comparant hoc Simonidis: ἔστι καὶ σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας (n. 66 ed. Bergk), ab ipso Augusto laudatum et commendatum (Plutarchi Apophthegm. Imper. c. 7).

26—29. *uetabo qui — phaselon:* haec addidit, non Hercule quo mysteriis consuleret et sacro illi silentio suppetias ferret, sed ut fidem et taciturnitatem, contrarium his uitium exagitando, celebraret.

26. *Cereris sacrum: sacrum* pro eo quod est *sacra* (τὰ ἱερά) poetae dandum est.

27—29. *sub isdem sit trabibus fragilemque mecum soluat phaselon: sub isdem trabibus* est in eadem naue siue firma siue non firma. Periculi significatus augetur illatis *fragilemque — phaselon:* phaselus enim leue nauigium est et in longitudinem porrectum, quod facile frangitur. Recte igitur in codicibus scribitur *fragilemque*, non *fragilemue*, ut coniecit Bentleius, atque Orellium mire

soluat phaselon: saepe Diespiter
neglectus incesto addidit integrum;
raro antecedentem scelestum
deseruit pede Poena claudo.

III.

Iustum et tenacem propositi uirum

29. phaselon *Bgς:* phaselum *GHς.* sepe *BGHg.* 31—32. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 543, *scholiasta Statii Theb.* V 60. 32. Deseruit *ascriptum in H manu rc.*

Ad Musas de Augusto *B.* De Augusto ad M. *H.*

fefellit opinio, cum *facilemue* inesse in libro A narraret: quippe huic uersus 17—32 desunt.

29—32. Cautionis modo dictae causam addit, ueterem secutus opinionem et cautelam.

29. *Diespiter:* cf. ad I 34 5.

30. *incesto:* incestus est ἐναγής, qui scelere sese maculauit.

32. *pede Poena claudo:* claudo pede Poena uidetur esse, si dea, quae scelestos plerumque celerrime assequitur, nefarium deseruit. Poenam dixit Graecam Ἐρινύν. Sophocles Electr. 479: ἥξει καὶ πολύπους καὶ πολύχειρ ἁ δεινοῖς κρυπτομένα λόχοις, χαλκόπους Ἐρινύς. In uerbis *pede Poena* syllabarum consonantiam quaesiuit carminis fini nouitatis lenocinium additurus.

Carm. III. Prooemium. *Vir iustus nulla ui a proposito deterreri potest. Hac arte heroes caelum attigere, hac Augustus eodem contendit. Cuius uirtutis tanta potentia est, ut Romulum, quem Iuno matre Troica natum odio habuerat, ad caelestes admitti ipsa uellet, populoque Romuli magnum imperium promitteret, hac tamen lata conditione, ut iustis armis Romani decertent, ne inter Troiam, perfidiae et periurii sedem, atque urbem Romam ulla societas commerciumue intercedat. Sin Romani nimium pii Troiam reparare uolent, magna inde damna et ipsis et colonis Troianis euenient.* (Metrum Alcaicum)

De iustitia praeceptor honesti sic canere uoluit, ut illam uiri iusti uirtutem celebraret, qua munitus non modo suum cuique tribuat, sed quodcumque iustum esse uiderit, quouis modo obtinere et humano generi conciliare studeat, tenax propositi et nullis difficultatibus absterritus. Sed idem praeter hoc aliud egit, de quo quamquam historiae monumenta taceant, Flacci uerba tamen apertiora sunt, quam ut uera ratio latere possit. Inde hoc colligi ac disci posse uideatur. Postquam in diuersa parte terrarum prouincia Aegyptiaca magno ambitu et opibus ualida imperio Romano adiuncta est (724), Asiae res ab Augusto compositae (725), noui exercitus aduersum Arabas et Parthos conscripti sunt (727), tunc in senatu extitere qui suaderent, ut Ilium uetus, Homeri carminibus inclitum et olim in planitie Troiana situm (non *νέον Ἴλιον* in ora maris et alio loco conditum), mater urbis Romae, restitueretur et Orientis caput destinaretur, quo facilius terrae longo mari discretae ex noua sede coercerentur, quod

non ciuium ardor praua iubentium,
non uultus instantis tyranni
mente quatit solida, neque auster,

dux inquieti turbidus Hadriae,
nec fulminantis magna manus Iouis:
si fractus illabatur orbis,
inpauidum ferient ruinae.

3. tiranni *H*. 5. adriae *G*, adrie *g*. 7. illabatur *GHgω*: illabetur *pr Bς*. 8. inpauidum *BG*: imp. *Hg*.

bello in Parthos et Arabes transmittendo aptum esset. Quod consilium cum urbi imperioque perniciosum perspexissent Maecenas et Augustus, sed res multorum rumoribus ferretur, Horatius suis armis contra pugnare coepit. Sic intexuit episodium illud a primario carminis proposito non alienum, impugnandae sententiae a grauibus auctoribus, ut uidetur, prolatae non ineptum, nouitate φαντασίας poeticae multum gratiae et honoris habiturum. De tempore editi poematis in Prooemio Carm. III 1 dictum est. Fallitur Porphyrion scribens: 'non est alia haec oda quam superior, sed illi adhaeret; quare falluntur qui eas separant, quippe quae manifeste cohaereat' (cohaereant). Quae opinio fecit, ut haec oda in u. Blandinio et in libro Parisiensi (C) ac nonnullis aliis priori carmini continuata sit. Secuti sunt editores nonnulli.

1—8. Virum iustum a proposito non ciues, non tyrannus, non minae caelestes deterrent.

1. *tenacem propositi:* 'in secta Stoica hoc dicitur, iustum uirum honestique propositi non terreri ciuium opinionibus uel minis, exigentium ut aliquid forte rationi contrarium fiat'. Acron. Iustitiam usu euentisque probatam laudare uoluit, simul, credo, respiciens Augusti consilia illis aduersa qui Troiam restituere suaderent.

2. *ciuium ardor praua iubentium:* cogita lymphatam liberae ciuitatis contionem, quae frustra postulat ut uir iustus sententiam sibi non probatam accipiat aut exequatur. *Iubet* contio, patres *auctores fiunt*, magistratus *edicit*.

3. *non uultus instantis tyranni:* etiam coram rege legibus soluto propositum tenet iustus; 'a populo ad regem, a rege ad elementum, ab elemento ad deum, a deo ad mundum labitur'. Acron. *instat* qui praesentem acriter impellit; admisceri minas nomen *uultus* significat.

4. *mente quatit solida:* qui quatitur, de statu plerumque deicitur: sed *solida* mens, qualis est uiri iusti, quatientibus resistere potest.

4—6. *neque auster — Iouis:* post hominum terrores ad naturae uires et deorum minas progreditur.

5. *dux — Hadriae:* sinus Hadriaticus per se inquietus turbido duce austro, qui undas ex alto mari introrsus pellit, magis agitatur. Vir iustus tali discrimine prehensus de solito mentis statu non detruditur. Cf. I 3 15: *quo non arbiter Hadriae maior* cet.

6. *magna manus Iouis:* noue pro *magni Iouis manus*. Magni numinis manus ipsa magna est.

7. *fractus — orbis:* orbis est caeli orbis qui super terras pendet.

8. *inpauidum — ruinae:* ruinae ipsum ferient, sed quod boni conscius sibi est, sine pauore mortem obibit.

hac arte Pollux et uagus Hercules
enisus arces attigit igneas:
quos inter Augustus recumbens
purpureo bibet ore nectar.

hac te merentem, Bacche pater, tuae
uexere tigres indocili iugum
collo trahentes, hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,

gratum elocuta consiliantibus
Iunone diuis. 'Ilion, Ilion

10. Enisus *BHω u. Blandinius:* Innisus *Ggς.* 12. bibet *BGHω* (*u. Blandinius*)*:* bibit *gς.* 13. Hac inherentem *H.* bacche *B:* bache *GHg.* 14. tygres *BGg.* 18. ilyon, ilyon *G.*

9—16. Quod iustum est dum constanter persequuntur, heroes caelum adepti sunt, Augustus olim merebit.

9. *hac arte:* cum usu probatur iustitia, *ars* est. Itaque *hac arte* ualet 'hoc iusta faciendi studio et labore'. Pollux cum Castore et Hercules monstra extinxerunt, superbos et iniustos uarie ulti sunt. Conf. Epl. II 1 5—12. *uagus Hercules:* peruagatus est orbem terrarum, ut iustos iuuaret, iniustos coerceret.

10. *enisus — igneas:* udam humum fugiens et tendens in altum arces igneas, h. e. lucidas sedes deorum, consecutus est.

11—12. *quos inter — bibet ore nectar:* Augusto iusta consilia persequenti inmortalitatem praedicit et consortium cum superis. Vernilem adulationem in Horatium congerit scriptura *bibit* a poetae consilio quam maxime aliena. In uetere Blandinio fuisse *bibet* ex hoc scholio Cruquiano colligo: '*bibet:* ubi ad hoc meritum peruenerit uia uirtutis'.

12. *purpureo — ore:* purpureum os erit in luce et fulgore recumbentis et aeterna iuuenta ibi fruentis. Nam purpureum os proprium est iuuentutis. Catullus 45 12.

13. *hac te merentem:* merentem indefesso iustum faciendi studio. Pater uocatur, quod paterno fauore et beneuolentia homines prosecutus est.

14—15. *indocili — trahentes:* iustitia et constantia saeuissima quaeque deleniuntur.

15. *hac Quirinus:* etiam Quirinus constantia iustitiaque caelum parauit. Vocula *hac* nunc tertium in carmine perfecto repetita, cum plerumque in binario numero se continere Flaccus amet, minus offensionis habet, propterea quod primo loco *hac arte* dixit, tum bis simplice *hac* usus est. De Romulo in caelum elato cf. Ouidius Fast. II 495, Metam. XIIII 805. Plutarchus Rom. c. 28. Dionysius Hal. II 57.

17—68. De longo hoc episodio uarie explicato dixi quae sentirem ad huius carminis initium. Falluntur qui exemplum praeiuisse Ennium suspicantur; cf. Ennianae poesis reliquiae. Recens. I. Vahlen, p. XXXII.

17—18. *gratum — diuis:* deorum consilium fuisse significat, antequam Romulus mortalem uitam expleret; *consiliari,* h. e. in consilio disceptare, redit AP. u. 196.

18—24. Ilion, ob iniustum faci-

fatalis incestusque iudex
et mulier peregrina uertit

in puluerem, ex quo destituit deos
mercede pacta Laomedon, mihi
castaeque damnatam Mineruae
cum populo et duce fraudulento.

iam nec Lacaenae splendet adulterae
famosus hospes, nec Priami domus
periura pugnaces Achiuos
Hectoreis opibus refringit,

21. distituit *pr B.* 22. laumedon *H.* 23. Casteq; *Hg.* damnatam *Bentleius:* damnatum *gω*, dampnatum *BH; cf. Commentar. ad* I 10 14. 25. lacenae *BG*, lacene *g.* 28. restringit *B.*

nus a Laomedonte commissum iam pridem a me et Minerua damnatam, nouum scelus pessum dedit.

18. *Ilion*, *Ilion:* epanalepsis curas et molestias ex urbe inuisa sibi natas prodit.

19. *fatalis incestusque iudex:* fatalis, quem a fatis datum nulla ratio uitare potuit, *incestus*, qui raptum mulieris et adulterium ausus est.

20. *mulier peregrina:* matrona Iuno non sine contemptu Paridis nomen et Helenae reticet, nefarios homines signis notasse contenta.

21—22. *ex quo — Laomedon:* cur hoc interpositum est, Troiam statim post Laomedontis perfidiam a Iunone et Minerua damnatam, i. e. exitio destinatam esse? Scilicet deas non tam suam iniuriam ulcisci quam *iniustitiae* sedem odio persequi finxit, hoc tribuens argumento carminis iustitiam suadentis, iniquitatem exagitantis. Quae res non perspecta peperit coniecturam *ex qua* a Lachmanno suppeditatam (Museum Rhen. nou. III p. 616). De Laomedontis perfidia cf. Homeri Ilias Φ 441—460.

24. *cum populo et duce fraudulento:* populum Iliensem regi Laomedonti consensisse in deis fraudandis significauit: nam epitheton *fraudulento* ad utrumque pertinet. Iunonem et Mineruam etiam Troiae ab Hercule et Telamone expugnatae causam fuisse, mox restitutae urbis odium dearum mansisse haec uerba profitentur. Dux *fraudulentus* Laomedon est, non Paris neque Priamus.

25—30. Iam euentus irae diuinae paucis declaratur; 'eleganter haec dicuntur, quasi ostendat Iuno se ad satisfactionem usque ultionem percepisse de Troianis.' PORPHYRION.

25—26. *iam nec — famosus hospes:* quod Paris Helenae adulterio cognitae (*adulterae*) splendida ueste et comptis crinibus se iactauit, ut Paridem inducit Homerus sub finem tertiae rhapsodiae Iliadis, hoc matronae Iunoni noua odii causa fuit. Eadem uerbis *famosus hospes* laesa hospitii iura significauit, ut *iniustitia* Paridis notetur.

26—28. *nec Priami — refringit:* tota Priami domus iniusta et perfida appellatur ob fidem illam Argiuis datam, mox laesam (Hom. Il. Δ 104 sqq.). Illa domus non iure sed ui grassari uoluit ideoque merito cecidit. Etiam hoc postulauit carminis propositum.

nostrisque ductum seditionibus
bellum resedit: protinus et grauis
iras et inuisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,

Marti redonabo. illum ego lucidas
inire sedes, ducere nectaris
sucos et ascribi quietis
ordinibus patiar deorum.

dum longus inter saeuiat Ilion
Romamque pontus, qualibet exules
in parte regnanto beati;
dum Priami Paridisque busto

29. sedicionibus *Hg*. 30. grauis *B*: graues *GHg*. 34. ducere *Gω* (*u. Blandinius*): discere *BHgς*. 35. sucos *GHg*: succos *eraso priore* c *B*. ascribi *mei*, *non* adscr. 37. inter seuiat *BG*, intersaeuiat *H*, interseuiat *g*. 38. Romanque *B*.

29. *nostrisque ductum seditionibus:* paucis causam indicauit, cur gens sibi Mineruaeque damnata tam diu bellum tolerare potuerit.

30. *protinus:* extemplo, sine mora; cf. Serm. II 5 21.

31. *inuisum nepotem:* Romulus nepos est Iunoni ut Marte genitus, *inuisus* ut matre Troica natus.

32. *Troica quem peperit sacerdos:* Troica sacerdos est Ilia Aenea genita, ex urbe Troiana (*Troica*) in Italiam translata, post mortem Anieni aut Tiberi nupta. Nam Horatius ueteris famae traditionem secutus est, quam legas apud Seruium ad Vergilii Aen. I 273: *Naeuius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.* Idem ad VI 778: *dicit namque* (Ennius) *Iliam fuisse filiam Aeneae: quod si est, Aeneas auus est Romuli.* Sic liquebit cur Iuno Horatiana de tempore, quo Romulus in caelum ascendit, ita loqui possit, quasi non diu post euersam Troiam ad diuos sublatus sit.

33. *Marti redonabo:* per ζεῦγμα notiones *condonabo* et *redonabo* uno uerbo iunguntur: nam ad *iras* aptum *condonabo* (= remittam), ad *nepotem* autem *redonabo*, siquidem Romulus in caelum admissus patri Marti redonatur.

34—35. *ducere nectaris sucos:* qui ex mortalibus recens ad inmortales euectus est, hunc magna uoluptate ducturum esse nectaris sucos Iuno cogitat. *Ducere* est σπᾶν, ἕλκειν. Veram scripturam *ducere* sequitur Acron explicans 'propinare, potare', item Cruquii commentator: alteram non aptam *discere* interpretatus est Porphyrion, 'assuescere saporibus nectaris'.

35. *quietis:* aeterna quiete et otio fruentibus; 'philosophi' (Epicuri placita secuti) 'enim hanc beatitudinem dis dederunt, qua eos otiosos esse et nihil curare nec alicuius rei sollicitudine teneri dicant'. ACRON.

37—44. Dum inter Troiam ueterem et Romam nulla societas obtineat, Romani beati et uictores sunto. Hanc conditionem magnitudinis Romanae superis approbantibus Iuno proponit; cf. ad u. 57.

37—38. *dum — pontus:* hoc poetice dictum pro 'dummodo omne commercium inter Romam et Ilium omittatur'. Quippe *saeuire* praesumitur mare a nautis uitatum ac desertum, placidum esse in quo multae naues huc illuc commeant.

insultet armentum et catulos ferae
celent inultae, stet Capitolium
fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.

horrenda late nomen in ultimas
extendat oras, qua medius liquor
secernit Europen ab Afro,
qua tumidus rigat arua Nilus,

aurum inrepertum et sic melius situm,
cum terra celat, spernere fortior
quam cogere humanos in usus
omne sacrum rapiente dextra.

42. Cęlent *H.* 46. horas *GH.* licor *H.* 49. inrepertum *BGHω*, īrepertum *g.* 50. cęlat *H.*

38—39. *qualibet — beati:* componit parua initia patriam fugientium (*exules*) et magnum imperium ab isdem parandum.

40. *Priami Paridisque busto:* narrante Vergilio (Aen. II 557) obtruncati Priami cadauer in litore proiectum est: Horatius pro suo consilio statuit sepulcrum euenisse.

40—42. *dum Priami — celent inultae:* ne Iunonem falsa praedicentem induxisse uideatur Horatius, hoc tolle memor, Flaccum in eorum numero fuisse qui *νέον Ἴλιον*, urbem satis amplam et ad litus maris sitam, non esse oppidum ab Homero designatum recte sibi persuasissent; cf. Strabo XIII 1 § 25—27 p. 592—595. Eadem persuasio subest etiam uersibus 57—68.

42—43. *stet Capitolium fulgens:* fulgor Capitolii signum est uictricis gentis et opulentae: fulget enim auro et argento.

43—44. *triumphatisque — Medis:* cum Horatius haec cecinit, exercitus debellandis Parthis (*Medis*) colligebatur, quamquam haec expeditio mox omissa est. Conf. Prooemium Carm. I 35, III 1. Contraria sunt *triumphati Medi* et *Roma ferox*, h. e. ferox armis et bello. *Triumphati* secutus poetas ausus est etiam Tacitus Germ. c. 37.

45—56. Imperium Roma proferat in extremas terras, si domuerit inprobam auri cupidinem iustitiae contrariam.

45. *horrenda late:* cf. *late tyrannus* III 17 9. Vergil. Aen. I 21: *populum late regem.* Iungere noli *late extendat*, uel ob hoc quod uerbo *extendat* additum est *in ultimas oras.* Obiter expeditionibus Augusti ductu aut auspiciis tunc suscipiendis euentum promittit.

46. *qua medius liquor:* dicit fretum Gaditanum quod Europam et Africam interluit.

48. *qua tumidus rigat arua Nilus:* cum Nilus intumescit (*tumidus* est) et ripas egreditur, arua rigat. Aegyptum ab Augusto recens imperio acquisitam poeta significauit.

49—51. *aurum — spernere fortior quam cogere:* inest conditionalis significatio in sermone pedestri sic efferenda: 'si aurum spernere fortior erit quam cogere'. Nimirum auri fames aduersa est iustitiae suum cuique tribuenti et uindicanti.

52. *omne sacrum:* quicquid deis

quicumque mundo terminus obstitit,
hunc tangat armis, uisere gestiens
qua parte debacchentur ignes,
qua nebulae pluuiique rores.

sed bellicosis fata Quiritibus
hac lege dico, ne nimium pii
rebusque fidentes auitae
tecta uelint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
fortuna tristi clade iterabitur,

53. mundi *perpauci.* 54. tanget *BHgω:* tangit *G*, tangat *pauci.* 55. debachentur *BGHgω:* debachantur *Turicensis.*

reseruatum est, siue est in uisceribus terrae absconditum et usui hominum diuina uoluntate subtractum siue in templis deorum repositum. Successum promittit iustum piumque bellum gerentibus, non aedes sacras spoliantibus, non uiscera terrae cupide rimantibus.

53. *quicumque — obstitit: mundum* intellege terram habitabilem; usque ad terminos huic in torrida zona et frigida obiectos perueniet Romanus.

55. *qua parte debacchentur ignes:* haec Arabicam expeditionem tunc paratam et terras in Oriente subigendas spectant.

56. *qua nebulae pluuiique rores* (h. e. nebulae roresque in pluuiam diffluentes): haec pertinent ad Britannicam expeditionem tunc praeparatam.

57—68. Clarius eloquitur illa de Troiae urbe non reparanda et minas admiscet, si secus ac suasit fiat. Cum ceteri di Iunoni consentiant (hoc inest illis: *gratum elocuta consiliantibus Iunone diuis*) Troiam non reparandam esse, ipsi Romani a colonia in eam regionem deducenda abstinere debent, nisi forte triste et infelix inceptum aggredi uolent.

57—58. *fata:* sortem ipsis destinatam; cf. I 15 5: *ut caneret fera Nereus fata.* *dico* est *indico*, *definio.*

58. *nimium pii:* nimium pii erga μητρόπολιν a se restituendam.

59. *rebusque fidentes:* opibus et armis freti.

61. *alite lugubri:* tristibus auspiciis, ut I 15 5: *mala aui.* Vrbs illa infelix non nisi auspiciis iniquis renasci poterit. Aberrauit Porphyrion scribens: 'hic autem sensus inde conceptus est, quod Flauius Fimbria legatus Cinnae Ilium temporibus Sullanis oppugnauit ac diruit, quem mox seditio militum occidit'. Conf. ad u. 40—42.

62. *tristi clade iterabitur:* tristi clade iterum concidet.

66. *auctore Phoebo: auctore* exquisitius dictum quam *structore* uel *conditore:* ostendit enim deum facile et sine labore perficientem quod uoluit. De re cf. Pind. Olymp. VIII 31.

66—67. *meis — Argiuis: meis* ualet *caris mihi.* Iunoni morem gerentes in uicem proteguntur. *Argiuos* uocauit usum Homeri secutus, cui Ἀργεῖοι et Ἀχαιοί sunt Graeci Ilium oppugnantes.

67. *excisus:* murus aeneus et diuinus non sine magno labore tolli potest: hoc inest in uerbo *excisus.*

ducente uictrices cateruas
coniuge me Iouis et sorore.

ter si resurgat murus aeneus
auctore Phoebo, ter pereat meis
excisus Argiuis, ter uxor
capta uirum pueros que ploret'.

non hoc iocosae conueniet lyrae.
quo, Musa, tendis? desine peruicax
referre sermones deorum et
magna modis tenuare paruis.

65. Tersi *pr B.* aeneus *GH:* eneus *g pr B.* 66. ductore ς. phębo *H*, phebo *BGg.* 69. conueniet *BGgω Blandinii:* conueniat *H*ς.

67—68. ***uxor capta — ploret:*** uxor hostium potestati subiecta pueros uirumque ferro caesos deplorabit.

69. *non hoc iocosae conueniet lyrae:* lyra iocos sectante se adhuc usum esse dicit; modeste tamen ponit *conueniet*, non *conuenit*, ne inceptum suum omnino reprobasse uideatur.

72. *magna — paruis: paruos* uocat modos strophae Alcaicae, quae quamquam ceteros uersus ab Horatio factos praecellit, huiusmodi tamen argumentis impetus modorum Pindaricorum requiri uidetur.

IIII.

Descende caelo et dic age tibia
regina longum Calliope melos,
seu uoce nunc mauis acuta,
seu fidibus citharaue Phoebi.

Ad Calliopẽ Musã. Metr̃ quod supra *A*. Ad calliopẽ musam *B*. Ad Calliopen Musam *H*.

1. escende (*omittit primas carminum litteras*) *G*. et *om B*. tybia *G*, thibia *B*. 2. callyope *G*. 4. citharaue *AHgω*, cytharaue *BG:* citharaque *pauci*. phebi *BGg*, phębi *H*.

Carm. IIII. Prooemium. *Te, Calliope, modo inuocatam audire me puto et errare mihi uideor per lucos sacros. Perinde puer olim in locis patriis uagabar aperto deorum praesidio protectus. Nunc quoque, Camenae, fauore uestro gaudeo, quemcumque Italiae locum adii; uos ex grauibus uitae periculis me conseruastis; uobis fretus ferocissimas gentes incolumis uisam. Vos Caesarem bella componentem, pacem fouentem recreatis, uos lene consilium datis et adiuuatis. Vires stulte ruentes, ueluti Titanes et Gigantes, mole sua cadunt. Vim temperatam di prouehunt: nefariam tollunt poenisque ulciscuntur.* (Metrum Alcaicum)

De sapientia praeceptor uirtutis sic cecinit, ut potentiam Calliopes et Musarum, quae uetustissimae scientiae antistites fuere, uarie celebraret, mox ad contrarium degressus uires insipientes sua mole ruere doceret. Qua occasione quod de semet ipso plura prompsit, etiam de Caesare Octauiano nonnihil aspersit, id in hunc modum explicandum mihi uidetur. Noua carmina, de uirtute et bonis moribus postulata (cf. I 32), hoc poemate, opinor, exorsus est. Hinc Caesarem bella finientem pacisque artium studiosum laudauit, hinc Musarum alumnum se esse uarie significauit. Quippe oneri nuper suscepto sese parem esse sic probatum iuit, ut se puerum praesidio diuino et fauore Musarum usum esse, mox iuuenem uirumque magna tutelae caelestis signa agnouisse profiteretur. Haec sententia comprobatur illis quae de successione horum carminum ad primum disputata sunt. Nam hanc odam et sextam ceteris priores natas esse intelleximus. Sed quoniam poema primum a se factum primo loco collocari noluit, res ipsa ferebat, ut illi carmini quod primum collocauit, nouum prooemium adderet. Sic duplicis prooemii rationem iuste intellegi explicarique crediderim. Carmen anno 726 (a. Chr. 28) natum esse in Prooemio ad primam huius libri oden ostensum est.

1—2. *descende — melos:* ut ipse mortalis Musae caelestis uocem audiat, deam de sede sua in terram descendere necesse est. *Longum* recte hoc carmen uocauit auctor: est enim longius quam ullum aliud adhuc ab ipso editum. Fallitur Porphyrion, cum scribit: '*descende caelo* ad illud pertinet, quod uelit iam transire a Iunonis sermonibus quos in caelo habuisse eam ostenderat.' Immo prius carmen a. 727, hoc a. 726 factum est; cf. Prooem. III 1.

3. *uoce — acuta:* si uoce *acuta* melos dicere maluerit, tibiam, ut primo uersu rogauit poeta, adhibebit, si *graui*, fidibus citharaue Phoebi utetur. Triplex optio est cantum comitantis instrumenti.

auditis an me ludit amabilis
insania? audire et uideor pios
errare per lucos, amoenae
quos et aquae subeunt et aurae.

me fabulosae Vulture in Apulo
altricis extra limina Dauniae

7. amenae *G*. 9. fabulose *Ag*. uölture *B*. 10. Altricis *Hgς* (*u. Blandinius*): Nutricis *ABGωΣ duo Blandinii.* limna (*h e.* limina) *A*, limina *Parisinus* 7900: limen *BGHω*. Dauniae] pullię (*sic*) *A*, puliae *Parisinus* 7900, apuliae *BGHω*, apulie *g; conf. Commentar.*

4. *seu fidibus citharaue Phoebi:* fides sunt chordae (χορδαί) ouium, quae in *lyra* a Mercurio inuenta adhibitae et in testudine intentae sunt, unde lyra Mercurii uocatur (III 11 3) *septem callida neruis.* Hymn. in Merc. 51: ἑπτὰ δὲ συμφώνους ὀΐων ἐτανύσσατο χορδάς. Eadem *fides Cylleneia* uocatur Epod. 13 9. Iam fidibus a Mercurio repertis et fratri Phoebo donatis componitur *cithara*, maior quam lyra et olim lineis chordis ornata, ipsius Phoebi inuentum (cf. Pausanias V 14 6 (8), VIII 17 4, annot. ad Carm. I 10 6). Recte igitur libri meliores et plurimi *citharaue* scribunt, non *citharaque.*

5. *auditis:* alloquitur eos quibus statim et primum audituris hoc carmen a Calliope acceptum cantaturus est. Falso Acron: 'dum (corrige *cum*) ad solam Calliopen loqueretur, dixit *auditis*'. Melius idem: '*an me ludit* uelut interrogans sodales suos posuit'.

6—7. *audire et uideor* — *errare:* *audire* Calliopen sibi uidetur et ipse *errare* per lucos. Quippe deam ut rite audire possit, a populo secretus in lucos sacros (*pios*) sibi uidetur abisse. Tacitus Dial. 12: *secedit animus* (poetarum) *in loca pura atque innocentia fruiturque sedibus sacris.* *Videor* breuiter dictum pro solito *mihi uideor* etiam II 1 21.

9—20. Vt nunc in loca pura et sacra secessisse mihi uideor, sic a puero per patrios saltus sub praesidio diuino uagatus sum. Vnde liquet Musarum sacerdotem me destinatum esse.

9. *fabulosae:* quae sunt fabulosae palumbes? respondent, de quibus uariae fabulae narrantur, ut I 22 8 est *fabulosus Hydaspes.* At nunc non fabulam narrare uoluit, sed rem ueram. Quapropter *fabulosae* noue uidentur dici ad fabulandum promptae siue quae multa secum fabulari solent (*die schwatzhaften*). Fabulosae palumbes futuram infantis eloquentiam monstrauerunt.

10. *altricis extra limina Dauniae:* ut hoc loco saniorem scripturam reddere possimus, prae ceteris debemus Lachmanno ad Lucretium I 360 p. 37 graue uulnus sic demonstranti: 'sed de *Apulia* et *Apulis* numquam dubitatum est quin prima syllaba producenda esset, itaque Lucilius apud Festum p. 313 11 in hexametro *Apuliden pedibus stlembum.* Quare indocte prouocant ad ambiguitatem propriorum qui in Horatii carminum III 4 tuentur uersum foedissime interpolatum hunc, *Altricis extra limen Apuliae*'. Haec ille. APVLVS est etiam in titulis ueterum; cf. Th. Mommsen *de dialectis inf. Ital.* p. 350 et Inscript. R. N. 1072. 1495. 1744. 3562. Monstra scripturae sunt *Appulus*, *Appulia*, *Apullia*, quae utinam tandem exolescant. *Apulia* terra est *Apulorum*, et tam in *Apulo* quam in *Apulia* prima longa est, proxima breuis. Duplice igitur metri uitio uulgata laborat. Porro *extra limen Apuliae* foret *extra Apuliam:* atqui Vultur Apulus non est extra Apuliam sed in ipsa Apulia. Quid multa? pro *Apuliae* scribendum est

ludo fatigatumque somno
fronde noua puerum palumbes

texere, mirum quod foret omnibus,
quicumque celsae nidum Acherontiae
saltusque Bantinos et aruum
pingue tenent humilis Forenti,

ut tuto ab atris corpore uiperis
dormirem et ursis, ut premerer sacra
lauroque collataque myrto,
non sine dis animosus infans.

uester, Camenae, uester in arduos
tollor Sabinos, seu mihi frigidum

13. mirũq; foret *H.* 14. acheronthiae *A*, acheronciae *H*, acheruntiae *B*, acheruncie *g*, acherunthiae *G*. 15. Bantinos] *prius* n *erasum in G.* 16. forenti *A* (*sic*) *BHς*: ferenti *g pr G corr Bω*. *u.* 17—20. desunt *A*. 19. conlataque *G*. 20. diis *GHg*.

Dauniae (= *Apulae*) suadentibus Düntzero et Paldamo (*de Imitatione Horat.* et Mus. Rhen. nou. t. VI p. 633), quod cum ego duce Horatio (IIII 6 27, II 1 34; cf. III 30 11, IIII 14 26) olim inuenissem, mox ab aliis occupatum esse comperi; in ceteris adhaerescendum est uestigiis uetustissimi codicis Bernensis. *extra limina altricis Dauniae* (*über die Schwelle meiner Daunischen Nährmutter hinaus*) est *procul a Venusia*; *Dauniae* adiectiuum est, non substantiuum, ut credidit Düntzer. Quod pro *altricis* in codicibus et bonis et antiquis *nutricis* reperitur, interpolatio est ex falsa explicatione uetere nata: nam scholiastae (Acron, Porphyrion, Commentator Cruquii) *Apuliam nutricem* pro Apula nutrice Horatii perperam acceperunt. Lege nugas illorum: 'fabulosam uero nutricem appellauit, quod hae fere alumnis suis narrare fabulas solent'. Acron. 'Vultur mons in Apulia, ubi dicit se poeta educatum a nutrice quam fabulosam appellauit, quod nutrices alumnis suis fere fabulas narrare solent'. Porphyrion.

11. *ludo fatigatumque somno*: h. e. ludo somnoque fatigatum, contractum ex *ludo fatigatum fatigatumque somno*; cf. ad II 19 28.

12—13. *fronde noua — texere*: quod de columbis in os Pindari recens nati uolantibus traditum erat, item de Aeschylo et Platone, ut eloquentiae dulcedo praediceretur, hoc a Flacco ad suam infantiam ita accommodatum est, ut proprio deorum praesidio se gauisum esse narraret.

14. *celsae nidum Acherontiae*: 'Acherontia ciuitas est Apuliae contermina Lucaniae, quam ob hoc nidum appellauit, quia parua est et in montis constituta summitate'. Acron. Ordo Acerunt*inorum* memoratur in Mommseni I. R. N. 430. Nunc uocatur *Acerenza*.

15. *saltusque Bantinos*: 'Bantina ciuitas est Apuliae, contermina Venusinae ciuitati'. Acron. Nunc *S. Maria di Banzi*.

17—18. *ut tuto — ursis*: particula *ut* (ὡς) pendet ex propiore *quod mirum foret*, non ex remoto nimis *fronde noua texere*, h. e., explicatiua ui nunc fungitur, non consecutiua.

18—19. *ut premerer sacra lauroque collataque myrto*: non sine ratione laurum Apollinarem, qua co-

Praeneste, seu Tibur supinum,
seu liquidae placuere Baiae.

uestris amicum fontibus et choris
non me Philippis uersa acies retro,
deuota non extinxit arbos,
nec Sicula Palinurus unda.

utcumque mecum uos eritis, libens
insanientem nauita Bosporum
temptabo et urentes harenas
litoris Assyrii uiator,

23. Preneste *BG.* tybur *BGg.* Tibur supinum] cliuumque supinum *schol. Iuuenal.* III 192. 27. extinxit *mei, non* exst. arbos *A*, *ut uidetur* (*ibi enim* s *et* r *difficile discernuntur*) ς *Turicensis:* arbor *BGHgω.* 28. sycula *B.* *u.* 29. *om A.* Et cumq; *G*, Vt cunque *H.* 30. bosphorum *ABGHgω.* 31. urentes *ABGHgω:* arentes ς; '*cod. Bland. et Maldeg. legunt* urenteis'. Crvqvivs. harenas *AHg.* 32. Littoris *nunc AGH, non Bg.* asyrii *G.*

ronantur poetae, uidetur memorasse; *premerer* est undique contegerer.

21—28. Etiamnum Musae me tuentur quocumque Italiae loco morantem (21—24), ut olim protexerunt in manifestis uitae periculis (25—28).

21. *uester:* quem Camenae tamquam suum habent. Vox *uester*, in qua est uis sententiae, apte repetitur; tertium recurrit u. 25 *uestris*, ubi mutatus casus uitauit luxuriem sermonis.

21—22. *in arduos — Sabinos:* in uillam Sabinam inter arduos montes sitam. Verbum *tollor* ascensum ex urbe in terram altiorem scite notat.

22—23. *frigidum Praeneste:* frigidum situ et uicinis montibus. Vergilius Aen. VII 682: *quique altum Praeneste — colunt.* Iuuenalis III 190: *gelida Praeneste.* Praeneste sedem otii sui Horatius memorauit Epl. I 2 2.

23. *Tibur supinum: pronum* appellat Iuuenalis III 192; cf. Horatii I 7 21, II 6 5. Epl. I 7 45. 'situm autem ciuitatis descripsit, quia in ascensu montis est constituta'. Acron.

24. *liquidae:* aeris liquidi siue puri. Epl. I 1 83: *nullus in orbe sinus Bais praelucet amoenis.*

26—27. *non me Philippis uersa acies retro — extinxit:* nomen *Philippis* iunge cum uerbo primario *extinxit*, *uersa acies retro* est in fugam uersa. De re cf. II 7 9 sqq.

27. *deuota — arbos:* hoc uitae periculum adiit kalendis Martiis a. 724; cf. annot. ad III 8, additis II 13 et 17.

28. *Sicula — unda:* de hoc tertio uitae discrimine nihil constat. Res uidetur accidisse, cum Horatius ex Macedonia in Italiam rediit; sic etiam Acron statuit. *Palinurus* est Lucaniae promontorium, non procul ab urbe Velia; Strabo VI 1 1. Sicula unda uocatur, quod Sicilia e regione posita est.

29—36. Postquam Musarum erga se fauorem plenissime executus est, natam inde spem suam et opis diuinae confidentiam depingere pergit.

29. *utcumque:* hoc noue pro uulgari *quandocumque;* cf. ad I 17 10.

30. *insanientem — Bosporum:* furentem undis per angusta ruentibus; cf. II 13 14.

32. *uiator:* qui pedibus uiam permeat; cf. Serm. I 5 16; uiator et nauita tamquam diuersi componuntur, ut urentes harenae et Bospori aquae.

uisam Britannos hospitibus feros
et laetum equino sanguine Concanum,
uisam pharetratos Gelonos
et Scythicum inuiolatus amnem.

uos Caesarem altum, militia simul
fessas cohortes abdidit oppidis,
finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro.

33. brittannos *B*. 34. equinos *pr B*. 35. faretratos *B*. 36. scithicum *BH*. 37. cesarem *BGH*. milicia *BH*. 38. choortes *H*. abdidit *GHgωΣ duo Blandinii:* reddidit *ς unus Blandinius*, addidit *ABς*. opidis *G*. *u*. 39—52. desunt *A*. 39. querentem *GH*. 40. Pyerio *G*.

Litus Assyrium dixit regni ueteris Assyrii, quod ad sinum Persicum porrigebatur. '*urentes*, *calentes:* in Assyria enim regione Persarum uehementior est sol, ubi et Antonius, dum ad Cleopatram uult reuerti, morbo exercitum perdidit'. Acron. Syriae litus non cogitauit: nam in eo nihil uel paulum periculi adiri potuit.

33. *Britannos — feros:* u. Tacit. Ann. XIIII 30. Strabo IIII 5 § 2: τὰ δ' ἤθη τὰ μὲν ὅμοια τοῖς Κελτοῖς, τὰ δ' ἁπλούστερα καὶ βαρβαρώτερα. Hiberniae incolas ἀνθρωποφαγίας crimine famosos notat Strabo l. c. § 4.

34. *laetum — Concanum: Concani* natio Cantabrorum. Strabo III 3 § 8, ubi *Κωγκανοί* pro *Κωνιακοί* reponendi sunt. 'Concani gens Hispaniae dicebantur'. Acron. Silius III 360: *nec qui Massageten monstrans feritate parentem cornipedis fusa satiaris, Concane, uena.*

35. *pharetratos Gelonos:* sagittis aduenas arcere solitos. Verg. Aen. VIII 725: *hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos finxerat* (Mulciber). Conf. ad II 20 18—19.

36. *Scythicum — amnem:* Tanaim; cf. III 29 28, IIII 15 24.

37—40. Etiam Caesar Octauianus, qui pacis artes sapienter sequitur, Musarum fauorem experitur. In hoc alterum post se et maius exemplum sapientiae proposuit.

37. *uos Caesarem altum: altus* est in altum potentiae gradum sublatus.

37—38. *militia — fessas cohortes*: est militia in sinu Actiaco (723) et Aegypto (724) Asiaque (724—725) Caesare duce tolerata.

38. *abdidit oppidis:* abduntur cohortes, cum ex campo et puluere proeliorum in municipia et colonias (= oppida) mittuntur; *abdidit* praetuli alteri scripturae (*reddidit*, *addidit*) primum motus auctoritate duorum codicum Blandiniorum, in quibus uetustissimum fuisse scholium commentatoris Cruquiani uidetur indicare, item commentariis Acronis et Porphyrionis; tum *abdidit* exquisitam pacis et otii significationem habet: rursus technica uocabula, cuiusmodi *addidit* foret (cf. Tacit. Ann. XIII 31), uitare boni poetae solent. Tertia scriptura *reddidit* notaret milites tunc missos omnes ex municipiis aut coloniis in exercitum Caesaris congregatos esse: uerum Caesar milites in bellum Actiacum undecumque collegerat.

39. *labores:* dicit labores militiae, quos alibi *uitae labores* noue nominauit; cf. ad I 7 18.

40. *Pierio recreatis antro:* pacis artibus et bonis ipsum frui conceditis. Notari templum Apollinis a Caesare a. 726 dedicatum monui in Prooem. Carm. III 1. Conf. Pindari Pyth. VI

uos lene consilium et datis et dato
gaudetis almae. scimus ut inpios
Titanas inmanemque turmam
fulmine sustulerit caduco,

qui terram inertem, qui mare temperat
uentosum, et urbes regnaque tristia,
diuosque mortalesque turbas
imperio regit unus aequo.

42. impios *mei.* 43. Tytanas *G.* inmanemque *BG*, īman. *g:* imm. *H.* turmam *GHgω:* turbam *Bϛ.* 47. turbas *BHω:* turmas *Ggϛ.*

48: *δρέπων σοφίαν ἐν μυχοῖσι Πιερίδων.*

41—42. *uos — almae:* iam generatim prudentiae sapientiaeque praesides Musas alloquitur. Vox *almae* iungenda cum *gaudetis,* h. e. ita gaudetis, ut leni consilio utentem adiuuetis. In nomine *consilium* paenultima ita pinguescit (*consiljum*) ut antecedentem syllabam longam faciat. Perinde III 6 6 *principium* (*princípjum*), Serm. II 8 1: ut *Nasidieni* (*Nasidjeni*). Sic Catullus 55 10 *Camerium* dixit (Camerjum) *mihi pessimae puellae*, Ennius *aujum* apud Ciceronem Diuinatione I 48 108. Vide Lachmannum ad Lucret. III 719 p. 193.

42—80. Sequitur altera pars carminis, in qua hinc uires consilii expertes (Titanes et Gigantes), illinc deos depugnantes ita composuit, ut diuina numina summae sapientiae, uires repugnantes extremae insipientiae exempla representeotur. Itaque numinis Delphici uerbis huius operis argumentum sic possis describere: *σοφὸς Ὁράτιος, σοφώτερος Αὔγουστος (ἀλλ' οὔτοι οὐκ ἄνευ Μουσῶν), πάντων δὲ σοφώτατοι θεοί.*

42—48. His *Τιτανομαχία* describitur. Titanes inpii sunt, quod aggredi sustinent illum, qui et aequo et ualido imperio utitur, h. e. omnium sapientissimum et potentissimum. *inmanemque turmam:* inmanis haec turma est ut consilii expers. Turma plerumque dicitur globus equestrium militum: nunc magno cum impetu prosilientes denotat.

44. *fulmine — caduco:* fulmen caducum est *σκηπτός* Graecorum siue Aeschyli *καταιβάτης κεραυνός*, fulmen ex alto in inferiora loca cum ui decidens; cf. II 13 11. Titanes a Ioue uictos describit Theogonia Hesiodi 629—745.

45—46. *qui — uentosum:* componuntur contraria, hinc terra iners, h. e. motu ac uigore destituta, hinc mare uentis agitatum, difficile ad regendum ob uim tempestatum.

46. *et urbes regnaque tristia:* a rerum natura ad sedes imperiorum supra terram et infra positas, ab his ad incolas caeli terraeque progreditur: *urbes* enim cogita *imperiosas*, quales fuere Roma, Carthago, Athenae; cum his *regna* inferorum componuntur, tum utrisque per chiasmum *diui mortalesque turbae* adiunguntur. Quae res non intellecta coniecturam Bentlei *umbras* peperit.

47. *mortalesque turbas: diui* modo nominati pauci sunt et selecti: in hominibus *multitudo* ualet, hinc *mortalesque turbas.* Adde quod magna laus est uel in turbas aequum imperium exercere.

48. *imperio — aequo:* Iouem non modo maximum, sed eundem optimum laudari uoluit.

magnum illa terrorem intulerat Ioui
fidens iuuentus horrida brachiis,
fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo:

sed quid Typhoeus et ualidus Mimas,
aut quid minaci Porphyrion statu,
quid Rhoetus euulsisque truncis
Enceladus iaculator audax

contra sonantem Palladis aegida
possent ruentes? hinc auidus stetit

50. iuuentas *pr H.* 51. intendentes *unus Blandinius.* 52. inposuisse *G,* ĩpos. *g.* olimpo *GHg.* 53. typheus *BGg, non AH.* minas *B.* 54. phorphyrion *A,* porphirion *BHg.* 55. roetus *A,* rhetus *BH,* rethus *G,* rhethus *g.* euulsisq, (*sic*) *A.* 56. encheladus *BH.* 57. pallidis *G.* aegyda *B.*

49—64. *Γιγαντομαχία* lyrice exposita.

49—50. *illa — fidens iuuentus horrida brachiis:* qui fidunt brachiis, consilium et sapientiam neglegunt. *Horridam* uocauit ob faciem capillis promissis horrentem. Sed ipsa *illa iuuentus* (*jener junge Schwarm*) non Titanes sunt, de quibus iam dictum est, sed *Gigantes,* qui iuuenes (*iuuentus*) uocantur, quod Terra post interitum Titanum a se olim editorum nouo partu Gigantes protulit. Apollodorus I 6 1: *Γῆ δὲ περὶ Τιτάνων ἀγανακτοῦσα γεννᾷ Γίγαντας ἐξ Οὐρανοῦ.* Pronomen *illa* igitur non ad antegressa refertur, sed nouum inducit.

51—52. *fratresque — Olympo:* Gigantibus adiungit similes uires brachiis fretas, sapientiae expertes, fratres Otum et Ephialten (Odyss. λ 314, Il. *E* 385—391. Vergil. G. I 280). Ex his Ephialten Gigantibus adnumerat Apollodorus I 6 2, utrumque Hyginus in praefatione ad fabulas p. 4.

53—56. Ex Gigantibus praecipuos recenset; Typhoeum dum Gigantibus annumerat, Hesiodum sequitur Theogon. 820: *αὐτὰρ ἐπεὶ Τιτῆνας ἀπ' οὐρανοῦ ἐξέλασε Ζεύς, ὁπλότατον τέκε παῖδα Τυφωέα Γαῖα πελώρη κτλ.* *et ualidus Mimas:* Eurip. Ion 214: *τὸν δάϊον Μίμαντα πυρὶ καταιθαλοῖ* (Minerua). Hesiodo (Scut. 186) est Centaurus.

54. *minaci Porphyrion statu:* Apollodorus l. c. *διέφερε δὲ πάντων Πορφυρίων τε καὶ Ἀλκυονεύς.* Pindaro Pyth. VIII 17 est *βασιλεὺς Γιγάντων.*

55. *Rhoetus:* cf. ad II 19 23, ubi notauimus ab Apollodoro *Eurytum* uocari a Baccho sublatum.

56. *Enceladus — audax:* Apollodorus § 2: *Ἀθηνᾶ δὲ Ἐγκελάδῳ φεύγοντι Σικελίαν ἐπέρριψε τὴν νῆσον.* Aetnam impositam exhibet Vergilius Aen. III 578.

57—58. *contra — ruentes:* Gigantes caeca ui ruunt; Pallas illos sonante aegide defendit, non pectus pectori opponit, sed consilio et sapientia imprudentes repellit. In tradita fama Minerua unum Enceladum oppugnauit: Horatius praeter hunc ualidissimum quemque ruere contra Mineruam non sine ratione statuit: sic enim caecas uires cum artis et sapientiae numine componere potuit. Quapropter non sequar opinionem eorum, quibus hi uersus ex picturis ducti uidentur.

58—59. *hinc auidus stetit Vul-*

Vulcanus, hinc matrona Iuno et
numquam humeris positurus arcum,

qui rore puro Castaliae lauit
crines solutos, qui Lyciae tenet
dumeta natalemque siluam,
Delius et Patareus Apollo.

uis consili expers mole ruit sua:
uim temperatam di quoque prouehunt
in maius. idem odere uires
omne nefas animo mouentes.

testis mearum centimanus Gigas

60. archum *BH.* 62. crinis *B.* lycyae *B.* 65. consilii *ABGH.* *u.* 66—68. *desunt A.* . 66. dii *BGH.* 69. centimanus Gigas *Priscianus* XVII 20 152. gigas *codices:* Gyas *Lambinus,* Gyges *Bentleius.*

canus: auidum uocat Vulcanum respiciens uim ignis celerrime absumentis quaecumque corripuit. Vulcanus quatenus arte ualet, sapientiae fautor est, caecas potestates auersatur.

59. *matrona Iuno:* matrimonii foedere Ioui sociata rudes uires odit; eadem hominum uitam praecipuo cultu circumdat et ornat coniugii fautrix.

60—64. In Apolline animum bello promptum (60), formae pulchritudinem (61), celeritatem et curam terrarum sibi dilectarum (62—64), omnia uiribus nefariis aduersa, praedicando praeclaram Gigantomachiae clausulam inuenit. Marti, quem alii Gigantomachiae scriptores, uelut ille qui cecinit *Aetnam*, proeliatorem celebrant, nullae partes ab Horatio concessae sunt: ille enim solo sanguine gaudet.

61. *lauit:* formam *lauĕre* in Carminibus et Epodis solam posuit, in Sermonibus et Epistulis modo hanc modo *lauare* usurpauit. Cf. II 3 18, III 12 2, IIII 6 26, Epod. 16 28, 17 51, Serm. I 5 24, II 3 21 et 282; *lauare* reperitur Serm. I 3 137 et 4 75, Epl. I 6 61.

65—67. *uis consili — in maius:* colligit adhuc exposita; Titanes et Gigantes consilii expertes ceciderunt: Caesaris temperata uis in maius prouecta est.

67—80. Stultas uires di non tantum tollunt, sed etiam odio persequuntur et aeternis poenis coercent.

67. *idem odere uires:* quod *uires* rursus comparent post praegressa nomina *uis* et *uim*, minus offensionis habet, quod *uires* concreto sensu, ut grammatici loquuntur, *uis* abstracte posita est.

69—70. *testis — sententiarum:* sententias modo prolatas ueras esse testatur centimanus Gigas, h. e. interitus centimani Gigantis. Centimanum Gigantem intellegit Briareum siue Aegaeona, secutus Homerum, qui tamen Gigantem non appellat neque de poena eius uerba fecit Il. *A* 402, ubi de Thetide: *ὦχ' ἑκατόγχειρον καλέσασ' ἐς μακρὸν Ὄλυμπον, ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα.* Hunc *terra natum* (Apollodorus I 1 1) recentiores poetae, in his Callimachus et Antimachus, i. e. Gigantem exhibent a Ioue Aetna superposita punitum. Lege Callimachi Hym. in Del. 141, interpr. Vergilii Veronens. Aen. X 565: *Homerus amicum Aegaeona dicit Iouis, sed Antimachus in ·III· Thebaidos*

sententiarum, notus et integrae
temptator Orion Dianae,
uirginea domitus sagitta.

iniecta monstris Terra dolet suis
maeretque partus fulmine luridum
missos ad Orcum; nec peredit
impositam celer ignis Aetnam,

incontinentis nec Tityi iecur

71. tēptator *A ut ceteri, non* tēptator. 72. *scholiasta Statii Theb.* VII 256, VIIII 844. 73. iniecta] *in B superscr. al. m.* uel Infecta. 74. Meretque *BGH.* partos *A.* 75. peredit] *hoc etiam in A, sed* t *finale caudam habet, non* peredie. 76. Inpositam *BG, non AH.* aethnam *BH,* ethnam *G,* ethnen *A.* 77. *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 596. nec] aut *Seruius.* titii *A,* ticii *BH,* tycii *G.*

dicit aduersum eum armatum. Hoc et nunc adoptauit Horatius et II 17 14, alios qui tres centimanos perhibent nihil curans. Ceterum *centimanus Gigas* firmo consensu in codicibus legitur, a scholiastis agnoscitur et Prisciano; Lambinus auctorem secutus Muretum substituit coniecturam *Gyas*, Bentleius *Gyges*. Briareus ex tribus sententiis ante memoratis duas testatur, h. e. ueras esse sorte sua comprobat, uim consilii expertem ruere sua mole, atque dis odio esse uires omne nefas animo mouentes: nam Briareus cum ceteris Gigantibus Iouem de imperio legitimo depellere intendit et pro eo incepto Aetna monte iniecto punitus est.

70—71. *integrae — Dianae:* Orion ut γηγενής Horatio pro Gigante est. Apollodorus I 4 § 3: Ὠρίωνα δὲ Ἄρτεμις ἀπέκτεινεν ἐν Δήλῳ. τοῦτον γηγενῆ λέγουσιν ὑπερμεγέθη τὸ σῶμα. *integra* est *intacta*, semper uirgo. Vocabulo *integrae* quae sit uis, ex adiuncto *temptator* (πειραστής) patet; hoc ipsum nouum ac rarum est uocabulum.

73. *monstris — suis:* monstris terra natis.

75—76. *nec — Aetnam:* poena illa semper durat et Briareus onere suo nondum solutus est, quamquam *celer ignis* per Aetnam gliscit.

77—80. Simili poena ac Gigantes Tityus Pirithousque ob uiolentiam et amorem, in quem caeco mentis impetu prolapsi sunt, alter Latoni uim facturus, alter Proserpinam rapturus de inferis, plectuntur.

77. *Tityi iecur:* iecur ut sedes amoris uitiosi Tityo apud inferos exeditur a uulture. Lege Homeri Odyss. λ 575 sqq., η 324.

77—78. *nec — reliquit:* hoc post prius *nec peredit* concinnius sequitur, quam *nec relinquit*, et perfectum tempus in uoce negatiuae significationis nunc aptius uidetur quam praesens: id enim uerbo proximo (*cohibent*) rectius a magno sermonis artifice reseruatum est.

79. *amatorem:* ut saepe *amare* et *amor*, sic *amator* h. l. inprobam cupiditatem denotat. De re conf. Apollodorus II 5 § 12. A uero aberrant qui his Titanum et Gigantum pugnis notari M. Antonium a Caesare superatum opinantur, magis etiam qui Cornelium Gallum anno 728 euersum et infelicia Egnatii Rufi coepta significari credunt. Scilicet obscuritatis uitio Horatius minime tenetur, ut uerissime dixit Suetonius. In Gallo et Rufo etiam temporum ratio aduersatur. Non meliore fortuna in hac oda Buttmannus (Mythol. II p. 368) uersus 69—72 esse subditiuos probare

reliquit ales, nequitiae additus
custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

V.

Caelo tonantem credidimus Iouem
regnare: praesens diuus habebitur

78. reliquit *AGω*, Reliquid *H:* Relinquit *Bgς*. nequiciae *BGH*. aditus (d *ead. m. superpositum est*) *A*. 80. pirithoũ *A:* Pyrothoũ *B*, Perithoum *GHg*. cathenae *H, om A*.

Ad diuum Augustum. Vt supra metrum Alcaicum *A*. Ad diuum augustum *B*. In honorem Augusti *H*.

1. credidimus *BH pr Ggω:* credimus *corr G*, credi mꝰ *A*. 2. presens *BH*.

uoluit. Eiusmodi temptamenta ex sententiis ueterum poetarum non satis perspectis etiamnum saepius emergere pergunt.

Carm. V. Prooemium. *Quemadmodum Iouem tonantem in caelo regnare credidi, sic in terris diuus a me habebitur Augustus, ubi Britannos grauesque Persas imperio adiecerit. Persas (Parthos) quo minus oppugnemus, non impedire debent milites Romani tunc capti, cum Crassus periit. Immo his minime parcendum aut prouidendum esse, id praeclaro exemplo Regulus nos docuit.* (Metrum Alcaicum)

Hoc carmine patriae pietatem per lyricas ambages celebrauit, dum Crassi militem, qui ignauia captus conubium et commercium cum hoste populi Romani adierat debitumque patriae amorem flagitiose exuerat, grauiter uituperat, dein pessimum hunc morem contrario exemplo Reguli fugiendum declarat (u. 5—56). Huic proposito etiam ingressus poematis conuenit (u. 1—4), siquidem Augusto, ubi graues patriae hostes subegerit illatamque Romano nomini maculam eluerit, diuinos honores pollicetur.

Praeter argumentum primarium singulare consilium Horatius perinde ut in oda tertia uidetur spectasse, de quo quamquam tacent rerum monumenta, tamen ex ipso carmine probabili coniectura haec elici poterunt. Cum Augustus principio anni 727 duplicem exercitum parauit, alterum per Galliam in Britannos a semet ipso ducendum, alterum contra Parthos duci tradendum (cf. Prooem. Carm. I 35), erant qui cautius quam honestius monerent, aduersum Parthos non ui et armis, sed consilio et mitioribus remediis agendum esse, ne milites ex Crassi copiis olim in captiuitatem Parthorum redacti male et crudeliter tractarentur. Aduersum has uoces, siue in curia siue in aliis coetibus auditas neque Augusto amicisque probatas, Horatius asseuerauit, hanc causam omittendi belli nullius ponderis esse atque ultionem cladis Crassianae quam primum exequendam uideri. Ex ante dictis sponte consequitur hanc oden anno 727 (27 a. Chr.) factam esse.

1—2. *caelo — regnare: caelo regnare* pro *in caelo regnare* est licentia sermonis poetici, de qua dixi ad I 16 5. Lucanus ab Acrone recitatus (III 319): *per fulmina tantum*

Augustus adiectis Britannis
imperio grauibusque Persis.

milesne Crassi coniuge barbara
turpis maritus uixit et hostium
(pro curia inuersique mores!)
consenuit socerorum in armis

sub rege Medo Marsus et Apulus,
anciliorum et nominis et togae

3. brittannis *BH.* 5. miles ne *A.* 9. medo et apulus *A.* 10—11. Anciliorum — oblitus *Seruius ad Vergil. Aen.* VII 188. 10. *Charisius* I 17 18 p. 46. anciliorum nominis ς, *non ABGHg u. Bland.*

sciret (mortale genus) *adhuc caelo regnare tonantem.* Ceterum uerba *caelo tonantem credidimus Iouem regnare* uulgo de populo Romano dicta esse existimantur, tum plerique *credidimus* fere idem ualere ac *credimus* opinantur, falso utrumque. Immo *credidisse* aut dicuntur qui olim crediderunt ac iam credere desierunt, aut illi qui olim non crediderunt ac iam credunt. Hoc num aliis acciderit Romanis, Horatius non resciuit neque dicere potuit: sibimet accidisse, ut *pro non credente credere inciperet*, et ipse bene sciuit nobisque liquide narrauit in carmine tricesimo quarto libri primi. Hoc nunc respexit. Itaque usus est loquendi forma, quam habemus in Serm. I 9 7: *noris nos, inquit, docti sumus;* adde Carm. III 28 9: *nos cantabimus;* IIII 2 50. Conuertas igitur: *dass im Himmel der donnernde Juppiter regiere, hab' ich zu glauben begonnen.*

2. *praesens:* apud nos in hac terra; *habebitur* ualere *a me habebitur* proxime priora docent. Adulationem Horatio Porphyrion perperam ascripsit hance: 'famae, inquit, de Iouis magnitudine credimus: quanto magis de Augusti credendum est, cuius uirtutem et potentiam non audimus, sed uidemus'. Perinde Acron.

3—4. *adiectis — Persis: adiectis* ualet *imperio adiectis. grauibus:* graues sunt Persae (Parthi), quod pacem Romanam turbare minantur, ut olim turbarunt caeso Crasso et pulsis Antonii ducibus. Repetitum hoc est I 2 22: *quo graues Persae melius perirent.*

5—12. Mentio Persarum Augusti copiis mox domandorum in memoriam poetae reuocat cladem Crassianam anno 701 editam. Quae res cum nonnullis uideretur impedimentum esse belli contra Parthos suscipiendi, contrariae sententiae defensor tamquam uehemens accusator reorum Crassi militum prodit et quasi expostulans cum partium aduersarum patrono.

5 — 6. *coniuge barbara:* ablatiuus pendet ex proximo *turpis*, h. e. ignominia affectus.

7. *pro curia inuersique mores!:* indignatur quod senatus, populi Romani regimen, hos mores tolerauerit ac non omni ui ultum ierit. Ex his uerbis conieci, in ipsa curia auditas esse uoces eorum qui cum Parthis mitius agendum censerent, ne capti Romani milites ab illis laederentur.

9. *Marsus et Apulus:* ut turpis obsequii infamia magis pateret, fortissimas Italiae nationes nominauit; 'hi enim apud Romanos clariores erant, ut' (Vergil. Georg. II 167) '*haec genus acre uirum Marsos pubemque Sabellam* (extulit)'. Acron. Cf. I 22 13, II 20 18.

10. *anciliorum et nominis et togae:* ancilia pignus imperii Romani oblitus pro Romano Parthus, pro ciue

oblitus aeternaeque Vestae,
incolumi Ioue et urbe Roma?

hoc cauerat mens prouida Reguli
dissentientis conditionibus
foedis et exemplo trahentis
perniciem ueniens in aeuum,

si non periret inmiserabilis
captiua pubes. 'signa ego Punicis

11. aeterneq; *H.* 12. Incolomi *B.* ioui *corr B.* 14. conditionibus *AGH*: condic. *B.* 15. Fędis *G.* 17. inmiserabilis *G,* im̄iserabilis *A,* ĭmis. *g:* immis. *H.* 18. ergo *pr H.*

externus fieri sustinuit. Probus de nomine (Analecta gramm. Eichenfeldii et Endlicheri p. 217) § 14: *Lucretius* (*Horatius?*) *metrum custodiens rationem regulae excessit, qui ait anciliorum, non ancilium.*

11. *aeternaeque Vestae:* aeterna Vesta admonere debuit aeternum fore Romanae urbis imperium, quod illa tuetur. In alia abiit Acron: '*aeternaeque*, aeterni ignis qui in ara eius indefesse colebatur'.

12. *incolumi Ioue:* saluo nec pulso de regno suo. Iouem tamquam numen Romanum ac barbaris aduersum exhibuit.

13. *hoc cauerat — Reguli:* huiusmodi dedecus prouida mente caueri uoluerat. 'Hoc prouiderat, ne quis uitam ex captiuitate speraret, sed potius pro libertate moreretur'. Acron.

15. *foedis:* quibus ignauorum militum uita redimeretur.

15—16. *exemplo trahentis perniciem:* qui exemplo suo tracturus erat perniciem. Quemadmodum Latine dicere licet hoc, *trahebat, si non contra itum esset,* pro uulgari: *traxisset* uel *tracturus erat*, *si non contra itum esset*, sic *trahentis* pro *tracturi* poetis datur.

17. *periret:* ultimam olim per se longam, sed ui litterae *t* correptam, in fine ordinis produxit; cf. ad I 3 36. Glareanus *perirent*, Lachmannus (ad Lucret. I 11 p. 17) *perires* temptauit; illud ab Horatii usu abhorret, hoc nimium est in enuntiato conditionali.

18. *captiua pubes:* pubes siue iuuentus cum Regulo a Poenis duce Lacedaemonio Xanthippo capta anno urbis 499 (a. Chr. 255), decimo belli Punici primi. Quinque annis post de mutandis captiuis Carthaginienses legatos addito Regulo Romam miserunt. Orosius (ex Liuio) IIII 10: *Carthaginienses petendam esse a Romanis pacem decreuerunt. Ad quam rem Atilium Regulum, antea ducem Romanum, quem iam per quinque annos captiuum detinebant, inter ceteros legatos praecipue mittendum putauerunt: quem non impetrata pace ab Italia reuersum, resectis palpebris, illigatum in machina, uigilando necauerunt.* Adde Liuii Epitom. 18. Dionis fragm. 153 et 154. Zonaras VIII 15. Horatius pro suo consilio rei gestae ueritatem inflexit: quippe uerus Regulus captiuorum mutationem dissuasit praesentis Romanorum utilitatis rationem secutus: Horatii Regulus eandem denegat, ut puniantur ignaui milites pro eo quod capi se passi sint, utque posteris graue exemplum fieret.

18—19. *signa — Punicis adfixa delubris:* omnium Carthaginiensium oculis in postibus templorum proposita ut argumentum uictoriae de Ro-

adfixa delubris et arma
militibus sine caede' dixit

'direpta uidi, uidi ego ciuium
retorta tergo brachia libero
portasque non clausas et arua
Marte coli populata nostro.

auro repensus scilicet acrior
miles redibit. flagitio additis
damnum: neque amissos colores
lana refert medicata fuco,

nec uera uirtus, cum semel excidit,
curat reponi deterioribus.

19. adfixa *AB:* Affixa *GHg*. 20. cede *BGH*. 21. Direpta *ABGHgω* ('direpta *habent omnia quae uidi scripta*'. Crvqvivs): derepta *Lambinus*. 23. '*cod. Bland. habet* clusas'. Crvqvivs. 25. repensus] redemptus *G*. 26. flagicio *GH*, *in A olim uidetur fuisse* flagitiis. 27. nec *H*. 29—30. *Seruius ad Vergil. Aen.* II 367.

manis partae. *Signa* sunt aquilae et uexilla.

19—21. *arma — direpta:* arma sine caede aut sua aut hostium Romanis militibus *direpta* urget, ut misericordiam praecidat. *Direpta militibus* est rapta de corpore militum et parta ut praeda; cf. IIII 15 7. Cogitat de loricis in modum tropaei suspensis. Quae spolia cum alias de corporibus interfectorum hostium rapiantur, in illa clade uiuis militibus (*sine caede*) direpta sunt.

21—22. *uidi ego — libero:* per anaphoram indignis indigniora addit; *ciuium* nomen, item *tergo libero* acerbe componit cum seruili contumelia quam passi sunt; cf. Epl. II 1 191: *mox trahitur manibus regum fortuna retortis.*

23—24. Noua Romanorum ignominia securitas hostium est ex illa ignauia consecuta; cf. AP. 199: *apertis otia portis.*

24. *Marte — populata nostro:* a nobis populata bellum inferentibus.

25—36. Vbi probrum Romano nomini aspersum descripsit, amplius ostendit capto militi cum libertate uirtutem excidisse nec reponi posse; hinc illum non mereri neque rei publicae interesse, ut liberetur.

25—26. *auro — redibit:* ironici sermonis signum est *scilicet* (*freilich*) et *auro repensus* (*mit Gold aufgewogen*). Orator inducit ἄπιστον, ut id ipse continuo aggrediatur.

26. *flagitio:* est infamis captiuitas quae adest (*Schimpf*); huic additur *damnum*, h. e. pecunia perperam impensa, si aurum pro hominibus nullius pretii numerabitur. Serm. II 2 95: *grandes rhombi patinaeque grande ferunt una cum damno dedecus.* Alii maius quid inesse falso crediderunt.

27—30. *neque amissos — deterioribus:* ut amissos colores (natiuum candorem) lana fuco medicata (tincta, infecta) non refert, sic uera uirtus, cum semel excidit, non curat restitui hominibus deterioribus (ignauis, τοῖς κακοῖς).

27—36. Virtutem semel amissam non redire duobus exemplis affirmare conatur, quorum prius ex rerum na-

si pugnat extricata densis
cerua plagis, erit ille fortis

qui perfidis se credidit hostibus,
et Marte Poenos proteret altero
qui lora restrictis lacertis
sensit iners timuitque mortem.

hic unde uitam sumeret inscius
pacem duello miscuit. o pudor!
o magna Karthago probrosis
altior Italiae ruinis!'

fertur pudicae coniugis osculum
paruosque natos ut capitis minor

u. 31—34. *om A.* 31—32. si — plagis *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 27. 34. penos *G.* 35. restri$\overset{c}{x}$itis *A.* 37. inscius *ABGHgω:* aptius ς. 39. kartago *G*, cartago *ABH*, chartago *g*.

tura (27—28), alterum ab animalibus (31—36) petitum est.

31—36. Ironia uersu 25 et 26 inchoata continuatur. Nimirum subacerbe, quae est ironiae natura, captiuus redemptus cum cerua plagis irretita et inde liberata (*extricata*) componitur.

33. *perfidis — hostibus:* Poenis perfidiam hostes Romani plerumque uitio dederunt; cf. Liuius XXI 4 (de Hannibale): *inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica.* Illa perfidia nunc memoratur, quo magis appareat caeca captiuorum ignauia.

34. *Poenos proteret:* impetus proterentis (*des Zermalmenden*) cum *inerte* timidoque componitur, ut ἄπιστον clarum fiat.

35. *restrictis lacertis:* lacertis in tergum retortis.

37—38. *hic — miscuit:* captum militem quasi reum ad iudices ductum aggreditur. '*Hic* (*der da*) ignarus (*inscius*), salutem (uitam) sumi hostium caede, pacem duello miscuit', h. e. res insociabiles misceri uoluit. Optimae sententiae ignoratio peperit uariam scripturam *aptius*, etiam coniecturas inutiles.

38—40. *o pudor — ruinis:* per hanc ignauiam nobis ignominia (*pudor*), hostibus magnitudo ex nostra clade accreuit.

39. *o magna Karthago:* 'magna enim Carthago ab accolis uocabatur, sed hic eam poeta dedecore Romanorum maiorem ait factam'. Acron.

41. *pudicae coniugis:* 'ad augmentum uirtutis pertinet, quod castam prae patria Regulus contempsit uxorem: impudica enim iure potuit contemni'. Acron.

42. *capitis minor* (*im Stande erniedrigt*): statu ciuili et honore impar coniugi liberisque suis; quippe captiuus liber esse desiit, quae est capitis deminutio maxima. Dio fragm. 153: καὶ ὃς τά τε ἄλλα καθάπερ τις Καρχηδόνιος ἀλλ' οὐ Ῥωμαῖος ὢν ἔπραττε, καὶ οὔτε τὴν γυναῖκα ἐς λόγους ἐδέξατο οὔτε ἐς τὴν πόλιν καθάπερ ἐκβληθεὶς ἐσῆλθεν. In commentarium Acronis barbara manu haec illata sunt: '*ut capitis minor*, ut insanus: minoratio enim cerebri ἀπορίαν infert'.

ab se remouisse et uirilem
toruus humi posuisse uultum,

donec labantis consilio patres
firmaret auctor numquam alias dato,
interque maerentis amicos
egregius properaret exul.

atqui sciebat quae sibi barbarus
tortor pararet: non aliter tamen
dimouit obstantes propinquos
et populum reditus morantem,

quam si clientum longa negotia
diiudicata lite relinqueret,
tendens Venafranos in agros
aut Lacedaemonium Tarentum.

43. Ab se *AGHω*: A se *Bgς*. 45. labantis *A pr Bg*: labantes *GH*. 47. mȩrentis *A*, merentis *g*: merentes *BGH*. 48. exul *mei, non* exsul. 49. Atqui] > q̊s (= et quis) *A*. 51. propinquos] amicos ς *unus Blandinius*. 53. clientium *G*. negocia *BGH*. 54. diiudicat alite reliq̄rit *A*. 56. lacedemonium *ABGH*.

46. *auctor:* auctor est qui ceteros exemplo et sententia regit.

48. *egregius — exul:* cf. III 3 38 et III 11 35: *splendide mendax*.

49—50. *atqui sciebat — pararet:* de tormentis Reguli Carthaginem regressi pauca monuit nec plura quam quibus eximius amor erga ciues in Regulo celebraretur, ne admiratio uiri insignis re tristi auerteretur. Ceterum Horatius famam uulgarem et scriptores Romanos (cf. Cicero de Off. III 27, Gellius VI 4) secutus est: Polybius grauis auctor de tormentis Reguli nihil prodidit.

53. *longa negotia:* μακρὰ πράγματα, h. e. longum tempus et multam operam in lite diiudicanda postulantia.

55—56. *tendens — Tarentum:* 'Venafrum ciuitas Campaniae est, unde et Venafranus. Ad amoenitatis autem exemplum deliciosas posuit ciuitates'. Acron. Tarentum Lacedaemonium uocatur, quod a Phalantho Lacedaemonio conditum est; cf. II 6 11. Haec loca amoena ab illis qui grato ōtio frui uellent cupidius petebantur, si longa negotia moram iniecissent.

VI.

Delicta maiorum inmeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
aedisque labentes deorum et
foeda nigro simulacra fumo.

dis te minorem quod geris, imperas.
hinc omne principium, huc refer exitum:

Ad populum Romanum. Alcaicum ut sup *A*. ad augustum pseutice *B*. Ad Augustum uel ad populum Romanum *H*. 1. inmeritus *BGH*, ĩmeritus *Ag*. 3. aedisque *A*: Aedesque *BGH*. 4. simulata (cr; *correctum ead. m.*) *A*, simulachra *Bg*. 5. Diis *GH*, *non AB*. 6. hinc] ħc *A* (*uoluit* hc̄).

Carm. VI. Prooemium. *Vt poenas ab inmortalibus impendentes deuitemus, templa reparanda, di pie colendi sunt. Posteaquam deos neglegere coepit populus Romanus, imperium eius multis grauibusque periculis obiectum est, mores pessime corrupti sunt.* (Metrum Alcaicum)

Sexto hoc carmine pietatem et reuerentiam erga deos ciuibus ad meliorem frugem redituris Horatius cecinit. Quod inceptum sic aggressus est, ut commendata reuerentia deorum explicaret, quae mala ex contrariis uitiis consecuta sint, seditiones et clades ciuium, bella ab externis gentibus illata, ingens macula bonis moribus aspersa. Poema factum esse anno 726 (a. 28 ante Chr.) in prooemio Carm. III 1 monitum est.

1—2. *delicta maiorum*: *maiores* dicit qui bellis intestinis adhuc se lacerauerant quique ueterem morem a temporibus Sullanis omiserant. *inmeritus*: sine tua culpa. Porphyrion: 'hoc ex tradita persuasione scriptum est, quia aiunt poenas posteros expendere saepe, quas maiores effugerint'.

2. *Romane*: cf. Serm. I 4 85. Vergilius Aen. VI 851: *tu regere imperio populos, Romane, memento.*

2—3. *donec — deorum*: pietate erga deos possunt expiari quae maiores deliquerunt. Videtur subesse laus Augusti, qui anno 725 nouas aedes deorum dedicauit (Dio LI 22), mox censura functus anno 726 aedibus sacris curam adhibuit. Suetonius Aug. 30: *aedes sacras uetustate collapsas aut incendio absumptas refecit.*

4. *foeda nigro simulacra fumo*: Octauianus a. 725 pro uetustis simulacris templi Capitolini noua substituerat, quod his uerbis laudatur. Conf. Dio LI 22: *καὶ ἕτερα (ἀγάλματα) τῷ τε Διὶ τῷ Καπιτωλίνῳ καὶ τῇ Ἥρᾳ τῇ τε Ἀθηνᾷ ἱερώθη, πάντων τῶν πρότερον ἐνταῦθα ἀνακεῖσθαι δοκούντων ἢ καὶ ἔτι κειμένων ἐκ δόγματος τότε καθαιρεθέντων ὡς καὶ μεμιαμμένων.*

5. *dis — imperas*: est *δόγμα* a maioribus traditum. Cicero Harusp. resp. 9: *pietate ac religione atque hac una sapientia, qua deorum inmortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes superauimus.* Carm. I 12 57: *te minor laetum reget aequus orbem.*

6. *hinc omne principium, huc refer exitum*: deorum uoluntas ex-

di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

iam bis Moneses et Pacori manus
non auspicatos contudit impetus
nostros et adiecisse praedam
torquibus exiguis renidet.

paene occupatam seditionibus
deleuit urbem Dacus et Aethiops,

7. Dii *BGH, non A.* 8. Aesperiae *B.* 9. moneses *pr B pr Hς:* monesis *AGgω Blandinii (Cruquius ex Blandiniis affert* Monaesis). 10—11. non auspicatos — nostros *Priscianus* X 4 25. 10. Non auspicatos *BGHgω:* iauspicatos *A,* inauspicatos *ς.* 11. predam *G. u.* 11—13. *om A.* 13. Poene *BH,* Pene G. occupatum *pr H.* sedicionibus *H.* 14. ethiops *ascripto* rl (*nam reliqua* 15—48 *omittit*) *A,* ethyops *G,* ethios *pr H.*

ploranda est, antequam incipias, ad deos felices rerum successus referre decet. De uocali pinguescente in uoc. *principium* cf. ad III 4 41.

7. *neglecti:* quod neglecti sunt; III 2 30: *Diespiter neglectus.*

7—8. *multa mala:* sunt mala bellorum ciuilium. Haec nata sunt ex irreuerentia deorum.

9—11. *iam bis — impetus nostros:* Monesen, uictorem Crassi a. 701, muneris honorisque nomine *Surenam* Dio Cassius appellauit XL 16—27, item Plutarchus in Crasso c. 21 et saepius c. 28—33, Strabo XVI 1 § 23, Florus III 11 8, Eutropius VI 18. Historia Parthica quae nomen Appiani praefert: οὐδὲ γὰρ ἦν τῶν τυχόντων ὁ Σουρήνας, ἀλλὰ πλούτῳ μὲν καὶ γένει καὶ δόξῃ μετὰ βασιλέα δεύτερος, νεότητι τῶν καθ' αὐτὸν ἐν Πάρθοις πρῶτος. Nomen gentile eius qui Crassum uicit unus Horatius nobis prodidit. Postquam Surenam siue Monesen Orodes rex Parthorum interfecit (Plutarchus Crass. c. 33 extr.), filium *Pacŏrum*, probatae fortitudinis ducem, exercitui praefecit. Isque Antonii legatum Decidium Saxam cum legionibus fudit et interemit a. 714. Dio XLVIII 24—26. Velleius II 78. Liuius Epit. 127. 'bis autem Parthos rettulisse de nobis uictoriam dixit, quia et Crassum antea et tum Decium Sextum' (Decidium Saxam) 'cum exercitibus occiderant'. PORPHYRION. Auspicia infausta habuit et contempsit unus Crassus, ut referunt scriptores ante nominati et Cicero de Diuinat. I 16, sed Horatius pro suo consilio hoc posuit, etiam Antonii legato infausta auspicia oblata et perinde neglecta esse.

11—12. *adiecisse — renidet:* hostium Parthorum ob partam praedam risus et gaudium memorat, quo magis contumelia Romanorum perspiciatur. Fallitur Acron: '*renidet,* splendet, eo quod reparati torques et maiores facti ipsa nouitate fulgerent'.

13. *occupatam seditionibus:* seditiones appellat secessus ad partes Marci Antonii et Octauiani Caesaris in bello Actiaco: nam tunc orbis terrarum ingenti seditione in duas partes discessit. In eo discrimine urbem paene deleuit *Dacus*, a M. Crasso a. 724 et 725 deuictus (Dio LI 23, Liuius Epit. 134, Florus IIII 12 13—17), atque *Aethiops*, h. e. exercitus Aegyptius a Cleopatra aduersus Octauianum in aciem deductus.

15. *hic classe formidatus:* dicit classem Cleopatrae, quam ipsa ex

hic classe formidatus, ille
missilibus melior sagittis.

fecunda culpae saecula nuptias
primum inquinauere et genus et domos:
hoc fonte deriuata clades
in patriam populumque fluxit.

motus doceri gaudet Ionicos
matura uirgo, et fingitur artibus
iam nunc et incestos amores
de tenero meditatur ungui.

mox iuniores quaerit adulteros
inter mariti uina, neque eligit

17. secula *BH.* 22. artibus ς *unus Blandinius:* artubus *BGHgωΣ duo Blandinii.* 25 querit *G.*

Aegypto Actium duxit. De Antonio tacere noluit.

15—16. *ille* (Dacus) *missilibus melior sagittis:* sagittae missiles quae mittuntur arcu. Sagittis usos esse Dacos alibi, quod sciam, non traditur: sed cum Dacis Bastarnae Scytharum gens arma sumpserant iique ut ceteri Scythae sagittis pugnabant. Conf. ad III 8.

17—20. *fecunda culpae saecula —fluxit:* deorum metu exuto saecula culpae fecunda esse coeperunt, mox omne genus flagitiorum ortum est.

17—18. *nuptias — et genus et domos:* nuptias dicit matrimonia siue eos qui matrimonio iuncti sunt; *genus* liberi sunt a parentibus non castis geniti, *domus* parentes et liberos comprehendunt.

21—32. Haec inquinatas nuptias depingunt.

21—22. *motus — uirgo:* uirgo matura pro curis honestis saltationem Ionicam docetur, mollem et effeminatam. Plautus in Sticho V 7 1 u. 769: *qui Ionicus aut cinaedicus, qui hoc tale facere possiet?* ubi *cinaedicust* et *possit* scripsit Ritschelius. Adde Eiusdem Pseudul. V 1 29 u. 1274. Athenaeus XIIII 27 p. 629 E: *ἦν δέ τις (τοῖς Συρακοσίοις) καὶ Ἰωνικὴ ὄρχησις παροίνιος.* De luxuria Ionum cf. Athenaeus XII c. 26, 28—30.

22—23. *fingitur artibus iam nunc:* artibus saltandi et fidibus canendi; *iam nunc* est statim ut matura facta est; opponitur uersu 25 *mox,* ubi maritum accepit. Conf. Epl. II 1 127. Aliter Porphyrion: '*artubus* legendum, quia non uenit a nominatiuo *artes*, sed *artus*'. Ex hac falsa explicatione in multos libros ueteres forma *artubus* migrauit.

23—24. *incestos amores de tenero meditatur ungui:* *tener* unguis etiam in matura uirgine, de qua loqui poeta pergit, nondum desiit; Graeci dicunt *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων.* Amores incestos meditatur ante matrimonium; his in proximis opponuntur *adulteria* ab nupta commissa.

25. *iuniores:* iuniores quam maritus est, qui displicet ob prouectam aetatem.

26. *inter mariti uina:* haec et proxima impudentiam libidinosae mulieris denotant. Adulteros enim palam et frequenti conuiuio sectatur. Mariti uina cogita quae apponuntur mariti sodalibus.

cui donet inpermissa raptim
gaudia luminibus remotis,

sed iussa coram non sine conscio
surgit marito, seu uocat institor
seu nauis Hispanae magister,
dedecorum pretiosus emptor.

non his iuuentus orta parentibus
infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

27. inpermissa *GH*, iperm. *g*: imperm. *B*. 29—30. sed iussa — marito] *scholiasta Iuuenalis* VI 140: coram, id est marito, ut — Horatius: 'et non sensurum scio surgat maritus' (*sic*). 30. seu] cum *unus Blandinius*. 31. ispaniae *H*, hyspanae *G*. 32. preciosus *BGH*. 34. equor *G*. 35. Phyrrumque *G*. 36. Antiocum *B*, Anthyochum *G*. dirum *BGHgω*: durum ς.

27. *inpermissa:* nouum et exquisitum uocabulum pro *inlicita*, *inconcessa*.

29—32. Dedecus ab utroque coniuge ob turpem pecuniae famem admittitur.

29. *iussa coram:* adesse in conuiuio iussa a marito.

30—31. *institor seu nauis Hispanae magister:* institor (κάπηλος) merces a mercatore emptas singulis uendit, saepe diues et quaestuosus, idemque sordidis rebus intentus ad dedecus inclinat. Ob eandem causam *nauis Hispanae magister* nominatur, qui diuitias in itinere partas in urbe profundit. Cf. Epod. 17 20: *amata nautis multum et institoribus.*

32. *dedecorum pretiosus emptor:* alter ex merce, alter ex officio lucrum faciens flagitia (*dedecora*) magno pretio emere potest; *pretiosus* noue significat qui magna pretia numerat. De *institore* cf. Ciceronis Offic. I 42: *sordidi etiam putandi qui mercantur a mercatoribus quod statim uendant.*

33—48. Restabat ut doceretur, quomodo *genus* (u. 18) siue liberi talibus parentibus geniti deteriores facti sint. Hoc oblique sic praestitit, ut ueteris aeui iuuentutem prae noua laudaret, futuram etiam peiorem fore praediceret.

34. *infecit — Punico:* indicauit primum bellum Punicum, in quo proelia maxime cruenta nauibus in mari commissa sunt.

35—36. *ingentem Antiochum*. ingentem opibus et exercitibus. *Magnum*, quo cognomento a suis uocabatur Antiochus, Flaccus illum appellare non uoluit.

36. *Hannibalemque dirum:* sic iterum uocauit IIII 4 42 (*dirus Afer*). Quintil. VIII 2 9: *proprie dictum id est, quo nihil inueniri possit significantius, ut — Horatius acrem tibiam Hannibalemque dirum.* Dirum (*grässlich, entsetzlich*) id dicitur unde oculi abhorrent. Nimirum Hannibal altero oculo amisso dira specie incedebat; cf. Iuuenalis X 157: *o qualis facies et quali digna tabella, cum Gaetula ducem portaret belua luscum!* Liuius XXII 2, Polybius III 79. Sic est *dirus hydrops* Carm. II 2 13, quem aspicere uix sustineas, sic Epl. II 1 10 legis *diram hydram*, quae multiceps horrorem incutit. Alia ratio uocabuli subest I 2 1, ubi *dira grando* dicitur quae dira protendit.

37—38. *sed rusticorum — pro-*

sed rusticorum mascula militum
proles, Sabellis docta ligonibus
uersare glebas et seuerae
matris ad arbitrium recisos

portare fustes, sol ubi montium
mutaret umbras et iuga demeret
bobus fatigatis, amicum
tempus agens abeunte curru.

damnosa quid non inminuit dies?
aetas parentum peior auis tulit
nos nequiores, mox daturos
progeniem uitiosiorem.

41—44. Sol — curru *Priscianus* VII 17 82. 43. Bobus *B*. 45. Dāpnosa *B*, *non GH*. inminuit *BG*, īmin. *g*: imm. *H*. 47—48. mox — uitiosiorem *Seruius ad Verg. Georg.* I 24. 48. uiciosiorem *BGH*.

les: milites ruri natos ibique omni labore firmatos. Caue iungere *rusticorum militum proles*, sed *rusticorum* nude positum est et pendet ex uerbis *mascula militum proles*, h. e. mascula et militaris proles rusticorum.

38. *Sabellis — ligonibus:* quibus Sabelli siue Sabini, fortes bonique rustici, usi sunt. *Sabellis* ἐθνικόν pro κτητικοῦ (*Sabellicis*) est. De Sabinorum incorrupta gente cf. Liuius I 18, Vergilius Georg. II 532, alii.

39—40. *seuerae matris ad arbitrium:* 'mire simplicitatem et patientiam in iuuenibus per id ostendit, quod etiam matrum potestati se subicerent, cum ad arbitrium earum operarentur'. Porphyrion.

40—41. *recisos portare fustes:* recisos a se et non iumentis imponendos sed suis humeris domum portandos.

41—42. *sol ubi montium mutaret umbras:* praeclara breuitate notauit totum diem iuuenes operi rustico se dedisse, siquidem opponitur tempus uespertinum et matutinum: horis enim uespertinis umbrae orientem uersus iaciuntur, quae matutinis in occidentem directae erant.

42—43. *iuga demeret bobus fatigatis:* obuersati sunt uersus ex Homeri Odyss. ν 31—35.

43—44. *amicum tempus:* tempus cenandi et requiescendi, quod amico animo euenit agricolae. Homerus l. c. ἀσπασίως δ' ἄρα τῷ κατέδυ φάος ἠελίοιο. Acute componitur *amicum tempus agens* atque *abeunte curru*.

45. *damnosa:* quae bonos mores multis damnis affecit.

46—48. Suspice raram breuitatem quattuor saecula paucis uerbis iungentis et singula dilucide denotantis. *Nequiores* minore pretio aestimantur (φαυλότεροι), *uitiosiores* pluribus uitiis aegrotant (πονηρότεροι).

VII.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
primo restituent uere fauonii
Thyna merce beatum,
constantis iuuenem fidei,

Gygen? ille notis actus ad Oricum
post insana caprae sidera frigidas

Ad Asterien. Metrum asclepiadeum duobus uersibus, tertius ferocratius, quartus glyconius *A*. Ad asteriam symboletice *B*. Ad Asteriem *H*.
1. *Diomedes* III 37. candida *Diomedes*. 3. Thina *GH*.
4. fidei *ABGHgω Blandinii Acron commentator Cruquii:* fide *pauci*.
5. gigen *AH*. nothis *ABGHg*. adoricū *A*.

Carm. VII. Prooemium. *Gygen constantis fidei iuuenem, Asterie, flere noli, qui tempestate de instituto cursu deiectus Oricum appulit, inde mox rediturus, temptamentis ab hospite Chloe frustra petitus. Tu similem fidem praestare memento, cauta aduersus pericula quae puellis strui solent.* (Metrum 19)

Grauibus argumentis hactenus tractatis iocum admiscuit facetissimum. Eximii carminis uenustas partim agnoscitur in lepida narratione insidiarum utrique parti positarum, tum elucet ex beneuola erga iuuenem et puellam cura, qua poeta tamquam eximius mutui amoris patronus fidem amantium et approbat et seruare studet. Scripti carminis tempus certius definiri nequit, sed quoniam perfectam artem prodit, maturo aeuo Flacci ascribi debet.

1—5. *quid fles — Gygen?:* ad consolandam puellam tria affert admodum ualida, amicum sospitem mox rediturum esse, lucellum sibi parasse, fidem constanter seruasse.

2. *primo restituent uere fauonii:* Plinius NH. II 47: *uer ergo aperit nauigantibus maria, cuius in principio fauonii hibernum molliunt caelum —. Is dies sextus est ante Februarias idus.* Idem XVI 39 (25): *ordo autem naturae annuus ita se habet. Primus est conceptus flare incipiente uento fauonio circiter fere sextum idus Februarii.*

3. *Thyna — beatum:* mercator in Bithyniam profectus inde diues rediit. Thyni et Bithyni olim discernebantur (Strabo XII 3 § 3. Eustath. ad Dionys. Perieges. 793), Horatii temporibus mixti agebant. *Thynus* igitur idem quod *Bithynus*. Catull. 31 5: *uix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos liquisse campos.*

4. *fidei: fidei* duabus syllabis effer; eo ducit librorum tantum non omnium auctoritas. Priscum genetiuum (*fide*) Horatio in Carminibus non obtrudam. Aliter res se habet in Sermonibus; cf. ad Serm. I 3 95.

5—22. Post absentiam et fidem simpliciter memoratam nunc absentiae causa (5—8), dein fides uarie temptata et constanter seruata narratur.

noctes non sine multis
insomnis lacrimis agit.

atqui sollicitae nuntius hospitae,
suspirare Chloen et miseram tuis
dicens ignibus uri,
temptat mille uafer modis.

ut Proetum mulier perfida credulum
falsis impulerit criminibus nimis
casto Bellerophonti
maturare necem refert;

narrat paene datum Pelea Tartaro,

9. sollicite nuncius hospite *H.* nuncius *G.* 10. choen *A*, cloen *BG.* 11. dıг̄ (= dicens, *nam ultima* s *est, non* r) *A.* 13. pretum *BH, non AG.* redulum *A.* 14. inpulerit *B*, ī̄pul. *g.* 15. bellerefonte *A*, bellorophonti *B*, bellorofonti *pr G*, belorof. *corr G*, bello rophonti *H*, bello rofonte (*sic*) *g.* 17. paene *A*: pene *BG*, poene *H.*

5. *notis actus ad Oricum:* ex Bithynia in Italiam rediturus notis (h. e. noto acriter flante, numerus enim multitudinis uim noti exprimit) ad terram continentem actus est. Oricum urbs Illyrica in litore Epiri. Strabo VII 5 § 8: *μετὰ δ' Ἀπολλωνίαν Βυλλιακὴ καὶ Ὠρικὸν καὶ ἐπίνειον αὐτοῦ ὁ Πάνορμος.* Portum Oricum memorat Herodotus VIIII 93.

6. *post — sidera:* haec iungenda *notis actus:* causam enim afferunt cur ab instituto cursu deiectus sit. Ipsum *post sidera caprae* interpretor cum Lambino 'post occasum Caprae sideris', qui fit die quinto decimo kalendas Ianuarias. Columella XI 2: *XV. kalendas Ianuarias capra occidit mane; tempestatem significat.* Alii ortum Caprae, qui est extremo mense Septembri, malunt intellegere, sed aduersantur proxima uerba *frigidas noctes.*

8. *insomnis:* *ἄυπνος.* Fortasse hoc primus inuenit praeiuitque Vergilio et proximis poetis.

9—12. Veram iuuenis fidem esse, non feminae quacum rem habeat absentiam, exequitur.

9. *sollicitae — hospitae:* in cuius domo Orici deuertit; haec sollicita est ob uim amoris.

10. *suspirare:* suspiria ducere, ut solent amore graui percussae; miseram appellat nuntius, ipse quasi dolens Chloen tam perdite amare.

10—11. *tuis ignibus:* quo tu tamquam ignibus ardes. Ouid. Amor. III 9 56: *uixisti, dum tuus ignis eram.* Hic noster Epod. 14 13: *non pulchrior ignis.* Pluralem uersus Latinis paulo insolentior postulauit. Nauckius interpretatur *iisdem quibus tu ureris.*

12. *temptat:* *πειράζει,* uerbum in re amatoria solitum.

13—16. Vt ostendat nuntius quam periculosum sit nimis castum esse et aspernari amantem mulierem, discrimina Bellerophontis refert paene necati ob spretam Anteam siue Sthenoboeam (Hom. Il. *Z* 155 sqq.).

13. *perfida credulum:* haec scite composita sunt: nam credulus maritus perfidiam coniugis non suspicatus est.

17—18. Addit similem historiam amoris a Peleo non sine magno periculo spreti. Cf. Apollodorus III 13 3,

Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
et peccare docentis
fallax historias mouet.

frustra: nam scopulis surdior Icari
uoces audit adhuc integer. at tibi
ne uicinus Enipeus
plus iusto placeat caue:

quamuis non alius flectere equum sciens
aeque conspicitur gramine Martio,
nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alueo.

18. Magnessem *G.* hipoleten (i *ab ead. m.*) *A*, hippoliten *g*, hypolytẽ *B*, hypolitẽ *G*, hyppoliten *H.* apstinẽ (*litterae* s *locus deerat in charta*) *A.* 19. docentis *AH:* docentes *BG.* 20. hystorias *G.* mouet ϛ*:* monet *ABGHgωΣ.* 21. scopuli surdior *A.* ikari *H.* 22. intiger *A.* 23. nec *A.* enipheus *AG.* 25. Quanuis *H.* 26. aeque] neq, *A.* marcio *H.* 28. albeo *A.*

Pindarus Nem. IIII 56 sqq., V 26 et Schol. ad Aristoph. Nub. 1059 (1064 ed. Herm.).

18. *Magnessam Hippolyten:* 'Magnes' (Magnesia) 'Thessaliae ciuitas est, quam per discretionem Hippolytes Caucasiae memorat et Amazoniae uxoris Thesei'. Acron.

19—20. *et peccare — historias mouet:* particula *et* nunc ualet *etiam;* quae adhuc narrauit, in his non est peccatum a uiris castis. Sed idem ille eiusmodi historias (*μύθους*) undecumque excitat (*mouet*), quibus peccata in amore docentur; quae non tam in uulgus notae ex latebris suis ab homine uafro excitantur, ab Horatio uitante parum casta haud referuntur.

21. *frustra:* cum ui in illustri loco uersus et principio nouae sententiae positum est. Cf. III 13 6. *scopulis surdior Icari:* 'metaphora a nauigantibus, quod ita amantis non audiret preces, quemadmodum si a periclitantibus rogentur scopuli'. Acron. Icari genetiuus est nominatiui *Icarus* siue *Icaros*, quod nomen tam insulae fuit quam hominis. *Ἴκαρος* est apud Thucyd. III 29, *Icaros* apud Plinium NH. IIII 23 (12), accusatiuus *Icaron* V 37 (31). Straboni *νῆσος Ἰκαρία* audit XIIII 1 19, cuius uerba Horatianis explicandis inseruientia haec sunt: *τριακοσίων δ' ἐστὶ τὴν περίμετρον σταδίων ἡ νῆσος ἅπασα καὶ ἀλίμενος,* mox: *νυνὶ μέντοι λειπανδροῦσαν Σάμιοι νέμονται τὰ πολλὰ βοσκημάτων χάριν.*

22—24. *at tibi — caue:* ob tantam fidem, quantam modo descripsit, conciliatus iuueni constanti monitu suo amicam illius beneuole et cum cura alloquitur. Magna est in re ludicra seueritas.

25—28. Duo enumerat quibus interdiu puella capiatur, cum pulcher adulescentulus in campo Martio equum scite flectit aut cito denatat in Tiberi ad partem ab urbe auersam, h. e. in dextro litore fluminis. Cf. I 8 6, III 12 7.

29—32. Diligens monitor iam praecipit quae nocturno tempore obseruanda et cauenda sint.

32. *duram difficilis:* scite haec iuncta sunt. *Dura* enim in uitio est, ideoque hoc uocabulo in reprehensione utitur querulus amator. Sed beneuolus amicus rei ueritatem secutus puellam monet, ut insidiatori *dif-*

prima nocte domum claude neque in uias
sub cantu querulae despice tibiae,
et te saepe uocanti
duram difficilis mane.

VIII.

Martiis caelebs quid agam kalendis,
quid uelint flores et acerra turis

30. quaerulae *H.* tybiae *BG.* 31. sepe *ABGH.*

Ad Maecenatem saphicum *A.* Ad mecenatem eucharistice *B.* Ad Mecenatem *H.*
1. *Diomedes* III 37. arciis (*pro* Marciis) *G.* celebs *BGH*, *non A.* kalendis *mei, non* cal. 2. turis *mei, non* thuris.

ficilis esse pergat, nihilque admittat quo fidem laedat.

Carm. VIII. Prooemium. *Quid uelit sacrificii paratus in domo caelibis festo matronali, quaeris, Maecenas. Nimirum anno redeunte dies, quo arboris casu paene oppressus sum, pro festo mihi agitur. Cuius laetitiae tu fies particeps, oblitus urbanae curae ac rerum externarum, quae bene gestae et iam compositae sunt.* (Metrum Sapphicum)

Scripti carminis tempus kalendas Martias anni 725 (29 a. Chr.) primus indicauit Lachmannus in epistula Frankii Fastis Horatianis (p. 240) addita. Eo pertinet cura urbis et Italiae uersu 17 et 25—26 memorata, quae Maecenati, mox etiam Agrippae commissa est, dum Caesarem res externae detinent annis 723—725 (Dio Cassius LI 3, Tacitus Ann. VI 11, Velleius II 88, Horatius III 29 25—28, Serm. II 6 32—38). Verba his proxima, *occidit Daci Cotisonis agmen*, item (23) *iam Scythae laxo meditantur arcu cedere campis*, respiciunt Dacos et Bastarnas a. 724 et 725 a M. Crasso debellatos (Dio LI 23 sqq., Liuius Epitom. 134, Florus IIII 12 13—17 siue II 28, Horatius Serm. II 6 50—53). Quae sequuntur, *Medus infestus sibi luctuosis dissidet armis*, dicta sunt de Prahate ex Scythis reuerso, qui Tiridaten de regno pepulit, cuius rei nuntius initio anni 725 Romam perlatus est (Dio LI 18 et 20; cf. ad Carm. I 19). Restant illa *seruit Hispanae uetus hostis orae Cantaber sera domitus catena*, quibus celebratur expeditio Statilii Tauri, qui Cantabros anno 724 deuicit (Dio LI 20). Carminis sedati et subtiliter scripti postremam stropham damnauit Meinekius exemplum Guieti secutus, totum Horatio indignum iudicauit Peerlkampius.

1—5. Fingit kalendis Martiis Maecenatem ad se uenire mirantem quid caelebs ideoque festi matronarum (*Matronalium*) incuriosus sacrificium paret. De Matronalibus cf. Ouidii Fast. III 231—258, Tibulli III 1—4, Martialis V 84 9—11, Iuuenalis VIIII 51—53, Iuuenalis scholiasta: *kalendis Martiis, in quibus Iunonis sacra celebrantur a matronis, quia tunc*

plena miraris positusque carbo in
cespite uiuo,

docte sermones utriusque linguae.
uoueram dulcis epulas et album
Libero caprum prope funeratus
arboris ictu.

hic dies anno redeunte festus
corticem adstrictum pice dimouebit
amphorae fumum bibere institutae
consule Tullo.

sume, Maecenas, cyathos amici

3. in *GHω: om AB* (*adesse in B non uere dicit Orellius*) *gς*. 4. Cespite *GHg:* cęspite *A;* cf. I 19 13, II 15 17. 5. *Donatus ad Terent. Eun.* III 2 25. sermones *ςΣ Donatus,* sermonis *Blandinii:* sermonis *ABGHgω*. 6. dulcis *A pr B:* dulces *GHg*. 9—11. hic dies — amphorae *Priscianus* XVII 21 161. 10. corricẽ *A*. adstrictum *AG:* astrictum *BHg*. dimouebit *ABGHgω*. 11. anforae *A*. 12. ɔsul. >. ullo (consul et ullo = consule Tullo) *A*. 13. mecenas *BGH*, *non A*. cyatos *BH*.

Ilia compressa est a Marte. 'kalendae autem Martiae hodie quoque matronarum dies festus est'. PORPHYRION.

2. *acerra:* arcula unde aliquid turis in carbones candentes spargatur.

3—4 *positusque — cespite uiuo:* aram aggestu terrae factam et uiridi cespite uinctam cogita; cf. IIII 11 6: *ara castis uincta uerbenis auet immolato spargier agno.*

5. *docte sermones utriusque linguae:* sermones pro *litteris* est. Litteratorem esse dicit Maecenatem, quatenus scit quid more tradito Matronalibus maritus, quid caelebs agat. 'Sic ordinandum est: Maecenas docte sermones utriusque linguae, et intellegendum utique Graecae et Latinae chartae'. PORPHYRION.

6—8. *uoueram — ictu:* statim uoui, ubi prope funeratus sum arboris ictu. Forma temporis plusquamperfecti indicat uotum post casum continuo subsecutum esse.

6—7. *album Libero caprum:* Libero caprum uouit, quod Bacchus tuetur poetas; Epl. II 2 78. Quod Faunus ictum arboris leuasse narratur Carm. II 17 28, huic non contrarium est. Caper Baccho mactari dicitur ob uites depastas, *albus* ut deo supero; 'superis aptior erat alba uictima: nam dis infernalibus semper nigra offerri debet'. ACRON.

7. *funeratus:* sepulcro traditus.

8. *arboris ictu:* cf. II 13 et 17, III 4 27.

9—12. Ante narrauit quid fecerit post uitatum casum: iam addit quomodo redeunte anno diem notabilem celebraturus sit. Hinc liquet arboris periculum impendisse kalendis Martiis anni 724: nam hoc carmen kalendis 725 cecinisse poetam in prooemio ostensum est.

11. *fumum bibere institutae:* pro *repositae* in apothecam uini. Columella I 6 § 20: *apothecae recte superponentur iis locis unde plerumque fumus exoritur, quoniam uina celerius uetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.* Cf. Carm. III 21 7.

12. *consule Tullo:* dicit L. Volcatium Tullum, consulem a. 688 (66 a. Chr.), qui fuit annus proximus ante

sospitis centum, et uigiles lucernas
perfer in lucem; procul omnis esto
clamor et ira.

mitte ciuilis super urbe curas:
occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
dissidet armis,

seruit Hispanae uetus hostis orae
Cantaber, sera domitus catena,
iam Scythae laxo meditantur arcu
cedere campis.

neglegens, nequa populus laboret,

14. centum] .C. *A*. 15. Perfer *ABGHgω:* Profer ς.
17. ciuilis *A:* ciuiles *BGH*. 19. infestus *ABGHgω:* infestis *Turicensis et Galeanus*. sibi luctuosis infestus *G*, *ead. m. correctum* inf. sibi luct.
21. hyspanae *A*, hispanię H. horae *G*. 23. scithae *AB*, sithae *H*.
25. Neglegens *Hω*, Neclegens *pr B:* negligens *AGg*.

natum Horatium, ut uinum sit annorum 38, non L. Volcatium L. F. Tullum, qui consul fuit a. 721, h. e. quattuor annis ante hunc diem festum. Conf. III 14 18: *pete — cadum Marsi memorem duelli.*

13—14. *cyathos amici sospitis centum:* (*hundert Gläser auf die Gesundheit des geretteten Freundes*). Conf. III 19 9: *da* (poculum) *lunae propere nouae*, *da noctis mediae*, *da*, *puer*, *auguris Murenae.*

17—24. Vt amicum incuriosum et festo deditum reddat, enumerat quae apud exteros bene gesta sint. De his, item de cura urbis et Italiae Maecenati commissa in prooemio dictum est.

18. *Daci Cotisonis:* hominis mentionem facit etiam Suetonius Aug. 63, Florus IIII 12 18 (II 28).

19—20. *Medus — armis: infestus* Romanis opponitur proximis *sibi luctuosis dissidet armis*, h. e. domesticis seditionibus laborat; cf. Prooem.

21. *Hispanae uetus hostis orae:* oram dicit tractum montis Pyrenaei in finibus Galliae, ubi habitabant Cantabri, a. 724 a Statilio Tauro uicti. Quod mox rebellarunt ac demum Augusti ductu auspiciisque (728—730), postremum ab Agrippa (734) perdomiti sunt, id Horatius haec scribens scire nondum potuit. Ipse ut plane subiectos imperio iusteque parentes accepit.

22. *sera domitus catena:* Hispani imperioso populo iam diu parere debuerunt, sed postremi omnium (Liu. XXVIII 12) obsequi coeperunt.

23. *laxo — arcu:* arcum laxo neruo esse patiuntur omissa pugna. *Scythae* sunt Bastarnae Danubium cum Dacis transgressi, sed fugati a Crasso ex campis occupatis in ulteriora sedum suarum cessuri sunt.

25. *neglegens — laboret: neglegens* (*non timens*) pendet ex proximo *parce priuatus nimium cauere;* ualet *ita ut neglegas*. Repetit illud ac certius definit: *mitte ciuilis super urbe curas*. Laborare autem potuit ciuitas graui annona, seditione, furore. Huic curae Maecenas prae ceteris impositus erat.

parce priuatus nimium cauere, et
dona praesentis cape laetus horae et
linque seuera.

VIIII.

Donec gratus eram tibi
nec quisquam potior brachia candidae
ceruici iuuenis dabat,
Persarum uigui rege beatior.

26. cauere et *ABGgω*, cauere :- et *H*: cauere ς. 27. cape *ABGHgω*: rape ς. et linque *H*ς, ac linque *Parisinus* 7900: Linque *ABGgω*.

Ad Lidiam meritricem. primus uersus glyconius, secundus asclipiadeus *A*. antapodotice *B*. Ad Lidiam meretricem *H*.
1. *Diomedes* III 37.

26. *parce priuatus:* cum sis priuatus, h. e. nullo magistratu populi iussu collato praeditus, neque certis obstrictus officiis. Dedita opera hoc uidetur monere, ut Maecenatis in summis negotiis priuatum se habentis modestiam aequalibus ostenderet inuidiamque molliret. Quippe illam curam extra ordinem a Caesare acceperat. Non perspexit Bentleius.

26—28. *et — cape — et linque:* quae facere amicum uult quaeque omittere, particulis *et — et* indicauit. Alterum *et* in plerisque codicibus omissum est, cuius rei causa neminem latere potest. Discrepantem scripturam *rape* pro *cape* dextre oppugnauit Bentleius scribens: 'ex adiuncto illo *dona* perspicue uidemus retinendum hic esse *cape*. Quid enim opus est ut ea quae *donata* sunt, *rapere* uelimus? Rapiamus, si fas est, negata aut fugientia: quae oblata praesto sunt, capiamus et sumamus'.

Carm. VIIII. Prooemium. *Beatus uigui tuo amore, Lydia, donec ceteris omnibus praeferebar.* '*Clara uigui, donec non eram post Chloen*'. *Ego Chloen nunc intimo amore diligo.* '*Magis me Calaidis amor torret.*' *Nihilo minus ad te redire, Chloen excutere cupio.* '*Quamquam nouus amator forma tibi praestat, tecum usque ad finem uitae uiuere amem*'. (Metrum 5)

Scripti carminis annus definiri nequit. De Lydia dictum est ad I 8 et 25.

1—4. Irarum quas adhuc fouit pertaesus et redeundi in gratiam cum Lydia cupidus statim felicitatem temporis, quo prae ceteris huic puellae placebat, benigna recordatione extollit.

2. *potior:* mihi praelatus: Epod. 15 13: *assiduas potiori te dare noctes.*

4. *Persarum uigui rege beatior:* rex Persarum (Parthorum) beatus ui-

'donec non alia magis
arsisti neque erat Lydia post Chloen,
multi Lydia nominis
Romana uigui clarior Ilia'.

me nunc Thressa Chloe regit,
dulcis docta modos et citharae sciens,
pro qua non metuam mori,
si parcent animae fata superstiti.

'me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti,
pro quo bis patiar mori,
si parcent puero fata superstiti'.

5. alia *ABGHω Blandinii:* aliam ς, aliā *g.* 6. cloen *B.* 9—10. *Priscianus* XVIII 24 194. 9. thressa *Gω:* tressa *B,* thraessa *A,* chressa *H,* cressa ς. riget *pr Bς.* 10. Dulcis *Ag:* Dulces *BGH.* cytharae *BG,* cythare *H.* 14. thyrini *A,* Tu rini *corr G* (*fuit* thurrini), Turini *Hg.* calais *g:* chalais *ABH.* ornyti *AB:* orniti *GHg.*

get imperio et possessione, ego uigui tuo amore et fide.

5—8. Lydia ita respondet ut laesam fidem in Horatium retorqueat, sed non minus quam ille prioris amoris felicitatem agnoscat. Recte monuit Mitscherlichius, carminis amoebaei hanc esse naturam, ut qui respondeat ad alterius sensus orationem dirigat, ita tamen ut uel dictae ab altero sententiae uim acuat uel eam redarguat.

5—6. *non alia magis arsisti:* cf. ad II 4 7—8.

6. *neque — Chloen:* fortius perfidiam regerit nominata puella sibi praelata.

7. *multi — nominis:* hoc nouum pro *magni nominis*, i. e. inclita tuis carminibus.

8. *Romana uigui clarior Ilia:* nonne potius *Albana?* Non est ita, ut patebit comparanti dicta ad III 3 32; *uigui* in responsione Lydia ex Horatii uerbis consulto repetiuit. Ipsa peregrina mulier se comparat cum Romana Ilia.

9—12. Stimulos adhibet Lydiae, dum laudat quam ipsa sibi praelatam esse non sine dolore modo professa est. Quippe hoc amans spectauit et probare Lydiae studet, se non ideo ad ueterem amorem reuerti cupere, quod desit alia puella quam sectetur.

10. *dulcis docta modos:* modos (μέλη) dicit uoces carminis, quas iungit citharae sonis Chloe. Alexander Aetolus in Musis (Macrob. Saturn. V 22) de Timotheo: *κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων.* De Chloe cf. Prooem. I 23.

12. *si — superstiti:* si morte mea consequi possim, ut anima Chloes sit superstes.

13—16. Lydia aucta refert quae Horatius professus est.

14. *Thurini — filius Ornyti:* noui amatoris origo indicatur, ut ueteri omnis de eo dubitatio dematur.

15. *pro quo bis patiar mori:* aggerat Horatii dictum *pro qua non metuam mori.*

16. *puero:* tenerum aetate quasi praeteriens laudat. Cf. I 5 1.

quid si prisca redit Venus
diductosque iugo cogit aeneo?
si flaua excutitur Chloe,
reiectaeque patet ianua Lydiae?

'quamquam sidere pulchrior
ille est, tu leuior cortice et inprobo
iracundior Hadria,
tecum uiuere amem, tecum obeam libens'.

18. deductosq, [illegible], *non BGHg.* 20. Reiecteque *BH.* 21. quamquam *ABGHω:* quamuis *gς.* 22. inprobo *BG:* ĩpr. *g*, impr. *AH.* 23. badrya *G,* adria *H.*

17—24. Sequitur *περιπέτεια* in tertia parte poematis, reditus ad amorem qui iam plane omissus et neglectus uidebatur.

17. *prisca:* quae ante nos regere solebat.

18. *diductosque:* in diuersa noui amoris ui ductos. Vitium *deductosque* in libro Bernensi hinc ortum est, quod librarius hoc uocabulum cum proximis *iugo — aeneo* perperam iunxit.

19. *si flaua excutitur Chloe:* quo magis placeat Lydiae et iras eius compescat, de Chloe quamuis decora (*flaua*) contemptim iam loquitur et se promptum esse fatetur ut eam tamquam onus iniucundum excutiat.

22. *tu leuior cortice:* quomodo haec pulcherrimo Calaidi iuste possunt opponi? Scilicet hominem cortice leuiorem et staturae bipedalis (Serm. II 3 309) ad pulchritudinem aspirare plane non posse Lydia praesumit. Alibi *leuis* de inconstantia et mobilitate ingenii dicitur: nunc contrarium eximiae pulchritudini positum idem significare non potest.

22—23. *inprobo — Hadria:* facete pusilli hominis ira magno mari ac prae ceteris aestuoso (I 33 15) comparatur. Calain irae minus obnoxium esse commemorata ueteris amatoris iracundia significatur. *Hadria,* cum est mare, masculini generis est. De sua iracundia Flaccus loquitur Epl. I 20 25; adde Carm. I 16, Serm. II 7 116 sqq., etiam Serm. II 3 323.

X.

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
saeuo nupta uiro, me tamen asperas
porrectum ante fores obicere incolis
plorares aquilonibus.

audis quo strepitu ianua, quo nemus
inter pulchra satum tecta remugiat

Ad Lycen. metr̄ tribus uersibus asclipiadeum, quartus glyconius *A*. Ad licem superbam in amicos *B*. Ad Licen *H*.

1. *Diomedes* III 37. tanayn *B*, tanaim *corr H*. bibis *A*. lice *GH*. 2. Seuo *BGHg*, *non A*. 4. ploralis *A*. 6. *reliquos odae uersus et carmen* 11—15 *omittit g*, *continuans carmen* 16 *his uersibus quinque prioribus*. pulcra *A*, plura *G*. satum *AB corr Hς tres Blandinii:* situm *G pr H corr Bω*.

Carm. X. Prooemium. *Miserere, Lyce, ante fores tuas tempestatem geluque uix tolerantis. Ingrata Veneri superbia est, ac genus tuum non est eiusmodi ut Penelope fias. Licet nec munera nec preces neque amantium pallor aut maritus non fidelis te flectant, parce supplicibus tuis. Non semper limen pluuiamque patiar.* (Metrum 18)

Hoc παρακλαυσιθύρου exemplum certe post annum 725 (a. Chr. 29) factum esse ex tertio decimo carmine libri quarti colligitur. Ibi enim Horatius profitetur post Cinarae obitum ad Lyces amorem se accessisse: Cinaram uero in uiuis fuisse a. 725 ad I 19 uidimus. Cum Lyce satis diuturna amoris consuetudo quamuis fuerit (id patet ex Carm. IIII 13), cur binis tantum carminibus mentionem iniecit? Immo eandem alio nomine cecinit: nam epodus quintus decimus, qui alloquitur Neaeram, ad hanc mulierem pertinet, quam data occasione eodem Neaerae nomine memorauit etiam in Carminum III 14 21—24. Nec uero aliam spectant quae III 19 24 de Lyci uxore produntur. Παρακλαυσίθυρον Aristophania licentia conscriptum legimus in Ecclesiazusis 960—976.

1. *Lyce:* Lyce appellatur quod Lyco (*Lupo*) nupta erat; cf. ad III 19 23. Nihil infame inest in nomine.

2. *saeuo nupta uiro:* uiri ad *Tanain* habitantes adulteras morte multabunt; u. III 24 22—24. Vis hypothetica ex proximo enuntiato (*extremum Tanain si biberes*) etiam ad haec pertinet. Verus Lyces coniux alia femina saucius (u. 15) minime saeuus uidetur fuisse.

2—3. *asperas — fores:* ante fores quae forent ad extremum Tanain in sedibus Scytharum.

3. *porrectum:* prostrato corpore iacentem.

3—4. *obicere incolis plorares aquilonibus:* numerus multitudinis *aquilonibus* eadem ui fungitur qua *notis* in Carm. III 7 5. Aquilones ad Tanain tamquam in sua sede habitant (*incolae*). *plorares:* breuiter dictum pro *plorando committeres*.

5—8. Si in Scythis miseratione mouearis, cur non in urbe, ubi nunc non minus saeua dominatur tempestas quam ad Tanain?

5. *audis:* ipsam antestatur, quanta uis uentorum saeuiat. Statim *ianua* est eius domus ianua, in qua habitat Lyce.

5—6. *nemus inter pulchra satum tecta:* Mitscherlichius Acronis exemplo interpretatur uiridarium in tecti

uentis, et positas ut glaciet niues
puro numine Iuppiter?

ingratam Veneri pone superbiam,
ne currente retro funis eat rota.
non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

o quamuis neque te munera nec preces
nec tinctus uiola pallor amantium

8. iupiter *G.* 10. Ne *BH corr Gω:* nec *A pr G.* rota funis eat retro *pauci.* 11. n̄ ī (*uoluit* nō = non) te *A.* penelopē *G.* 12. tyrhenus *A*, tyrrenus *BG*, tirrenus *H.* 13. te *om G.* neq, preces *G.* 14. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 2 47.

impluuio consitum; obsequitur Orellius. Oblitus est uterque huius conditionis feminas in tali domo, ubi erat uiridarium operose consitum (cf. Epl. I 10 22), non habitasse, deinde *inter pulchra tecta*, h. e. inter pulchras aedes, non in *uiridario* domus alicuius hoc nemus satum referri. Est uerum nemus siue lucus in urbe, cuius arbores magnae et multae turbida nocte uentis agitantur. Hoc autem nemus non aliud uidetur significare quam duos lucos ad asylum positos et inter duo Capitolini montis capita interiectos. Hic ab una parte aedificia in foro Romano et foro Iulio, ab altera Campi Martii monumenta obiacebant.

7. *glaciet:* glacie inducat ac uestiat; quod ubi fit uentis acriter spirantibus, non solum uideri sed etiam auribus percipi potest. Ipso uerbo *glaciare* Horatius primus, ut uidetur, usus est.

8. *puro numine:* puro caelo. Numen noue uocatur quod ui Iouis in caelo regnantis factum est.

10. *ne currente retro funis eat rota* (*damit nicht von rückwärts rollendem Rade laufe das Seil*)*:* si rota, dum funis inducitur, nimis intenditur et torquetur, operam rotantis facile superat ac *retro currit*, quod ubi fit, inductus funis relabitur; *eat* est pro *abeat.* Alii *retro eat* iungere malunt. Dicit, caue ne nimia superbia ipsa contemnaris ab amantibus.

11—12. *non te — parens:* ortu et genere mediocris non altera Penelope potes esse.

14. *tinctus uiola:* h. e. subliuidus, *blau unterlaufen.* Achilles Tatius 3 p. 64 ed. Iacobs: τὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἄνθος — ἔοικε τοῖς ἄρτι μαραινομένοις ἴοις. Pallor amantium curis perpetuis, liuor inuidia nascitur.

15. *uir Pieria paelice saucius:* neque id te mouet, quod uir tuus paelicem externam perdite amat. *Pieria* est Macedonica. Nam *Pieria* quamuis etiam mulieris nomen fuerit, nunc tamen additum *paelice* ueram rationem ostendit. 'Vult intelligi maritum Lyces huius amare aliam, id est Pieriam nomine mulierem' (hoc falsum), 'propter quam contumeliam uel dolorem suadet ad reddendam uiro pro paelice uicem' (sic lege, non *uicissitudinem*) 'se amari debere'. Acron. Nominis formam *paelice* ad fidem uetustissimi codicis A, qui numquam aliter illam exhibuit, repraesentaui, qua in re Bernensis optimos quosque libros assentientes habet, uerbi causa Pithoeanum Iuuenalis, qui II 57 *paelex*, VI 272 *paelice*, ibid. 627 *pelice* scriptum habet. *Pellex* originationi falsae formam debet.

16. *curuat:* noue pro *flectit*, ut iugo aeneo subdita fiat.

nec uir Pieria paelice saucius
curuat, supplicibus tuis

parcas, nec rigida mollior aesculo
nec Mauris animum mitior anguibus.
non hoc semper erit liminis aut aquae
caelestis patiens latus.

XI.

Mercuri (nam te docilis magistro

15. Pyeria *G.* paelice *A*, pelice *BGH:* pellice *uulgo; cf.* III 27 66, *Epod.* 3 13, 5 63 *et* 70. 17. esculo *GH.* 18. animũ *Aς:* animo *BGHω.*

Ad Mercurium *AH.* Prosphonetice Mercurio Lydaeque *B.*
1. *Diomedes* III 37.

16. *supplicibus tuis:* qui supplice prece te implorant, quod ego nunc facio.

19—20. Minas suas paucis transigit, quippe adhuc amore magis permotus quam incensus dolore superbiae. Pluribus annis post superbae mulieris fastum saeuius notauit (IIII 13).

Carm. XI. Prooemium. *Testudo insigne Mercurii donum, tu dic modos quibus Lyde puella obstinata aures applicet. Tu Orphei manu pulsa Cerberum mitigasti, tu fecisti, ut urna paulum sicca staret, dum grato carmine Danai puellas mulces. Quarum scelus et poenam Lyde audiet, ne obsequium proteruo marito detrectare pergat.* (Metrum Sapphicum)

Primarium esse argumentum carminis quod uersibus 22—52 diserte narratur, singula consideranti et cum animo reputanti facile patebit. Quae antecedunt, huc spectant ut res a Danai filiabus patratae lepidam ob causam facete tradantur. Iam non erit difficile occasionem carminis et rationem eius aperire, quod sic institui posse crediderim. Scilicet cum Caesar Octauianus anno urbis 726 Palatinam Apollinis aedem dedicauit (cf. Prooem. I 31), in porticibus templo additis statuas Danaidum Danaique patris strictum ferrum tenentis posuit, hoc, puto, secutus, ut columnis quibus porticus niterentur, a multitudine puellarum insigne decus accederet. Quae simulacra cum a multis Romanis ignorarentur, Horatius, opinor, Maecenatis aut ipsius Augusti rogatu hoc poema fecit, quo imagines nuper propositae illustrarentur. Rem ipsam docebit Propertius (II 31 1—4): *aurea Phoebi porticus a magno Caesare aperta fuit. Tota erat in speciem Poenis digesta columnis, inter quas Danai femina turba senis.* Ouidius Arte amat. I 73: *quaque parare necem miseris patruelibus ausae Belides et stricto stat ferus ense pater;* idem Amor. II 2 3: *hesterna uidi spatiantem luce puellam illa, quae Danai porticus agmen habet;* idem Trist. III 1 60: *ducor ad intonsi candida templa dei, signa peregrinis ubi sunt alterna columnis Belides et stricto barbarus ense pater.* Hinc consequitur annum natalem huius odae aut 726 (a. Chr. 28) aut huic proximum habendum esse.

1. *Mercuri:* testudinis potentiam celebraturus ante inuentorem eius nominauit.

1—2. *nam te — canendo:* tu ad-

mouit Amphion lapides canendo),
tuque testudo resonare septem
callida neruis,

nec loquax olim neque grata, nunc et
diuitum mensis et amica templis,
dic modos, Lyde quibus obstinatas
applicet auris,

quae uelut latis equa trima campis
ludit exultim metuitque tangi,

2. anphion *B*. 7. lide *H*. 8. Applicet *ABGH*, *non* Adpl. *cf. carm. Saec.* 72. auris *A*: aures *BGH*. 10. exultim *ABGH*, *non* exsultim.

mirabilem lyrae uim, quam ego nunc experiri cupio, mortales docuisti. Causam inuocati Mercurii obiter inseruit. De re cf. Apollodorus III 5 5, Pausanias VIIII 5 8, Horatius AP. 394. Hom. hymn. in Merc. 47. Annotatio nostra ad III 4 4.

3—4. *resonare — neruis:* Homer. hymn. in Merc. 51: *ἑπτὰ δὲ συμφώνους ὀΐων ἐτανύσσατο χορδάς*. De structura *callida resonare* cf. ad I 1 18.

5. *nec loquax — grata:* ingratam animalis tardi naturam et artem inde ductam componit.

5—6. *nunc et diuitum mensis et amica templis:* his praecipuum lyrae in rebus humanis et diuinis usum complectitur. Diuitum mensae sunt conuiuia et coetus nobilium; altero uocabulo (*templis*) dies festos et uotes in his auditas indicauit. 'fidicines hodieque Romae in sacrificiis adhiberi uidemus'. Porphyrion.

7—8. *Lyde — auris:* hoc *παρὰ προσδοκίαν:* dum grande quid expectamus, res ludicra sequitur. Obstinatae aures sunt quae preces amantium non audiunt. Carm. saecul. 72: *Diana uotis puerorum amicas applicat auris.* Proprie aures applicat qui admota manu soni capaciores reddit.

9—12. Haec puellam incuriosam et asperam amantibus depingunt.

9. *equa trima:* ob aetatem iugum accipere potest, sed libenter detractat. 'trium annorum et iam difficilis ad domandum'. Acron. Anacreon frag. 75: *Πῶλε Θρηκίη, τί δή με λοξὸν ὄμμασιν βλέπουσα νηλεῶς φεύγεις, δοκέεις δέ μ' οὐδὲν εἰδέναι σοφόν;*

10. *ludit exultim:* apud Anacreontem l. c. est: *νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις*. Vox *exultim* hoc uno loco reperitur.

11—12. *proteruo — marito: proteruo* adiecit, ut amoris consuetudinem, non iustum matrimonium dici liqueret. *Cruda:* 'non intempestiua, sed animo cruda'. Porphyrion. Statius Theb. VII 298: *expertem thalami crudumque maritis ignibus ante diem cupido uiolauit amore inproba conubii.*

13—14. *tu potes — ducere:* cf. I 12 7. Nomen *comitesque* pertinet ad siluas, non etiam ad tigres, ut ordo uerborum docet.

14. *riuos celeres morari:* I 12 10: *rapidos morantem fluminum lapsus.*

15—16. *inmanis — ianitor aulae: inmanis* iunge cum *ianitor*, non cum *aulae*. Nam *ianitor aulae* cum pro una notione sit (*θυρωρός*), nomen *aulae* epitheto melius carebit;

nuptiarum expers et adhuc proteruo
cruda marito.

tu potes tigres comitesque siluas
ducere et riuos celeres morari;
cessit inmanis tibi blandienti
ianitor aulae,

Cerberus, quamuis furiale centum
muniant angues caput, eius atque
spiritus teter saniesque manet
ore trilingui.

13. tigres *A:* tygres *BG*, tygris *H*. 15. inmanis *B*, ĩmanis *A:* immanis *GH*. 18. capud *B*. 19. tet̃ n̈ saniesq, (*h. e. uulgata* teter saniesque, *nisi quod linea etiam in priore* t *perperam adest*) *A*.

tum apud inferos arta spatia sunt; cf. I 4 17: *domus exilis Plutonia*. Inmanis est Cerberus ob saeuitiam et speciem terribilem. Testudo huic blandiebatur, cum Orpheus Euridicen repetiturus ad inferos descendit.

17—20. In his plura displicuere uiris doctissimis, qui totam stropham interpolatori reddere conati sunt, acerrime et multo cum acumine Naekius in Opusculis I p. 74—77, cui nouissime obsecuti Meinekius et Hauptius uncum asciuerunt. Primum opponunt resecari posse et tamen constare carminis systema, nimiamque esse luxuriantis auctoris digrediendi cupidinem. Verum hoc nimium bene conuenit ad facetum prooemii habitum, quo leue et iocosum uerbis grauissimis tractatur. Simul hac digressione longior illa quae sequitur de filiabus Danai praeparatur. Pergunt illi auctore Bentleio reprehendere superuacaneum pronomen *eius* in uerbis *quamuis furiale centum muniant angues caput eius* ne Latine quidem positum, tamquam interpolator qui locum insigni uerborum lumine decorum facere potuit, Latine scribere nescierit. Sane iunctura adhuc uulgata uitiosa est, sed huic incommodo mutata distinctione obuiam iuimus cum Nauckio: nam iungenda sunt *eius atque ore trilingui*, ubi pronomen apte inseritur, ut spiritus Cerberi, non anguium intellegatur. Hanc particulae *atque* collocationem Horatius adamauit (u. ad Serm. I 5 27) idemque in *et* simili modo saepius ausus est (u. ad Epod. 9 13). Addit Naekius: 'de lyra Orphei agitur, cui *blandienti* cesserit, inuitus quidem quasi, sed sponte nullamque iniuriam passus, Cerberus: in qua descriptione addere, factum id esse, *quamuis* centum angues *muniant* caput Cerberi, *quamuis* spiritus teter saniesque exeant ex ore eius, ineptum est, cum horum munimentorum, quantumuis terribilium, contra artis musicae delenimenta usus sit nullus'. Haec speciosius quam uerius disputata sunt. Scilicet angues Cerberi caput munientes, tum spiritus teter et sanies quamuis impedire potuisse uideantur, quo minus lyrae uoces a tali monstro perciperentur, nihilo minus tantum ualebant illa lyrae delenimenta, ut Cerberum allicerent ac placidum redderent.

17—18. *furiale — caput:* caput furiae simile: nam etiam Furiarum siue Eumenidum capita anguibus implicata sunt; cf. II 13 35, Epod. 5 15. Caput Cerberi Flacco unum est, sed centum capitibus anguinis munitur. Hinc *centiceps* Cerberus II 13 34, ubi uide notata.

20. *ore trilingui:* ore cum lingua trifida; cf. ad II 19 31.

quin et Ixion Tityosque uultu
risit inuito; stetit urna paulum
sicca, dum grato Danai puellas
carmine mulces.

audiat Lyde scelus atque notas
uirginum poenas et inane lymphae
dolium fundo pereuntis imo,
seraque fata,

quae manent culpas etiam sub Orco.
inpiae nam quid potuere maius?
inpiae sponsos potuere duro
perdere ferro.

21. ticiosque *G.* Tityosque uoltu] '*sic habent cod. Bland.*' CRVQVIVS. uultu *ABGH*, *et sic semper. In omnibus Bland.* uoltu *fuisse uix credo*, *ac fortasse Cruquius nihil nisi formam* Tityosque *respexit.* 22. inuita *A.* 25. lide *H.* 30. Inpiae *B*, *proxime* Impiae *ubi est in rasura:* Impie *utrobique H*, Impiae *bis AG.* 30. 31. *inuerso ordine sunt in B.* 31. putuere *A*, *idem u.* 30 *clare habet* potuere.

21—22. *uultu risit inuito:* 'extorquente cithara dulcedine sua quod tormentorum poena non sinebat'. ACRON. Cf. II 14 8, III 4 77. De numero *risit* dictum ad I 24 8.

23. *Danai puellas:* consulto nominare uidetur *puellas*, ut quae maritos prima nocte iugulauerint atque puellae permanserint. Conf. ad III 14 10—11.

25—52. Quemadmodum paulo ante poeta digressus est (u. 17—20), sic iterum, sed longe amplius expatiatur. Cuius rei causam in prooemio exponere conatus sum.

26—27. *inane lymphae dolium:* genetiuus pendet ex *inane*, quod dolio lymphae pleno contrarium est.

27. *pereuntis:* proprie dictum accipe pro *perfluentis*, mox *fundo imo* pro *in fundo imo.*

28. *seraque:* quae post mortem toleranda sunt.

29. *culpas:* antique et simpliciter pro peccantes; cf. III 6 17: *fecunda culpae saecula.*

31—32. *duro — ferro:* 'non ad naturam ferri relatum est epitheton, sed ad earum animum quae dura ac crudeli mente hoc ausae sunt'. ACRON.

33—52. Vt ceterarum Danai filiarum scelus magis notetur ac fides in amore nobilitetur, facinus unius Hypermnestrae, quae sponsum neque prodere neque perdere uoluit, sed suo periculo seruauit, celebratur et omni aemulatione dignum proponitur. De Hypermnestra et sponso eius Lynceo Apollodorus II 1 4.

33—34. *face nuptiali digna:* 'positum est hoc pro affectionis insigni, tamquam maius praemium feminis non sit'. ACRON.

34. *periurum in parentem:* in Danaum qui sponsionem matrimonii et affinitatis foedus laedere ausus est. Apte sequitur *splendide mendax;* non fecit quod iussa est et promittere debuit, sed in suum splendorem omisit. Cf. Pindar. Nem. X 6. Aeschyl. Prometh. 865 sqq.

35—36. *in omne uirgo nobilis aeuum:* non inest, ut putabat Mit-

una de multis face nuptiali
digna periurum fuit in parentem
splendide mendax et in omne uirgo
nobilis aeuum,

'surge' quae dixit iuueni marito,
'surge, ne longus tibi somnus unde
non times detur: socerum et scelestas
falle sorores,

quae uelut nactae uitulos leaenae
singulos eheu lacerant: ego illis
mollior nec te feriam neque intra
claustra tenebo.

me pater saeuis oneret catenis,

33. demultis *G*. 34. periurium *A*. 36. ęuo *A*. 37. quae om *A*. 38. umde *B*. 39. scelestes *GH*, scelestes (*correctum ead. m.*) *B*. 41. nautę (*corr. a. m.*) *B*. leaenae *B*: leenae *AG*, laeenae *H*. 42. he heu *H*. 43. neque intra *Aς*: nec intra *BGHς*. 45. seuis *BGH*. onerat *A*.

scherlichius, illud quod legimus apud Apollodorum II 1 4: *αὕτη Λυγκέα διέσωσε παρθένον αὐτὴν φυλάξαντα.* Idem habet Cenob. cent. II 6. Sed antiquior fama huiusmodi argutias tacuit, immo Aeschylus l. c. scripsit: *αὕτη κατ' Ἄργος βασιλικὸν τέξει γένος.* Eadem mente Horatius *iuuenem maritum* puellae u. 37 et *uirum* u. 46 uocauit. Nunc *uirginem* appellauit, quod decus meruit ea nocte, qua *uirgo* ad maritum deducta est.

37. Scenam rei atrocis depingere pergit Hypermnestrae ad Lynceum uerba referendo. Imitatus est Ouidius Heroid. 14 73 sqq.

40. *falle:* 'decipe fugiendo'. Commentator Cruquii; cf. ad III 14 20.

42. *singulos — lacerant:* non *feriunt* scripsit, quod proprium erat, sed imaginem leaenae uitulum dentibus et unguibus opprimentis respiciens dicit *lacerant.* Scholiasta Persii II 56: *Acron tradit quod in porticu quondam Apollinis Palatini fuerint L Danaidum effigies et contra eas sub diuo totidem equestres filiorum Aegypti.* De signis Danaidum in prooemio dictum est: quinquaginta equestres Aegypti filiorum statuas ibidem fuisse iure addubitauit O. Jahn (Archäolog. Aufsätze p. 23). Acron hoc in scholiis Horatianis ad hoc carmen uidetur tradidisse, licet in nostris Acronis notis, quae mutilatae sunt, nihil ea de re scriptum sit.

43—44. *nec te feriam — tenebo:* duos perdendi modos dicit, si ipsum ferro, ut praeceptum erat, percuteret, aut clausum in cubiculo teneret trucidandum a patre.

45—48. Quo generosum consilium puellae pateat, periculi sibi imminentis haud nesciam inducit. De iudicio Hypermnestrae cf. Pausan. II 19 6, Aristoteles Poet. c. 11 § 1. Ceterum obliuisci noli Danaum fero uultu ferroque stricto in porticu templi Palatini stetisse; cf. Prooem.

45. *oneret catenis:* Ouidius l. c. 83: *raptamque capillis — carcer habet;* 3: *clausa domo teneor grauibusque coercita uinclis.*

quod uiro clemens misero peperci;
me uel extremos Numidarum in agros
classe releget.

i pedes quo te rapiunt et aurae,
dum fauet nox et Venus, i secundo
omine et nostri memorem sepulcro
scalpe querellam'.

47—48. *Seruius ad Vergilii Aen.* I 39, VI 1. 48. classis *cod. Cassel. Seruii Aen.* I 39. 50. Venus] nemus *G.* i *om B.* 51—52. memorem — querellam *incertus de nomine et pron.* (*Anal. gramm. p.* 127) § 2. 51. sepulcro *A:* sepulchro *BGH.* 52. Scalpe *ABς Blandinii Grammaticus incertus:* Sculpe *GHς.* querellam *B incertus ille:* querelam *AG,* quaerelam *H.*

48. *classe releget:* falso his uerbis probatum eunt *classem* pro *naue* poni. Cogitat classem Argiuam quacumque de causa in Africam missam et se per hanc occasionem impositam.

49—52. Haec stropha proximae ita respondet, ut iuuenis libertas et salus cum acerba custodia et exilio componatur eius, cui uitam et incolumitatem suam debet. Quapropter minime superuacanea est, ut placet nonnullis.

49. *pedes — et aurae: pedes* in uia et fuga terrestri, *aurae* in itinere maritimo. Epod. 16 21—22.

50—51. *i secundo omine:* iteratum uerbum hortantis affectum et curam mirifice imitatur.

51. *sepulcro:* in sepulcro; cf. ad I 16 5.

52. *scalpe:* recte legitur *scalpe*, non *sculpe:* nam hoc de artifice, illud de quocumque notas in lapide incidente dicitur, id quod puella uoluit, non signa arte incisa.

XII.

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci

Suauem uitam non esse sine iucunditate et amore. Metrum constat ex Ionico minore et est duobus primis uersibus trimeter ita: *miserarum est. neque amori. dare ludum .. neque dulci. mala uino. lauere aut ex..* tertius uersus tetrameter scanditur ita: *animari. metuentis. patruae uer. bera linguae A.* Paranetice ad neodulam *B.* Suauem uitam non esse sine iocunditate et amore *H.*

1—3. *Marius Victorinus* III 10 6, *Terentianus Maurus u.* 2067. 1. miserarum — ludum *Atilius Fortunatianus* II 15, *Diomedes* III 34 24 et 37 7. *In descriptione uersuum grammatici cum libro uetusto Bernensi consentiunt.* neque amori *AGω:* nec amori *pr BHς.* nec dulci *pr B.* 1—2. neque dulci — lauere *Seruius ad Verg. Aen.* X 727.

Carm. XII. Prooemium. *Misere uiuunt quae ludis amoris uinisque abstinere debent, aut si admiserint, probra summo cum timore audiunt, quae mihi ob amorem Hebri saepius a patruo ingeruntur.* (Metrum 3)

Cum uersuum genus, tum fragmentum Alcaei docet, hoc carmen ad Graecum exemplar expressum esse. De Alcaeo haec Hephaestio II 7 (p. 120 ed. Gaisf.), cuius uerba primus huc aduocauit Bentleius: *Ἐξ ὁμοίων δέ ἐστιν ἅπερ ὑπὸ ποδὸς ἢ συζυγίας ἢ περιόδου καταμετρεῖται ἄνευ ἀριθμοῦ τινος ὡρισμένου, ὡς ἐὰν τεταγμένος ἀριθμὸς ᾖ, οὐκ ἔστιν ἐξ ὁμοίων, ἀλλὰ κατὰ σχέσιν, ὡς ἐν τῷ παρ' Ἀλκαίῳ ᾄσματι οὗ ἡ ἀρχὴ*

ἔμε δείλαν, ἔμε παισᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν.

ἄπειρος μὲν γάρ τις ὢν φήσειεν ἂν αὐτὸ ἐξ ὁμοίων εἶναι, ἐξ ἰωνικῆς ἀπ' ἐλάσσονος συζυγίας καταμετρούμενον· ἡμεῖς δέ, ἐπειδὴ κατὰ δέκα ὁρῶμεν αὐτὸ συζυγίας καταμετρούμενον, κατὰ σχέσιν (= strophica compositione) *αὐτὸ γεγράφθαι φαμέν.* Hinc duo discimus, primum hoc, ab Alcaeo puellam de se querentem inductam esse (*Me miseram, me omnibus malis impertitam*); tum in carmine illo post decimum quemque Ionicum a minore nouum systema inchoatum esse sic:

◡◡–́– ◡◡–́– ◡◡–́– ◡◡–́–
◡◡–́– ◡◡–́– ◡◡–́– ◡◡–́–
◡◡–́– ◡◡–́⏓

Hoc est, longo decem pedum ordine Ionici a minore decurrebant, sed tum nouum systema siue noua stropha incipiebat, ita tamen ut imperitus credere posset, totum carmen sine spiramento Ionicis pedibus iuxta positis (*ἐξ ὁμοίων*) constare. Periti tamen intellexerant in fine decimi Ionici stropham semper desinere. Hoc illi aut ex syllaba ancipite aut ex hiatu in fine decimi pedis admisso deprehenderant. Hactenus de Alcaeo. Iam non difficile erit decernere, in quibus rebus Horatius Alcaeum imitatus sit aut exemplar suum deseruerit. Secutus est, dum simile carmen de misero et non expleto puellae Romanae amore facit, secutus est, dum longiores uersus uel systemata ex Ionicis composita praebet. Rursus paulum discessit ab Alcaeo in uersibus componendis. Nempe in fine systematum decem pedibus absolutorum neque hiatum neque ancipitem syllabam umquam admisit, ita ut uel peritus credere possit totum carmen *ἐξ ὁμοίων* esse et sine interuallo usque ad finem recitandum. Nihilo minus quattuor systemata ego discreui secutus Bentleium et hac ductus ratione. Primum metrici scholiastae et grammatici Latini, qui post binos trimetros tetrametrum sequi faciunt, systematis finem post *patruae uerbera linguae* certatim agnoscunt, exemplarium suorum forma admoniti, ut uidetur. Dein ipse Horatius post denos pedes primam sententiam concludere et aliam personam inducere uoluit. Nimirum nec querellae puel-

mala uino lauere, aut exanimari metuentes
patruae uerbera linguae:
'Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
operosaeque Mineruae studium aufert, Neobule,
Liparaei nitor Hebri,
simul unctos Tiberinis humeros lauit in undis,
eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno
neque segni pede uictus;

2—3. animari — linguae *desunt A in contextu, assunt in expositione metrica.* 4. cythareae *G*, cytheraeae *B.* 5. neubole *G*, ne obulae *B*, neobulꝗ *A.* 6. liparei *H.* Liparaei nitor Hebri] leꝗtor (e *in* i *correctum est*) hebri *A.* 7. tyberinis *BG.* umeros *A.* 8. eq̃s *A*: bellerofonte *A*, Belloro fonte *B*, Bellorophonte *G*, Bello rophonte *H.*

lares per omnem oden referuntur, ut ex nostratibus multi credunt, neque Horatius ipse uerba fecit ad uirginem seuere custoditam, sed per primam stropham sua uerba Neobule, in ceteris patrui probra imitatione expressa recitauit. Perinde in sermone patrui post denos quosque pedes sententiae colores mutantur.

1—3. Aut amorem et uina omittere cogor aut probra patrui seueri audienda mihi sunt.

2. *mala uino lauere:* quae affictant uino eluere et obliuisci. Cogitat conuiuia puellarum cum adulescentulis celebranda. De forma uerbi *lauere* dictum ad III 4 61. *aut exanimari:* aut si contra feceris, exanimari.

3. *patruae uerbera linguae:* nomen adiectiuum *patruus* ex substantiuo noue formauit. '*Patruae* autem *linguae* pro *seuerae* positum: uidentur enim patrui adolescentibus corripiendis austeriores esse quam patres, quibus natura ipsa indulgentiam plerumque extorquet'. PORPHYRION.

4—6. Iam probra patruae linguae saepe audita puella recitat; u. Prooem.

4. *qualum:* 'calathum, *μετωνυμικῶς* pro lanificio dixit, tamquam amore et pulchritudine amatoris capta contemneręt pensa mulierum'. ACRON.

puer ales: cf. *ales, — filius Maiae* I 2 42.

5. *operosaeque Mineruae:* Mineruae quae operae domesticae praeest (*Ἐργάνη*). *Liparaei nitor Hebri:* patruus arcana puellae bene scrutatus ordine ipsi retegit quae occulta crediderat. Hinc belli iuuenis nomen et patriam et nitorem corporis enumerat. *Liparaeus:* ortus Lipara insula Aeolia prope Siciliam.

7—9. Tu gaudes aspicere nitentem, ubi corpus in Tiberi lauit, dum equitando, pugno, cursu ceteros uincit. Exercitationes uere Romanas enumerat, non discum aut pilam Graecantium (cf. Serm. II 2 10—13); hinc dubitari nequit, quin Alcaeum ita sit imitatus, ut carmen proprium ac Romanum euaderet. Etiam hoc perscite institutum est a poeta, ut in ipsis patrui probris Hebri admiratio appareat, quo amantis uirginis affectus repraesentatur.

7. *unctos — undis:* laetius enitescit, postquam humeros ob exercitationem campestrem unctos lauit. De lauantibus in flumine Tiberi cf. III 7 27—28 et Cicero pro Caelio 15: *habes, Clodia, hortos ad Tiberim, ac diligenter eo loco parasti, quo omnis iuuentus natandi causa uenit.*

9. *segni pede:* ob pedem segniter currentem.

10—12. Postremum te delectat quod Hebrus uenandi arte praecellit.

catus idem per apertum fugientis agitato
grege ceruos iaculari et celer arto latitantem
fruticeto excipere aprum'.

XIII.

O fons Bandusiae, splendidior uitro,
dulci digne mero non sine floribus,

10. fugientis *A:* fugientes *BGH.* 11. et *om A.* celer *om H.* arto ς *u. Blandinius,* arcto *pr H:* alto *ABGω Acron et Commentator Cruquianus.* 12. fruticęto *H.*

Ad fontem Bandusiae *AH.* proseutice in fontem *B.* *De metro A perinde ut ad* III 7.
1. *Diomedes* III 37. bandusiae *AGHω omnes Cruquii:* blandusiae *Bς Diomedes.*

10—11. *catus — iaculari:* catus antiquum uocabulum pro *callido.* Incipit ab arte, tum celeritatem et robur extollit. De structura cf. ad I 1 18. *arto fruticeto:* quemadmodum *fugientis* contrarium est uerbo *latitantem*, sic *arto fruticeto* oppositum est priori *per apertum.* Celeritate opus est, ut uenator artum fruticetum peruadat et aprum ibi latentem uenabulo excipiat; cf. Odyss. τ 439: *ἐν λόχμῃ πυκινῇ κατέκειτο μέγας σῦς.* Qui formam *alto* praeferunt, comparant Homeri Il. *Ε* 555: *βαθείης τάρφεσιν ὕλης*, *Λ* 415: *βαθείης ἐκ ξυλόχοιο*, *Ο* 606: *βαθέης ἐν τάρφεσιν ὕλης.*

Carm. XIII. Prooemium. *O fons Bandusiae, digne mero et floribus, cras tibi haedus donabitur, hostia minime contemnenda. Quo cum accedant laudes meae, nobilium fontium numero tu quoque accedes.* (Metrum 19)

Hoc poema non diu post acceptam uillam Sabinam uidetur fecisse, illo tempore quo praedii sui dotes et commoda in dies magis sentire coepit. Illud euenit aestate anni 725 (a. Chr. 29), qua scripsit huius libri oden uicesimam nonam; isdem diebus etiam hanc natam esse coniecerim.

1. *o fons Bandusiae* (*o Quell der Bandusia*)*:* fontem alloquitur tamquam Nympham aquas emittentem. Bandusiam recte in agro Sabino prope uillam Horatii fuisse narrat Acron: 'Bandusia enim Sabinensis agri regio est, in qua Horatii ager fuit'. Commentator Cruquii: 'Bandusiae fonti sacrificium promittit in *agro Sabino*, ubi Horatius uillam possidebat'. Inde Digentia riuus uidetur effluxisse, cuius mentio in Epistulis I 18 104 et sine nomine Epl. I 16 12. Falluntur qui Bandusiam in Apulia prope Venusiam quaerunt. Nimirum poeta possessor gregis cras sacra facturus est ad hunc fontem; poema igitur post tempus accepti Sabini (723 = 31) factum est. Atqui Venusiam postremum uidit redux ex Graecia (713), post non attigit, ne anno quidem 717, ubi in itinere Brundisino non procul a patria urbe per ualles Apulas transiit. Sed fama carminum Horatii uidetur fecisse, ut etiam Venusini sui agri fontem hoc nomine uocarent. Certe in Priuilegio Paschalis II, quod anno 1103 scriptum et a Fea memoratum est, legitur *in Bandusino fonte apud Venusiam.*

2. *dulci digne mero non sine floribus:* dignus est cui uinum libetur, in quem coronae florum iniciantur.

cras donaberis haedo,
cui frons turgida cornibus

primis et Venerem et proelia destinat.
frustra: nam gelidos inficiet tibi
rubro sanguine riuos
lasciui suboles gregis.

te flagrantis atrox hora caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis uomere tauris
praebes et pecori uago.

3. aedo *ABH*, hedo *G*. 4. fons *A*. 5. p̄lia *AB*, prẹlia *GH*. p̄lia et uenerem destinet (*superposito al. m. in fine* uel a) *B*. 6. īficαt (= inficet) *A*. 8. suboles *AB:* soboles *GH*. 9. canicolae *H*. 11. uomerαauris (*h. e.* uomere tauris) *A*. 12. Prebes *BGH*.

3. *cras donaberis haedo:* honoris noui praemium quo magis appareat, continuo uictima promissa accurate describitur.

4. *frons turgida cornibus:* frons turgescit, cum cornua prouenire incipiunt.

5. *et Venerem et proelia:* utrumque coniunctum est. Qui Venerem meditatur haedus, pronus est ad decertandum cum aequalibus ad potiundam uoluptatem. Paulo aliter Vergilius Georg. II 525: *pinguesque in gramine laeto inter se aduersis luctantur cornibus haedi.*

6. *frustra:* magna cum ui in uersus initio positum, perinde ut III 7 21.

6—7. *gelidos — riuos:* aquas frigidas ex fonte profluentes; *inficiet:* limpidum et candidum aquae colorem inficiet admixto rubro sanguine.

9—12. Dono tam pretioso nemo magis dignus esse potest quam fons prae ceteris eximius.

9. *atrox hora caniculae:* atrox est aestu solis; cf. I 17 17, III 29 17.

10. *nescit tangere:* fronde arborum obsita Bandusia solis ictus defendit.

10—12. *frigus amabile — praebes:* praebet haustu frigidae aquae, non umbrae refrigerio, ut cepit Mitscherlichius.

12. *pecori uago:* tauri uomere fessi ad fontem frigidum ducuntur ab aratoribus: uagum pecus, i. e. greges pascentes, sponte aquam Bandusiae petunt.

13. *fies nobilium — fontium:* ut Hippocrene, Dirce, Arethusa. Structura Graeca est.

14—15. *me — saxis:* cauis saxis, unde fons prorumpit, imposita est ilex quasi corona.

15—16. *loquaces — desiliunt:* desiliendo loquaces fiunt. Itaque haec apte iuncta sunt. Assunt in hoc fonte quae alibi celebrantur, miraculum arboris in mediis saxis se erigentis, recreatio umbrae, aquae limpidae et loquaces. Quae si dicentur a poeta, nobilitas fontis parta est et hominibus commendata.

fies nobilium tu quoque fontium,
me dicente cauis impositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.

XIIII.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
morte uenalem petiisse laurum
Caesar Hispana repetit penates
uictor ab ora.

unico gaudens mulier marito

13. fies] fies *fortasse in A: nam discerni non potest sitne* l *an* i. fontium] f *in rasura A.* 14. inpositam *BG, non AH.* 16. Nimphae *G.*

Ad populum Romanum *AH.* paranetice ciuibus in Augustum *B.*
1. *Diomedes* III 37. 3. Cesar *G.* hspana *A*, hispania *pr H*, hyspana *G.* 4. hora *G.*

Carm. XIIII. Prooemium. *Caesar sospes et uictor ex ultima Hispania reuertitur. Ad sacra uxor imperatoris et soror quique alii iusti gaudii participes sunt, prodeant. Ipse domi festum hunc diem uino ceteroque laetitiae apparatu celebrabo.* (Metrum Sapphicum)

Augustus post trium annorum absentiam a. 730 (a. Chr. 24) ex Hispania Romam rediit. Dio LIII 28. Aduentum eius ciuibus laetum celebrans haec cecinit Horatius.

1. *Herculis ritu — o plebs:* Herculis ritu in ultimas terras progressus est Augustus. *Plebs* est populus Romanus praeter ordines patrum et equitum. Sed cur hanc allocutus est prae ceteris? Scilicet falsi rumores plebis ore potissimum circumferuntur, atque huiusmodi famam Horatius indicauit uerbis: *dictus morte uenalem petiisse laurum.*

2. *morte — laurum:* qui summam gloriam, sed uitae suae pretio, modo dictus est petiisse. Haec uerba respiciunt rumores de aduersa ualetudine Augusti, cum anno 728 et 729 Tarracone aegrotauit. Dio LIII 22—25. Sueton. Aug. 81. Nota formam rariorem *petiisse* metri gratia admissam.

3. *repetit penates: repetit* post *petiisse* non sine consilio positum est, ut contraria magis emineant.

3—4. *Hispana — ab ora:* ex ultimis Hispaniae terris ad mare sitis. Cantabri et Astures Augusti auspiciis uicti ad mare Atlanticum habitabant.

5—7. Liuiam uxorem et Octauiam sororem Caesaris ad sollemne sacrificium deis offerendum prodire hortatur.

5—6. *unico gaudens mulier marito prodeat:* sic Liuiam honorifice compellat (*die Frau, die des Gatten, des einzigen, sich zu erfreuen hat*). Nam *gaudere* nunc de grata rei possessione dictum est, ut idem sit atque *unico beata marito;* porro *unico* non est pro *uno*, sed unicus in suo genere praedicatur, i. e. *eximius* uel *singularis.* Alii laudari Liuiam dicunt, quod uno marito contenta sit, quae laus foret ridicula et raram infantiam proditura.

prodeat iustis operata sacris,
et soror clari ducis et decorae
supplice uitta

uirginum matres iuuenumque nuper
sospitum. uos, o pueri et puellae
iam uirum expertae, male nominatis
parcite uerbis.

hic dies uere mihi festus atras
eximet curas: ego nec tumultum

6. sacris *ABGς duo Blandinii:* diuis *HΣω.* 10. puelle *G.* 11. experte *B.* nominatis *AGH corr Bω:* ominatis *pr BςΣ u. Blandinius.* 13—14. hic dies — curas *Priscianus* XVII 21 162. 14. Eximet *BGHω:* exiget *A*, exigit *Prisciani libri tres.*

6. *iustis operata sacris:* uerbo *operata* tamquam aoristo Graecorum usus est, ut uitaret ingratum *operans.* Iusta sacra sunt quae pro tantis deorum beneficiis iure dantur. Alteram scripturam *iustis diuis* ueteres interpretes secuti sunt et explicant, 'qui Caesari uictoriam et reditum merenti dederunt', quod longe petitum est et alienum a dilucido stilo Horatii.

7—10. *et decorae — nuper sospitum:* in publica supplicatione (hinc *supplice uitta*) et sacrificio post coniugem et sororem imperatoris primum locum obtinebunt matres iuuenum illorum, qui incolumes cum Augusto reuertuntur, matresque uirginum quae redeuntibus adulescentulis ante iter Hispaniense ab his factum nupserunt; cf. II 8 22: *nuper uirgines nuptae.* Virginum matres pro reditu generorum, iuuenum matres pro uita filiorum grates agent.

10—11. *uos, o pueri et puellae iam uirum expertae:* in pedestri sermone dicturus fuit, *uos ipsi, o pueri et puellae* cet. Scilicet ueretur poeta, ne pueri redeuntes et puellae his nuptum datae mutuo aspectu et gaudio felicis reditionis supra modum et contra decus publicae supplicationis laetentur. Vtrique tacebunt, dum sacra fient: nam quaecumque exultanti laetitia inter preces matrum loquentur, aliena erunt et mali ominis. Puellae uocantur nomine ὑποκοριστικῷ uxores recens (ante expeditionem Hispaniensem) in matrimonium ductae; cf. III 22 2: *laborantes utero puellas;* Epod. 3 21, Serm. I 2 72. Imitatus est Ouidius Fast. II 451: *parce, precor, grauidis facilis, Lucina, puellis, maturumque utero molliter effer onus;* item Iuuenalis II 59: *dederit uiuus cur multa puellae* (uxori suae). Puellarum illarum mariti *pueri* nominantur, qui admodum iuuenes primam militiam tolerauerant. Conf. I 9 16, 27 20. Epl. I 18 55.

11—12. *male nominatis parcite uerbis:* uerba male nominata sunt ἔπη δυσώνυμα, i. e. uerba malum omen inferentia. Haec silentio cauentur; cf. III 1 2: *fauete linguis.* Altera uetusque scriptura *male ominatis* hiatu non legitimo peccat. Bentleius hinc fecit *inominatis*, sed uerba *male inominata* forent dira et abominanda, ut Epod. 16 38 *inominata cubilia* sunt cubilia diris execrata: Flaccus pueris et recentibus uxoribus nihil nisi silentium imperauit, non expectauit uerba abominanda.

13—28. Sequitur altera pars car-

nec mori per uim metuam tenente
Caesare terras.

i pete unguentum, puer, et coronas
et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum siqua potuit uagantem
fallere testa.

dic et argutae properet Neaerae
murreum nodo cohibere crinem:
si per inuisum mora ianitorem
fiet, abito.

18. mersi *A.* 19—20. *Charisius* I 17 25 *p.* 49. 19. uagacem *Charisius.* 21. nearę *A.* 22. Murreum *ABGω:* Myrreum *Hς.* '*Bland. omnes habent Mureum*' (*uoluit* Murreum) Cruquius.

minis, qua describitur quemadmodum poeta reditum Augusti celebraturus sit.

13. *hic dies:* ipso die quo Caesar urbem ingressus est, hanc oden fecit aut factam esse uult.

14—15. *nec tumultum nec mori per uim metuam:* tumultum intellege bellum ab hostibus Italiae uel urbi admotum, *uim* ab isdem illatam, quam sententiam uerba *tenente Caesare terras*, etiam festus qui agitur dies postulant. De ciuium *ui* et furore loquitur IIII 15 17—20.

17—20. Festum diem laeto conuiuio poeta celebrabit.

18. *cadum Marsi memorem duelli:* ipsi cado memoria belli poetice tribuitur. Est bellum sociale a Marsis acerrime gestum a. 664 et 665. De forma *Marsi* cf. annot. ad I 1 18.

19—20. *Spartacum — fallere testa:* bellum seruile Spartaco duce aliquamdiu post Marsicum erupit a. 681, desiit a. 683. *fallere* est *latere* (λαθεῖν καὶ φυγεῖν). Spartacus qui cum seruorum multitudine totam fere Italiam peruagatus (*uagus*) est, ut seruus uini testis admodum perniciosus significatur, qui iocus hilaritatem poetae eximie prodit. Sed praeter iocum tumultus duplicis belli serio ac non sine causa commemoratur. Nam sic otium et securitas praesentis saeculi cum trepidis rebus prioris aeui componitur.

21—28. A festo conuiuio etiam puellae cithara canentis lenocinium non aberit: sed de his illecebris et pro aetate (erat tunc annorum 41) et pro festa occasione moderate casteque locutus est. Quibus haec ab Horatii persona et argumento carminis aliena uidentur, ne illi de antiquitate pro nostris moribus iudicant; cf. Carm. III 28.

21. *argutae — Neaerae:* argutam dicit cithara canentem; cf. IIII 6 25. De *Neaera* dictum in Prooemio epodi 15.

22. *murreum — crinem:* crinem unguento murrae delibutum; cf. II 11 22.

23—24. *si per — abito:* si ianitor Neaerae te admittere cunctabitur, aditum noli expostulare, sed ad me redeas. Hoc adiecit, ne aetate iam prouectior intemperantiae uideretur esse obnoxius. Ianitorem cogita custodem Neaerae datum a uiro. Lege mea ad Epod. 15.

lenit albescens animos capillus
litium et rixae cupidos proteruae;
non ego hoc ferrem calidus iuuenta
consule Planco.

XV.

Vxor pauperis Ibyci,
tandem nequitiae fige modum tuae

famosisque laboribus;
maturo propior desine funeri

26. Litũ *pr H.* 27—28. *Seruius ad Vergil. Aen.* V 172, VII 435.

Ad Chloridem *AH. De metro A ut ad* III 9. mantice ad cloridñ *B.*
1. *Diomedes* III 37. ibyci *A:* ybici *BG,* ibici *H.* 2. nequiciae *GH.* fige *AGωΣ Blandinii:* pone *BHς.*

25—28. Modestiae suae causam addit.
25. *albescens:* albere iam incipiens. Praecanum se describit Epl. I 20 24.
28. *consule Planco:* annum pugnae Philippensis nominat (712), quo natus erat annos uiginti tres. Anno 733, id est tribus post hanc oden annis, renuntiantem amori ad III 26 uidebimus.

Carm. XV. Prooemium. *Chlori, omitte tandem studia meretricia, quae filiam tuam magis decent, tibi ob aetatem non conueniunt.* (Metrum 5)

De tempore compositi carminis sic habeto. Cum anno 724 secundi libri quintam oden edidit, 'Chloris sic humero nitebat, ut pura nocturno renidet luna mari'. Itaque haec lusisse coniecerim sub idem tempus, quo poema proxime superius in reditum Augusti fecit, h. e. sub annum urbis 730 siue ante Chr. a. 24. Nam sex annorum spatium satis fuit, ut eiusmodi forma in peius mutaretur.

1. *uxor pauperis Ibyci:* paupertatem mariti memorauit, ut legentibus planum fiat, cur Chloris in uetere quaestu ultra modum perseuerare uelit, maritum eius nominat, ut pateat cur nequitiam in Chloride uituperet.
3. *famosisque laboribus:* eiusmodi labores notantur IIII 13 4—6 et 13—14.
5. *inter ludere uirgines:* inter uirgines amori dare ludum (παίζειν); *ludere* hoc significatu redit Epl. II 2 214: *lusisti satis*, h. e. amori ludum satis dedisti.
6. *stellis — candidis:* imaginem et rem comparandam pro more perite commiscuit.
7. *siquid Pholoen:* matris meretricis filiam item meretricem atque a se amatam (I 33 7, II 5 17) extollit, ut mater deprimatur.
9. *expugnat iuuenum domos:* haec recte non modo petitur, sed ipsa petit, ut fecit Sempronia apud Sallust. Catil. c. 25. Adde Senecae Nat. Quaest. l. IIII praef.: *Crispus Passienus saepe dicebat, adulationi nos*

inter ludere uirgines
et stellis nebulam spargere candidis.

non, siquid Pholoen satis,
et te, Chlori, decet: filia rectius

expugnat iuuenum domos,
pulso Thyias uti concita tympano.

illam cogit amor Nothi
lasciuae similem ludere capreae:

te lanae prope nobilem
tonsae Luceriam, non citharae decent

nec flos purpureus rosae
nec poti uetulam faece tenus cadi.

8. chlore *A corr H.* 10. thyias *H*: thyas *A,* tyas *B,* thias *G.* tymphano *G.* 14. cithare *A,* cytharae *BG.* *u.* 15. 16.] *inuerso ordine in A.* 16. uetulam *Hς duo Blandinii:* uetula *ABGωΣ unus ex Blandiniis.* fece *BGH.*

opponere, non claudere ostium, et quidem sic quemadmodum opponi amicae solet, quae si impulit, grata est, gratior, si effregit.

10. *pulso — tympano:* furit Pholoe, ut Maenas concitata impulso tympano.

11—12. *illam — capreae:* amoris effrenati, qualem modo descripsit, causam aperit. Dionysius Perieg. 843: *παρθενικαὶ νεοθηλέες οἷά τε νεβροὶ σκαίρουσι.*

11. *Nothi:* 'hoc nomen, cuius nullum exemplum afferri potest, uereor ut ullo umquam tempore Graecis in usu fuerit'. Meinekivs. Hinc suspitio ducitur *Νόθον* Latino nomini *Spurii* accommodatum esse, ut statuit Nauckius: nimirum res ipsa suadebat, ut uerum nomen occultaretur. Eadem ratione usus est in *Proculeio* (I 9), in *Heliodoro* (III 19), in *Lupo* (III 19 23), in Lupi uxore, cui *Lyces* nomen dedit.

13—14. *lanae prope nobilem tonsae Luceriam:* Plinius VIII 73 (48): *lana autem laudatissima Apula et quae in Italia Graeci pecoris appellatur.*

14—16. *non citharae — cadi:* recenset meretricum artes, quibus circumueniunt adulescentulos, citharae cantum, rosarum florem capillis innexum, potationem, qualem descripsit in Damali I 36 13—14. Adde IIII 13 5.

16. *uetulam:* nouum subsequitur obiectum e uerbo *decent* suspensum, ne si ad *te* omnia redirent, sollertia structurae desideraretur. Diuersa scriptura (*uetula*) assimilandi uitio nata est; hanc secutus est Acron et Porphyrion, quorum hic scribit 'per faecem autem uetulam uetus uinum accipe'. *Poti faece tenus* noue dictum pro siccatis.

XVI.

Inclusam Danaen turris aenea
robustaeque fores et uigilum canum
tristes excubiae munierant satis
nocturnis ab adulteris,

Ad Maecenatem *A*. ypotice ad mecenatem' *B*. Ad .C. Mecenatem *H*.

1. *Diomedes* III 37, *Seruius ad Vergil. Georg*. III 173. abenea *Diomedes*, aenea *H*. 2. Robusteque *G*. 3. exuuiae *A*.

Carm. XVI. Prooemium. *Ingens est auri potentia ad mouendos hominum animos. Sed magnitudine opum maiorum fames oritur. Itaque iure uitaui splendidam fortunam accipere: nam uerae felicitatis fons continentia est, ac mihi sufficit ager paruus et iucundus, nec si plura uelim, tu, Maecenas, dare deneges. Verum melius est cupidinem coercere quam prolatare possessiones.* (Metrum 18)

Annum huius ad Maecenatem missi carminis equidem septingentesimum et tricesimum (ante Chr. annum 24) definiendum esse existimo. Huius anni principio Augustus, Galliae rebus compositis et ordinatis, Cantabris et Asturibus deuictis, ex Hispania in urbem reuersus est. Qui ualetudinem suam per diuturnae absentiae spatium (a. 727—730) uarie temptatam expertus erat, ac parum firmus ab exteris Romam redierat (Dio LIII 28), idem nouos honores in se a patribus collatos, nouas curas et labores congestos offendit. Tunc ad Maecenatem Augustus scripsisse putandus est haec a Suetonio in uita Horatii memoriae prodita: *ante ipse sufficiebam scribendis epistulis amicorum: nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam et nos in epistulis scribendis adiuuabit.* Horatius re pensitata, quamuis et splendidissimae consuetudinis occasio et honestissima opum parandarum copia offerretur, ualetudinem excusans oblatam conditionem non accepit, id quod ostendunt Augusti ad Horatium uerba ab Suetonio conseruata: *sume tibi aliquid iuris apud me, tamquam si conuictor mihi fueris: quoniam id usus mihi tecum esse uolui, si per ualetudinem tuam fieri potuisset.* Iam Horatius, qui uelut fidis sodalibus arcana sua credidit libris, rem tam grauem, tam honestam silentio praeterisse non uidebitur illis qui hunc recte norint. Atqui in libris superstitibus, hoc nostro carmine excepto, nihil inest quo res memorabilis respiciatur, nisi mentio perbreuis Carm. II 18 10. In hoc autem gloriatur opes et amplas possessiones, quamuis pateret aditus, certo consilio a se omissas esse, in hoc uno profitetur, sese beneficia nemini nisi Maecenati accepta referre uelle. Legas quaeso prae ceteris u. 18—20, 22—28, 38—42. Intimas igitur cogitationes coram amicissimo homine (Maecenate) nunc deposuit, sed ita tamen formatas, ut carmen etiam ab iis qui rem significatam haud nossent, intellegi posset. Hoc ipsum assecutus est, dum id quod re uera fecerat, agendi normam quam sequeretur, sibi esse profitetur. De eadem carminis occasione cogitauit Weber in libro de Horatio poeta ac uiro scripto, item Grotefendius.

1—8. Turres ualidas et custodias

si non Acrisium uirginis abditae
custodem pauidum Iuppiter et Venus
risissent: fore enim tutum iter et patens
conuerso in pretium deo.

aurum per medios ire satellites
et perrumpere amat saxa potentius
ictu fulmineo: concidit auguris
Argiui domus, ob lucrum

5. ahcrisium *B.* 6. iuppiter *AH:* iupiter *BGg. Huic uersui in A continuatur u.* 28 *et reliqua omnia desunt.* 7. enim *om G.* 8. precium *GH.*

firmissimas auro expugnari Danaes exemplum ostendit.

1. *inclusam Danaen:* u. Apollod. II 4 § 1; *aeneam* nominat turrim, cuius θάλαμος interior et infra terram depressus aeneis fornicibus laminisque uinctus erat. Pausanias II 23 § 7. Sophoclis Antigon. 944. Ouidius Amor. II 19: *si numquam Danaen habuisset aenea turris, non esset Danae de Ioue facta parens.* Hieronymus Epist. ad Gaudentium: *quod didicerunt secreto, docent, inclusamque Danaen uulgi sermonibus uiolant.*

2. *robustaeque fores:* fores ex robore, i. e. ex firmo quercus ligno factae. Pro firmis accipere maluit Orellius: illud me iudice poetam unice decet.

2—3. *uigilum canum tristes excubiae:* tristes (δύσκολοι, *finstere*) uocantur, quod consuetudinem et commercium adeuntium atrociter recusabant. *munierant* paulo fortius est quam *muniuissent;* cf. II 17 27.

4. *nocturnis ab adulteris:* adulteri nunc nominantur qui uirginem uitiare siue adulterare suscipiunt (*Buhlen*). Cf. I 36 19. 'Belle nocturnis adulteris, quia adulteris nox apta est'. Porphyrion. Contrarium est subsequentibus, ubi Iouis *tutum et patens iter* refertur.

5—7. *si non Acrisium — risissent:* sententia λυρικῶς significata est magis quam declarata pro: 'si non Acrisii curam inanem risissent illi, qui custodiam eius operamque irritam reddere intenderant. Non bene h. l. *risisset* praeoptauit Bentleius: nam Iuppiter et Venus iuncto consilio agunt. Illa forma Iouem quasi seruum Veneris ostenderet.

6. *custodem pauidum:* pauidus fuit ob acceptum oraculum, de quo tradidit Apollodorus l. c. χρηστηριαζομένῳ ὁ θεὸς ἔφη γενήσεσθαι παῖδα ἐκ τῆς θυγατρός, ὃς αὐτὸν ἀποκτείνῃ.

7. *tutum iter et patens: tutum* a canibus, *patens* per aenea claustra et robustas fores.

8. *conuerso in pretium deo: pretium* est aurum siue pecunia, quae aditum ad Danaen parauit. Horatius enim μῦθον illum non ad ueterem morem accepit, sed respexit interpretationem eorum qui τὰ εἰκότα secuti sunt; antiqua fabulae forma per se magis poetica erat, sed nouum acumen huius carminis proposito melius conueniebat. Propositum est enim auri uim ad mouendas hominum mentes declarare.

9—11. *aurum — fulmineo:* hac sententia explicatur quo tendat fabula modo narrata; simul nouum de Philippo Macedone mox tradendum praeparatur.

9. *per medios ire satellites:* satellites regum corpora tuentur, sed auro corrupti percussoribus aditum faciunt.

10. *saxa:* saxa moenium et turrium, quibus oppida muniuntur.

11—13. *concidit — exitio:* nouum exemplum auri potentiae nar-

demersa exitio; diffidit urbium
portas uir Macedo et subruit aemulos
reges muneribus; munera nauium
saeuos inlaqueant duces.

crescentem sequitur cura pecuniam
maiorumque fames. iure perhorrui
late conspicuum tollere uerticem,
Maecenas, equitum decus.

13—14. demersa — aemulos *Priscianus* X 4 25, diffidit — aemulos VI 6 29. 13. demersas *Prisciani codices*, dimersa *gς*. exitio *BHω Blandinii:* excidio *Gς*. 14. emulos *BH*. 16. Seuos *BGH*. inlaqueant *GH*, inllaqueant (*sic*) *B*, ĩlaq. *g*. 18. perorrui *H*. 20. Mecenas *BGH*.

ratur, sed eiusmodi quo simul *perniciosa* eius uis ostendatur. Conf. Apollodori III 6 § 2 cet. 'Amphiaraum dicit, cuius uxor Eriphyle monili corrupta egit, ut egrederetur ad bellum, quod exitiale uelut uates praescius declinabat'. Acron.

13. *demersa exitio:* exitio tamquam palude demersa. De structura cf. Cic. Tuscul. I 17: *ne tam urgeta mens aut in corde cerebroue aut in Empedocleo sanguine demersa iaceat;* pro Sest. 20 § 46. Taciti G. 12: *ignauos et inbelles et corpore infames caeno ac palude — mergunt.*

13—14. *diffidit urbium portas:* portae tamquam fissuris ruptae patebant donanti Philippo. *Vrbes* dicit liberas et imperiosas, quales fuerunt Olynthus et Amphipolis. Cic. ad Att. I 13: *Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere.* Cf. Diogeniani Paroem. II 81. Plutarchi Aemil. c. 12: *ἐρρήθη γοῦν, ὅτι τὰς πόλεις αἱρεῖ τῶν Ἑλλήνων οὐ Φίλιππος, ἀλλὰ τὸ Φιλίππου χρυσίον.*

14—15. *subruit aemulos reges:* aemuli reges uocantur qui idem regnum cum Philippo ambiebant (die Kronpraetendenten), *Pausanias* quem Thraces in regnum ducere nitebantur, *Argaeus* Archelai regis nepos ab Atheniensibus adiutus; cf. Diodori XVI 2—3. De aliis noli cogitare.

15—16. *munera — duces:* uidetur respicere Menam, qui a Sexto Pompeio ad Octauianum, ab hoc ad Pompeium, postremo iterum ad Caesarem Octauianum transiit. Cf. ad Epod. 4.

16. *saeuos:* saeui aduersus hostes et subditos sibi classiarios solis corruptoribus cedunt et placidi sunt.

17—18. *crescentem — fames:* hoc necessarium erat ob proxima, ubi splendidas opes a se iure detrectatas esse Horatius dixit. Imitatus est Iuuenalis XIIII 139: *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

18—19. *iure perhorrui — uerticem:* de his dictum in Prooemio. Caput suum Flaccus potuit tollere in *regia domo*, ut ipsius Augusti uerbis utar, potuit idem incedere proxime principem, inuidendus conspiciendusque ceteris et beatus in oculis uulgi.

20. *equitum decus:* scite hoc nomine Maecenatem nunc alloquitur, indicaturus hunc secum consentire, quippe qui equestri ordine se cohibere, neque in senatorium ascendere neque magistratus ambire uellet.

quanto quisque sibi plura negauerit,
ab dis plura feret: nil cupientium
nudus castra peto et transfuga diuitum
partes linquere gestio,

contemptae dominus splendidior rei,
quam si quicquid arat inpiger Apulus
occultare meis dicerer horreis,
magnas inter opes inops.

purae riuus aquae siluaque iugerum

22. Ab] b *erasum in G*, a ς. diis *BGH*. 26. impiger *BGHg*. 27. Ocultare *B*.

21—22. *quanto — feret:* Cic. Paradox. 6 3: *non esse cupidum, pecunia est: contentum uero suis rebus esse, maximae sunt certissimaeque diuitiae.*

22—28. Sententiam modo positam suo exemplo illustrat.

23—24. *transfuga diuitum partes linquere gestio:* Horatius ipse paulo ante partes Augusti et diuitem aulam detrectauerat. Cf. Prooemium. Id Maecenas intimus amicus sensit ac sciuit: ceteri lectores haec generatim dicta accipiebant. Nos Suetonio duce in arcana poetae sensa possumus penetrare.

25. *contemptae dominus splendidior rei* (*glänzender im Besitze missachteter Habe*)*:* res contempta est quae a plerisque contemnitur et neglegitur, cui contraria est *res splendida* et splendor opum. Res quamuis non splendeat, possessor tamen splendet sua continentia. Rem contemptam igitur significauit modicam in urbe domum suam et uillam Sabinam haud amplam. Exquisitius quid subesse uoluit Bentleius: 'Stoicorum scilicet effatum est sapientem omnia possidere, omnium dominum esse, quamuis nihil habeat: quia nihil cupit, neque ullius indiget. Ergo duplex hic paradoxon est: *ego ero possessor rei non possessae: ille inter magnas opes inops*'. Haec arguta abhorrent a bono poeta, abhorrent ab Horatio qui contempsit Stoicorum superbiam.

26. *quicquid arat inpiger Apulus:* Apulum nominat, quod in Apulia, cum bellum ciuile erupit, multi aratores bonis amissis non sibi, sed nouis possessoribus pro mercede agros colere coeperant. Conf. Serm. II 2 114 sqq. Altera uerbi *arat* syllaba, olim longa, mox ui litterae *t* in fine correpta, nunc longae syllabae uicem implet; cf. ad I 3 36.

27. *occultare meis dicerer horreis:* plus est *occultare* quam *condere* (I 1 9). Illud notat abstinere dominum a frugibus collectis, quo proximum *magnas inter opes inops* praeparatur. Ascripsit Bentleius ex Senecae Epl. 74: *occurrent, quod genus egestatis grauissimum est, in diuitiis inopes;* Hercul. fur. 168: *hic nullo fine beatus componit opes, gazis inhians, et congesto pauper in auro est;* Paullinus Natali, VIIII: *inter opes inopes, quasi Tantalus ille, inter aquas sitiunt, nec habent quod habere uidentur.*

29—32. Tria praedii sui Sabini bona enumerat, quod adest riuus limpidus (ei nomen Digentia, Epl. I 16 12—14, 18 104—105), silua modica, quod non uites aut oleas fert, sed

paucorum et segetis certa fides meae
fulgentem imperio fertilis Africae
fallit sorte beatior.

quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
nec Laestrygonia Bacchus in amphora
languescit mihi, nec pinguia Gallicis
crescunt uellera pascuis,

inportuna tamen pauperies abest,

34. lestrygonia *H*, lestrig. *BG*. bachus *BH*, bacus *G*. 37. Inportuna *BG:* imp. *Hg*.

fruges quae spem non facile mentiuntur (*segetis certa fides*); conf. Serm. II 6 3, Epl. I 16 8 — 11, Carm. III 1 30.

31 — 32. *fulgentem imperio fertilis Africae sorte beatior:* dicit *imperium* proconsulare prouinciae Africae, quam ab anno urbis 725 uetustissimi consularium *sorte* ducebant. Dio LIII 12 — 15. Taciti Ann. III 58 et 71, Agricola c. 42. Genetiuus *fertilis Africae* e *sorte*, hoc ipsum pendet ex *beatior;* componitur *sors Africae* (prouincia Africa sorte accepta) cum exiguis praedii Sabini bonis. Tacitus l. c. 71: *sors Asiae* (= Asia prouincia) *in eum qui consularium Maluginensi proximus erat collata.* Conuerte: *und meiner Aussaat Sicherheit wie sie reicher ist als der ergiebigen Africa Loos, merkt nicht wer strahlt im Oberbefehle.*

32. *fallit beatior* (λανϑάνει ὀλβιωτέρα οὖσα)*:* beatiorem esse latet; structura de Graecis sumpta est. *Fulgentem imperio* uerum latere facilius potest, quod dignitatis splendor oculos praestinxit.

33 — 38. Quamquam desunt possessiones unde magnae diuitiae parentur, molesta tamen pauperies non urget, ac si uelim, abs te plura possim accipere.

33. *Calabrae — apes:* apes Calabrae regionis Tarentinae; cf. II 6 14, IIII 2 27, annotatio ad I 28 3.

34. *Laestrygonia Bacchus in amphora:* dicit uinum Formianum, de quo cf. annot. ad I 20 11. De Formiis Laestrygonum sede lege Carm. III 17.

35. *languescit:* situ et aetate languidum fit ex feruido, quod non nisi diuiti potest contingere.

35—36. *pinguia — pascuis:* Plinius VIII 73 (48): *alba lana nulla praefertur circumpadanis.* Ouium pinguium uellera ipsa pinguia sunt; Cf. Varro de RR. II 11: *tonsurae tempus inter aequinoctium uernum et solstitium, cum sudare inceperunt oues, a quo sudore recens lana tonsa sucida appellata est.* Ad inmensas opes notandas res pretiosas ex diuersis terris enumerauit.

38. *nec — deneges:* inest tecta professio sese beneficia ab uno Maecenate accipere uelle et hunc patronum sibi sufficere, qua in re conditio ab Augusto oblata Flacco obuersata est; cf. Prooem.

39 — 42. Melius erit cupidinem contrahere quam dilatare possessiones. Nunc ipsam cupiditatem, non tantum cupiditatis auctorem, mascula forma (*contracto cupidine*) proferre ausus est; cf. ad II 16 15.

39—40. *parua — uectigalia porrigam:* 'paruus possessor minora persoluam tributa'. Acron. 'reipublicae autem reditus dicuntur uectigalia'. Porphyrion. Porrigere uectigalia est

nec, si plura uelim, tu dare deneges.
contracto melius parua cupidine
uectigalia porrigam

quam si Mygdoniis regnum Alyattei
campis continuem. multa petentibus
desunt multa: bene est, cui deus obtulit
parca quod satis est manu.

39. Contracto *BHωΣ:* Contracta *Gg*ς. 41. migdoniis *BGH*. Alyattei *Bentleius:* alyattici ς, aliathie *g*, haliathii *G*, baliattici ς, haly attici *B*, baliartici *H*. 43. optulit *H*.

dare in manum colligentis. Parui possessor agelli parua uectigalia dabit. Quod ciues Romani post Perseum Macedoniae regem ab Aemilio Paulo deuictum a tributis liberati sunt (cf. Ciceronis Off. II 22), hoc poeta generatim locutus neglegere potuit, ac certe *centesimam rerum uenalium* Augustus post ciuilia bella instituerat (Taciti Ann. I 78). Recentiores interpretes auctore Landino explicant 'parua uectigalia (= reditus) mea maiora faciam'. Sed cur maiora faciat parua uectigalia sua qui paruis omnino contentus est? Accedit quod parua porrigendo macra fiunt, sed maiora non fiunt; tum *porrigere* pro *extendere* apud Horatium, si formam participii *porrectus* excipias, non reperitur.

41—42. *quam si Mygdoniis regnum Alyattei campis continuem:* Alyattei regnum Lydia est, Mygdonii campi Phrygii sunt Lydiae contermini. Formam *Alyattei* restituit Bentleius ad analogiam *Vlixei* Epod. 16 60, 17 16, *Achillei* Epod. 17 14.

42—44. *multa petentibus — manu:* colligit quae adhuc exposuit.

43. *desunt multa:* copia bonorum famem excitat maiorum.

43—44. *bene est — manu:* quia cupidines in mediocri fortuna facilius cohibentur, bene est, cui pauca deus obtulit.

XVII.

Aeli uetusto nobilis ab Lamo
(quando et priores hinc Lamias ferunt
denominatos et nepotum
per memores genus omne fastos,

Ad Aelium Lamium (*sic*). Metrum *cet. A.* paranetice aelio lamiae *B.* Ad Helium Lamiam *H.*

1. *Diomedes.* 3—4. et nepotum — fastos *Seruius ad Vergil. Aen.* XII 530. 4. fastos *ABllgω Acron Commentator Cruquii Seruius*, factos *pr G ubi correctum* fastos: fastus ς. *Priscianus* VI 14 72: apud Horatium duplicem inuenio scripturam et fastos et fastus in tertio Carminum, per memores genus omne fastos, et fastus in aliis codicibus. *Conf. Carm.* IIII 14 4.

Carm. XVII. Prooemium. *Aeli, uetustis maioribus orte, cras foeda tempestas erit. Dum potes, ligna compone, quibus opus est ad Genium crastino die placandum.* (Metrum Alcaicum)

Est lusus ab Horatio editus, cum Aelium Lamiam in uilla Formiana adiit. In litore maris, non in urbe, Lamiam tunc fuisse docent uerba: *cras foliis nemus multis et alga litus inutili demissa tempestas ab Euro sternet.* Ad Formianam uillam nos ducunt ioci de conditore Formiarum et auctore Lamiarum, de uetere illo Lamo apud Homerum memorato. Occasionem Aelii in praedio Formiano uisendi Flacco salubrium ad Baias aquarum usus praebere potuit: his enim ante annum 733 per menses hibernos aliquoties usus est, ut uidimus ad I 11. Inde coniecerim hanc oden sub idem tempus factam esse, quo superior (14) de reditu Caesaris scripta est, h. e. anno 730 (24 a. Chr.). De Lamia dictum ad I 26. Rarum poematii leporem non assecutus est Buttmannus, qui post Sanadonum et Ianium uersus 2—5 spurios esse pronuntiauit Mythol. II p. 365. Alii inprouide secuti sunt. Peerlkampius totum damnauit.

1. *uetusto nobilis ab Lamo:* hoc breuiter noueque dictum pro 'orte uetusto ab Lamo eoque nobilis' (*edlen Stammes vom alten Lamos her*).

2—5. Haec accessere illustrandis uerbis *uetusto nobilis ab Lamo.* Ad inchoatam primo uersu sententiam sexto regreditur, non demum noni uerbis *cras foliis nemus*, ut Bentleius uoluit, neque quinto uersu, ut credidit Wüllnerus in programmate Düsseldorpiensi (a. 1833) p. 11. Ipse *Lamus,* uetus auctor Lamiarum, non est *Antiphates* rex Laestrygonum, quem Vlixes adiit (Odyss. κ 81 sqq.), Horatio bene notus (AP. 145), sed est antiquior aliquis Laestrygonum imperator, est ille qui condidit *Λάμου πτολίεθρον* ab Antiphate tunc habitatum, cum aduenit Vlixes.

2. *et priores Lamias:* qui sint *priores* Lamiae, proxima uerba *et nepotum per memores genus omne fastos* docent. Quippe *priores* nominauit omnes qui ante fastos et ante monumenta rerum uixere.

4. *per memores — fastos:* quorum memoria per fastos proditur (*und der Nachkommen gesammtes Geschlecht in den meldenden Fasten*). Lamiarum duo genera proposuit, prius eorum qui remotissimis saeculis nati sunt, alteros qui propioribus temporibus uixerunt. De generis uetusta nobilitate iocari Flaccum uix est quod moneam. Hic tamen iocus eo eualuit,

auctore ab illo ducis originem),
qui Formiarum moenia dicitur
princeps et innantem Maricae
litoribus tenuisse Lirim

late tyrannus, cras foliis nemus
multis et alga litus inutili
demissa tempestas ab Euro
sternet, aquae nisi fallit augur

7—8. et — Lirim *Seruius ad Vergil. Aen.* VII 47. 8. Littoribus *B*. lyrim *BG*. 9. tirannus *B*. 11. Dimissa *H*. 12—13. nisi — cornix *Priscianus* VII 7 36.

ut Iuuenalis Lamiarum nomine uiros uetere nobilitate insignes notaret IIII 154, VI 385.

5. *auctore — originem:* in sermone pedestri foret *tu quoque ab illo auctore ortus es*, sed poeta eadem uenia usus est ut I 1 35: *quod si* (tu) *me lyricis uatibus inseris*, IIII 2 33: (tu) *concines maiore poeta plectro Caesarem*, aut IIII 4 50: *cerui* (nos) — *sectamur;* 8 21: (tu) *quod bene feceris*. Perinde pronomen *ego* supprimitur Serm. I 6 96. *Originem ducere* est ortum esse, ita tamen ut uerbum *ducere* longam maiorum seriem significet. Non recte Dan. Heinsius *ducit* pro *ducis* mutandum censuit. Vere contra dixit Wüllnerus l. c.

6—8. *qui Formiarum moenia dicitur — tenuisse:* Formiarum oppidum Horatio fuit antiquum *Λάμου πτολίεθρον* siue *Τηλέπυλος Λαιστρυγονίη* ab Homero memorata, quam opinionem etiam Cicero ad Atticum II 13 refert his uerbis: *si uero in hanc Τηλέπυλον ueneris Λαιστρυγονίην, Formias dico, qui fremitus hominum!* Plinius NH. III 9 (5): *oppidum Formiae, Hormiae prius* [*olim*] *dictum, ut existimauere, antiqua Laestrygonum sedes.* Existimasse hoc uidentur docti Italorum, non Graeci, qui Laestrygonas in Sicilia quaesiuerunt. Nihil de hac fama Italorum tradidit Strabo (V 3 § 6), harum rerum cupidus enarrator.

7—8. *innantem — Lirim:* Lirim placide fluentem, ubi uenit ad litora et nemus Maricae. De Marīca Nympha et luco eius prope Formias Strabo l. c.: *ἐκπίπτει* (*Λεῖρις*) *δ' εἰς ἄλσος ἱερὸν τιμώμενον περιττῶς ὑπὸ τῶν ἐν Μιντούρναις.* Seruius ad Vergil. Aen. VII 47: *est autem Marica dea litoris Minturnensium iuxta Lirim fluuium.* Adde Velleium II 19, Martialem XIII 83, Lactantii Instit. I 21.

9. *late tyrannus:* cf. Vergil. Aen. I 21: *populum late regem.* Plinius Epist. III 5: *latissime uictor.*

9—12. *cras — sternet:* ut lectum sternimus floribus aut ueste, sic tempestas sternet siue conteget foliorum copia nemus et inutili alga litus. Inutilis algae molem in litus deferendam nuntiat ad uim tempestatis describendam. Litoris et algae (*Seetang*) commemoratio non permittit, ut de festo urbano cogitemus. Immo Lamia ruri tunc agebat et poeta apud ipsum erat.

12—13. *aquae — augur annosa cornix:* tempestatis praedictio quo signo nitatur addit. Quippe cornicem in paludes auolasse monitor obseruauerat; cf. III 27 10. *annosa:* de aetate cornicis Hesiodus apud Plutarch. defect. oraculor. c. 11: *ἐννέα*

annosa cornix. dum potes, aridum
compone lignum: cras Genium mero
curabis et porco bimenstri
cum famulis operum solutis.

13. potes *ABGHgωΣ:* potis ς. 14. Conpone *B.* 15. bimenstri *ABGHgω.*

τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη ἀνδρῶν ἡβώντων. Hinc Arato (u. 1022) est *ἐννεάνειρα.* Lucretius V 1084: *et partim mutant cum tempestatibus una raucisonos cantus, cornicum ut saecla uetusta coruorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbres poscere et interdum uentos aurasque uocare.*

13. *dum potes:* hoc melius uidetur conuenire proximo *compone,* quam *dum potis* a Bentleio ex tribus libris repositum.

14—15. *cras Genium mero curabis et porco bimestri:* non est hortantis, sed quid futurum sit dicentis. *Curabis* est pro placabis uel piabis. Quod et merum et porcus bimestris Genio dari nunc dicitur, non satis accurate factum est: nam uulgo Genium uino, Tellurem porco placabant; Epl. II 1 143.

16. *cum famulis operum solutis:* quod famuli adhibentur, Genius mero placatur, porcus sacrificatur, hinc intellegitur nuntiari festum post condita frumenta ab agricolis celebrari solitum. Accurate descripsit Horatius in Epistulis II 1 139: *agricolae prisci — cum sociis operum pueris et coniuge fida Tellurem porco, Siluanum lacte piabant, floribus et uino Genium memorem breuis aeui.* Indidem porro cognoscitur, cur haec ode proximae uicina sit: nam in sequente carmine sui pagi festum cecinit, in hoc ferias ab Aelio ruri agendas indicauit. De Saturnalibus cogitauit Meinekius. Graeco more dictum est *operum solutis* (*τῶν ἔργων λελυμένοις*), ut Serm. II 3 27: *miror morbi purgatum te illius. Opera* ut Graecorum *ἔργα* praecipue de opere agresti accipiuntur; sic est in uerbis Horatii modo ascriptis (*cum sociis operum pueris*). Cicero de Legibus II 12: *feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem litium et iurgiorum, in seruis operum et laborum; quae compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum.*

XVIII.

Faune Nympharum fugientum amator,
per meos finis et aprica rura
lenis incedas abeasque paruis
aequus alumnis,

Ad Faunum deum *AH*. Proseutice in faunum deum agrestem *B*.
1. *Diomedes* III 37. 1—3. Faune — incedas *Isidorus Orig*. VIII 8 104. 1. nimph. *H*. fugientum *BςΣ Diomedes:* fugientium *AGHgς Isidorus*. 2. finis *A:* fines *BGHg*. 3—4. *Seruius ad Vergilii Aen.* VII 91. 3. Laenis *H*. īcendas (l īcedas) *A*. adeasque *A*. 4. ęqis *A*.

Carm. XVIII. Prooemium. *Faune, caue noceas agri mei frugibus, si in tuam gratiam nonis Decembribus, quicquid placet, a me sacratur. Tum laeti dies aguntur, tum pagus cum boue otioso uacat, neque lupum agnorum greges pauent.* (Metrum Sapphicum)

Canit Faunalia a Sabinis prope uillam suam nonis Decembribus agi solita. Quomodo hoc carmen priori cognatum sit, ad uersum illius sextum decimum patefactum est. Non diu post acceptum praedium Sabinum (723) haec uidetur lusisse; fortasse mense Decembri anni 724 (a. Chr. 30).

1. *Faune — amator:* ex hoc uersu Seruius in Centimetro c. 9 effinxit Sapphicum suum: *Faune, Nympharum metus et uoluptas.* Faunum esse amatorem *Nympharum fugientum* dicit, ut preces proximae intellegantur: nam Faunus, dum fugientes Nymphas rapido cursu sequitur, agri segetem calcare et alumnos arborum laedere potest. De Fauni numine dictum est ad I 17.

2. *per meos finis:* per agri mei spatia. Hoc certius definitur uerbis *et aprica rura*, qui sunt agri frugibus consiti solique expositi. In locis nemorosis Fauni lusus minus nocent.

3. *lenis incedas:* placidus, non ira aut amore ruens.

3—4. *abeasque — alumnis:* qui sunt *parui alumni*, quibus impetus Fauni cogitatur nocere posse? Falsum est hoc Acronis: 'ruris uernulis, quos Fauni laedere dicuntur'. Huic explicationi fauet Seruius ad Vergil. Aen. VII 91. Mitscherlichius et qui hunc secutus est Orellius accipiunt de uitulis, haedis, agnis, quo nihil est peruersius: nam quamuis celerrime currat Faunus, uituli, haedi, agni de uia huic cedere poterunt, ne obterantur aut impellantur. Huiuscemodi monstrum esse Faunum Horatius neque uoluit fingere neque potuit. Immo *parui alumni* sunt paruae arbores nuper e *seminario* translatae in agrum uel hortos et in noua sede tamquam a *nutrice* alendae (*alumni*), postquam matrem (*seminarium*) reliquerunt. Plinius XVII 14 (10), ubi de *seminario* loquitur: *namque ad id praecipuum eligi solum refert, quoniam nutricem indulgentiorem esse quam matrem saepe conuenit.* Lege eiusdem XVII 16 (11). Sic Horatius etiam III 23 7: *dulces alumni* (non sentient) *pomifero graue tempus anno.*

si tener pleno cadit haedus anno,
larga nec desunt Veneris sodali
uina craterae, uetus ara multo
fumat odore.

ludit herboso pecus omne campo,
cum tibi nonae redeunt Decembres;
festus in pratis uacat otioso
cum boue pagus;

5. cadit *ABHgω:* cadet *Gς.* hędus *A:* hedus *BGg*, edus *H.* 6. ueneri sodali *A.* 7. craterae *ABHω:* crathere *g*, creterrae *pr Gς.* 10. Dum *G.* decembris *ς.* 11. ocioso *BH.* 12. pagus *AGgς Acron:* pardus *BH* (*huic superp.* al pagus) *ς.*

5. *pleno — anno:* extremo mense Decembri (u. 10), quo annus *expletur.* Verbum *cadit* de uictima proprie dictum pendet ex proximo (tibi) *Veneris sodali.*

6—7. *larga nec desunt* (tibi) *Veneris sodali uina craterae:* Faunus Nympharum amator apte nominatur *Veneris sodalis.* Sed cur dixit *larga uina craterae* (*Fülle des Weines im Napfe*), non simpliciter *larga uina?* Nimirum Fauni simulacrum in puluinari uel triclinio positum et ante ipsum crateram uini in mensa collocatam cogitauit. Sic uerba *cadit, nec desunt, fumat* habent quo iuste referantur. Vulgo *craterae* non pro genetiuo, sed datiuo accipitur, ut ipsa cratera *Veneris sodalis* uocetur. Hoc ut aliquo modo fieri possit, ueteres interpretes Acron et Porphyrion prouocant ad *παροιμίαν, sine Cerere et Libero friget Venus*, quae quam longe petita sit, satis liquet.

7—8. *uetus ara multo fumat odore:* tener haedus noui domini liberalitate Fauno contingit, cum olim (in uetere ara) non nisi ture (*odore*) litaretur. Vetus honor praeter nouum nunc quoque tenebitur.

9—16. Altera pars carminis. Paganalia in Fauni honorem nonis Decembribus in suo pago celebrari solita depingit atque ita deum laudare pergit.

9. *herboso — campo:* in pascuis siue pratis.

10. *cum — Decembres:* nonae Decembres aut agebantur eo die, quo hoc carmen scriptum est, aut paulo ante actae erant. Nam festus dies huius poematis faciendi occasionem praebuit.

11—12. *festus — pagus:* dicit Faunalia quotannis celebrari solita ab incolis *Mandelae, Vsticae, Haediliae,* de quibus uicis cf. annot. ad I 17 9 et 11, Epl. I 18 105. Ad plenum otium requiritur, ut non modo agricolae pagi, sed etiam bos arator uacet.

13. *inter — agnos:* summa securitas pecoris et lupi natura innoxia Fauni potentiae tribuitur. 'Non semper audaces agnos, sed illo die, tamquam qui numinis interuentu non timeant, quod honori Fauni applicat, festiuitatis suae tempore lupos nocere pecudibus non sinentis'. Acron.

14. *spargit agrestes tibi silua frondes:* agrestes frondes sunt quae colliguntur, ut Fauno sternatur lectus agrestis. Nam ut caelestibus *puluinaria* sternuntur, sic Fauno agresti numini lectus fronde paratur. Formam *agrestis*, ut est in codice A, hoc loco uitandae ambiguitatis causa recipere nolui.

15. *gaudet — fossor:* fossor qui solum effodit, scrobesque agit, in quibus arbores frugiferae, uites et

inter audaces lupus errat agnos;
spargit agrestes tibi silua frondes;
gaudet inuisam pepulisse fossor
ter pede terram.

XVIIII.

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,

14. agrestis *A*. 15. 16. terram ter pede fossor *G*.

Ad Telephum. Metrum primo uersu glyconium, secundo asclipiadeum *A*. dyastiche ad thelephum a Murena augurio honoratum *B*. ad Thelephum *H*.
1. *Diomedes* III 37. distet *AGω Diomedes:* distat *BHgς*.
2. Chodrus *H*. non timidus pro patria mori *ς*.

oleae in quincuncem ponantur. Vergil. Georg. II 264: *labefacta monens robustus iugera fossor*. Qui labor cum grauis sit et molestus, fossor saltans inuisam sibi terram impellere dicitur, et hoc ille cum gaudio facit atque quodam ulciscendi studio. 'Naturale est enim omnibus odisse laboris sui materiam'. Porphyrion.

16. *ter pede terram:* cf. IIII 1 28: *in morem Salium ter quatient humum; ter* est saltu ternario. '*ter* uero ad rhythmum rettulit'. Acron.

Carm. XVIIII. Prooemium. *Antiquas historias multo cum studio tractas, Telephe: noli neglegere quod postulat praesentem curam, uina dico tecum a me et ceteris amicis in honorem auguris Murenae bibenda*. (Metrum 5)

Telephum uocari quendam intima familiaritate Flacco iunctum et argumentum et habitus carminis prodit; eundem non esse in numero nobilium, sed Horatio fere parem indidem agnoscitur. Quis ille fuit? Fuit, crede mihi, *Heliodorus*, rhetor et grammaticus urbis Romae, de quo legimus in Sermon. I 5 2: *rhetor comes Heliodorus, Graecorum longe doctissimus*. In his uerba *Graecorum longe doctissimus* artem litteratoris siue *grammatici* produnt ac laudant: *nam ueteres grammatici et rhetoricam docebant, ac multorum de utraque arte commentarii feruntur,* ut scribit Suetonius de Illustr. gramm. c. 4. Ipsum Heliodorum re uera et in rhetorica et grammatica elaborasse ad uersum satirae modo indicatum satis ostensum est. Quae nunc de Telephi studiis referuntur, doctissimum in litteris historiisque Graecorum, h. e. *grammaticum* praedicant. Sed cur Heliodorus sub hoc nomine latere dicendus est? *Heliodori* nomen ualet τοῦ Ἡλίου δῶρον, Telephus est *qui lumen procul spargit*, ac uetus ille rex Mysorum filius fuit matris Αὔγης (*Fulgoris*), quae ipsa filia fuit Ἀλέου (*Caloris*). Itaque uero nomini mythicum, cuius similis esset potentia, Flaccus substituit. Verum nomen ponere noluit ob ea quae in fine poematis de amore illius narrata sunt. Eiusdem hominis mentionem fecit I 13: alius eodem nomine latet IIII 11.

Carmen circa annum 725 (a. Chr. 29) scriptum esse uersus extremus, *me lentus Glycerae torret amor meae*, indicat: nam Glycera est Cinara, cuius amore Flaccus illo anno torrebatur, ut uidimus ad I 19.

1—3. *quantum distet — narras:* praecipuum ueteris grammatici munus hoc fuit, ut antiquas historias et fabulas nosset atque narraret: nam hoc

narras et genus Aeaci
et pugnata sacro bella sub Ilio:

quo Chium pretio cadum
mercemur, quis aquam temperet ignibus,

quo praebente domum et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.

da lunae propere nouae,
da noctis mediae, da, puer, auguris

3. Aeaci] faci > *A*. 5. precio *ABGH*. 7. prebente *H*. 8. pęlignę scaream *A*.

discipulis opus erat, ut intellegerent poetas, prae ceteris tragoediarum et epicorum carminum scriptores. De scriptione historica a Telepho mox edenda ne cogita: immo Horatius de re loquitur, quae quotidie fiat. Quaestiones spinosas siue προβλήματα Orellius intellegi uult: sed Telephus *narrat*, non *proponit*.

3. *genus Aeaci:* Homerum dum interpretatur, de fortissimis uiris qui Ilium oppugnauerant, discipulis suis exponit Heliodorus (Telephus), uerbi causa de Achille filio Pelei, qui natus patre *Aeaco*, item de Aiace filio Telamonis, eiusdem Aeaci nepote.

4. *sacro — sub Ilio:* sacrum Ilium fuit (Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον), quod tot deos tutores habuit uariisque templis religiose coluit. De genere nominis dictum est ad I 10 14. Cur hoc loco *sacro* maluerit quam *sacra,* causa patet.

5—8. Haec totidem uersibus contraria prioribus. Vrget et premit eum, qui rem minime contemnendam incuriose oblitus est, ipse inpatiens et moram aegre ferens, quo pertinet rerum cognatarum enumeratio, magna cum arte uocibus *quo pretio*, *quis*, *quo, quota* prolata. Nam his tota series rerum a Telepho adhuc neglectarum introducitur. Ad festam compotationem ab amicis quam fieri possit celerrime parandam primum *uino* opus est eoque bono (*Chium*) et pretioso (*mercemur*), tum largo (*cadum*). *Chium cadum* breuiter pro *cadum Chii uini,* ut nos dicimus *einen Rüdesheimer Anker*. Χῖον κεράμιον habet Athenaeus I 4 p. 3 F. De uino Chio cf. Plinius NH. XIIII 9 (7): *in summa gloria — fuere Thasium Chiumque.* Adde ibidem c. 17 et Athenaeum I c. 51 et 59 p. 28 et 32 sq. Strabo XIIII c. 1 § 15 et c. 2 § 19.

6. *quis aquam temperet:* 'temperet, *ignibus tepefaciat,* nam tepefactis aquis solebant Graeci uina temperare'. Acron. Horatio et sodalibus in miscendo uino aqua ignibus temperata siue calefacta opus est, quod tempore hiberno potaturi sunt. Mire Orellius interpretatur 'quis balneum calefaciet': Horatius non balneum desiderabat, sed uina et compotatores.

7. *quo praebente domum:* in cuius domum ueniamus ad symbolam.

8. *Pelignis — frigoribus:* tantis frigoribus, quanta apud Pelignos in montibus arduis tolerari solent. Numerus multitudinis notionem frigoris adauget, ut III 24 37 *calores*, ut paulo ante *ignibus.*

9—12. Iam adesse quos optat potores et inchoari gaudia solita cogitat.

9. *da lunae propere nouae:* da poculum lunae (= in honorem lunae) mox nouae. Nunc ubi potant, est

Murenae. tribus aut nouem
miscentur cyathis pocula commodis:

qui Musas amat inpares,
ternos ter cyathos attonitus petet

uates; tris prohibet supra
rixarum metuens tangere Gratia

nudis iuncta sororibus.
insanire iuuat: cur Berecyntiae

12. cyathis *AG:* cyatis *BH.* 13. Ipares *g:* Imp. *ABHG.* 14. cyathos *G:* cyatos *BH,* ciathos *A.* 15. uatis *A.* tris *Aς:* tres *BGHς.* 16. gracia *B.* 18. iuba uat (*correctum ead. m.*) *A.* berecinthiae *AH,* berecynthiae *G,* bere cynthiae *B.*

νουμηνία (*interlunia*), mox *noua* siue reparata erit. Cf. III 8 13: *cyathos amici sospitis centum.*

10. *da noctis mediae:* mediam noctem ueneratur, quod potationem in medium noctis proferri uult.

10—11. *da auguris Murenae:* Licinius Murena, de quo cf. II 10, in augurum collegium tunc cooptatus erat.

11—12. *tribus aut nouem miscentur cyathis pocula commodis:* ut in asse *duodecim* unciae numerabantur et hinc idem numerandi modus (der Duodecimal-Fuss) etiam aliis in rebus definiebatur, sic pocula cogitantur duodenos cyathos capientia. Horum alia mitius tribus cyathis uini, nouem aquae, alia fortius nouem cyathis uini ac tribus aquae bene misceri pronuntiat quasi potandi magister. Quae pocula uarie temperata uariis desideriis respondebunt, illa moderate bibentibus siue Gratiam uenerantibus, haec large se ingurgitantibus siue Musas colentibus. *Commodos* cyathos intellege qui aquae mixti rationem habeant potantibus commodam. Quia *commodis* additum est, scribi debuit *miscentur,* ut est in codicibus, non *miscentor*, ut coniecit Rutgersius. Ipsum *commodis* in fine sententiae positum est, quia proximi uersus (13—17) huic explicando inseruiunt. Nam in sociorum numero sunt qui fortiora pocula, sunt etiam qui mitiora uelint.

12. *cyathis:* i. e. uini cyathis ut u. 14, qui ut intellegi possint, facit uerbum *miscentur;* cf. ad Serm. II 4 19.

13—15. *qui Musas — petet uates:* uates qui maiorem ardorem et mentem commotam quaerit, ternos ter cyathos uini petet, numerum nouem Musarum secutus. Epitheton *attonitus* additum nomini *uates* causam continet, cur fortiorem potum uelit, incuriosus rixarum et unice intentus orgiis Musarum. *Inpares* nouem Musas uocat, ut appareat cur in miscendis poculis ratio aequalis uitetur, inpar probetur. Sane etiam Gratiae numero inpares sunt, sed in his res iam satis plana est.

15—16. *tris prohibet supra — Gratia:* qui decorem sustinere cupit et rixas metuit, contentus erit poculo cui uini tres cyathi, aquae nouem admixti sunt. Sed pro potore decente et Gratiarum amante ipsam Gratiam posuit, quae rixarum ex uinolentia consequentium metuens sit.

17. *nudis — sororibus:* sorores memorauit, ut ternarii numeri legentes admonerentur; quippe hunc numerum secutus amator Gratiae tres cyathos (uini) petit, ut nouem Musarum cliens nouem cyathos petere dictus est.

18. *insanire iuuat:* se ipsum fortius poculum uelle profitetur: scilicet uatem

cessant flamina tibiae?
cur pendet tacita fistula cum lyra?

parcentis ego dexteras
odi: sparge rosas; audiat inuidus

dementem strepitum Lycus
et uicina seni non habilis Lyco.

spissa te nitidum coma,
puro te similem, Telephe, uespero

tempestiua petit Rhode;
me lentus Glycerae torret amor meae.

19. tybiae *BG.* 21. parcentis *AH* (*ex A falso affertur* pascentis): parcentes *BGg**. 23. licus *G, mox* lico. 24. habili *u. Blandinius.* 26. telaphe *H.* 27. rhode *Aς duo Blandinii Acron,* r^{h}o da^{e} *B,* ȝhode *H:* cloe *Gg,* clode *ab alt. m. H,* chloe *ω.* 28. glycere *H.*

se describere uoluit dicens, me iuuat insanire uel desipere; cf. IIII 12 28.

18—20. Vatem se omne genus musicae cupide excepturum esse declarat.

18—19. *Berecyntiae — tibiae:* tibia Berecyntia a Berecynto monte Phrygiae nominata, quae sacris Cybeles adhibebatur, acuta et affectum mouens. Aristoteles Polit. I 8 § 6: *οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικόν, ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν. flamina* sunt *πνεύματα, πνοαί.*

20. *cur — lyra?:* cum in promptu sit fistula et lyra parieti suspensa, cur non capitur? Pindarus Ol. I 25: *ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβανε.*

21. *parcentis — dexteras:* parce spargentes florem rosarum. Largam copiam postulat.

22—24. *audiat — Lyco:* aduerte, lector, initia amoris iam gliscentis in pectore Flacci, mox post mortem Cinarae in flammam erupturi; cf. ad IIII 13.

22—23. *inuidus — Lycus:* Lycus senex et inpar tali laetitiae inuidet adulescentulis dementem strepitum: sed grauior inuidiae causa proximo uersu suggeritur, quippe uerendum ei est, ne uxor propter iuuentutem ipsi non habilis (= non apta) ad pocula iuuenum discurrat. Ipse Lycus est ille *Pieria paelice saucius* (III 10 15), maritus *Lyces* a iuuenum uinis non abhorrentis (IIII 13 3—6). Nomen Lyci a *Lupo* cognomento Romano detortum uidetur; inde uxor eius locis indicatis *Lyce* nominatur.

25—26. *spissa — uespero:* egregie amicum puro iuuentutis flore praestantem depinxit, ut praeparet illud *tempestiua petit Rhode:* nimirum Rhode ueneri tempestiua sua sponte Telephum sequitur formae potentia impulsa.

28. *me lentus — meae:* dum amicus iuuenis bonis a Cupidine concessis nullo labore fruitur, Horatius lento, h. e. difficili et cessante Glycerae amore ita torretur, ut flos iuuenilis marcescat. *Glycera* est *Cinara;* cf. ad I 19. Vocabuli *lentus* similis uis est Serm. I 9 64: *lentissima brachia;* adde Carm. IIII 13 6.

XX.

Non uides quanto moueas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
dura post paulo fugies inaudax
proelia raptor,

cum per obstantis iuuenum cateruas
ibit insignem repetens Nearchum,

Ad Pyr[h]rũ *A* (*alterum* h *al. m. ascriptum est*). symbõ[e] (*symboleutice*) ad Pyrrum *B*. Ad Pyrrum *H*.
1. *Diomedes* III 37. 2. pyrrhe *AB:* Pyrre *G*, Phyrre *H*. getulae *ABGH*. leenae *AG*, leene *B*, laeenae *H*.· 3. paulo *AHω Blandinii:* paulum *BGgς*. 4. proelia *H corr G:* p̄lia *A*, prelia *B pr G*. 5. obstantis *A:* obstantes *BGHg*.

Carm. XX. Prooemium. *Periculosum est, Pyrrhe, Gaetulicae leaenae catulos mouere. Haec cum repetet Nearchum abs te raptum, dura proelia timidus fugies. Nearchus interim, dum tu raptum paras et illa minatur appetenti, suis artibus te inuitat ad audendum.* (Metrum Sapphicum)

Est lusus in amatorem ad rapiendum puerum satis promptum, ad obtinendum nihil ausurum, tum in matrem pueri ferocem et amantibus asperam, postremo in ipsum puerum, qui raptorem ad facinus irritat. Tempus scripti carminis latet.

1—2. *non uides — catulos leaenae?:* est allegoria pro comparatione. Sed Gaetulam leaenam qualem cogitabimus? Respondent interpretes significari puellam sauciam amore pueri, quem Pyrrhus rapturus sit. Verum omnis nota eiusmodi puellae abest, neque puer qualis Nearchus describitur, puellis habilis esse solet. Immo uocabulum *catulos* ad *matrem* Nearchi nos ducit, adulescentulis masculum amorem sectantibus asperam tristemque. Verbum *mouere* (*κινεῖν*) de rebus ex abdito uel clauso loco proferendis dici solet; III 21 6: *moueri digna bono die;* paulum differt *qui me commorit* Serm. II 1 45, quod dicitur de adempta tranquillitate animi. Ipsa quaestio grauem rei perniciosae dissuasionem continet. Pyrrhus est iuuenis *flauo* crine decorus (cf. I 5); fortasse cognomento suo *Flauus* uocabatur, ut frater Arminii, qui in exercitu Romano stipendia fecit (Taciti Ann. II 9).

3—8. Inceptum tuum erit inane, quod raptum tueri non poteris.

3. *post paulo:* uitauit uulgatum *paulo post;* esse *paulo post raptum* nomen *raptor* indicat.

3—4. *inaudax — raptor:* qui rapere potest, raptum defendere inpotens; *inaudax* est Graecum *ἄτολμος*, ab Horatio formatum, ab aliis poetis non acceptum, quantum nouimus.

5. *per obstantis iuuenum cateruas:* irata ob raptum catulum, non amore percussa, per iuuenum cateruas ipsi obstantes ruit. Respexit Flaccus uersus Homericos, in quibus leaena ob raptos catulos furibunda describitur, Il. Σ 318: *ὥς τε λὶς ἠυγένειος, ᾧ ῥά θ' ὑπὸ σκύμνους* (*catulos*) *ἐλαφηβόλος ἁρπάσῃ ἀνὴρ ὕλης ἐκ πυκινῆς.* Venantium cateruas esse uel raptori opitulantium, ut dicunt interpretes, Horatius non significauit: immo ephebus in iuuenum cateruis iure quaeritur.

6 *insignem — Nearchum:* insignem interpretare *cognitu facilem;* in ipsis cateruis iuuenum Nearchum

grande certamen, tibi praeda cedat
maior an illi.

interim, dum tu celeris sagittas
promis, haec dentes acuit timendos,
arbiter pugnae posuisse nudo
sub pede palmam

fertur, et leni recreare uento
sparsum odoratis humerum capillis,
qualis aut Nireus fúit aut aquosa
raptus ab Ida.

7. preda *BGH*. 7. 8. cedat, maior an illa *Peerlkampius*. 9. celeris *A:* celeres *BGHg*. 14. sparsū moderatis humeř *A*. 15. Nireus *Σ:* nereus *ABGHgω*.

statim agnoscet leaena. *Nearchus*, qui recens imperium amantium nactus est.

7. *grande certamen:* unde grande certamen erit; cf. Serm. I 4 110.

7—8. *tibi praeda cedat maior an illi:* epitheton *maior* sententia loci cum *tibi* iungit (*tibi maiori*, h. e. superiori), structura uerborum ad *praedam* refert. Sic III 21 19 habemus *iratos regum apices* pro *iratorum regum apices;* III 1 42: *purpurarum sidere clarior usus* pro eo quod est *clariorum*. Conf. Lobeckius ad Sophoclis Ai. 7. Per coniecturam in notis criticis memoratam haec poeticae dictionis uenia remouetur, sed repositum *maior an illa* pedestris sermonis formam refert.

9—16. Sequitur altera pars carminis, cuius haec sententia est: Nearchus rapi sese cupit et identidem te ad patrandum facinus irritat. Interpretes non recte affirmant Nearchum mire securum esse tam aduersus leaenam quam raptorem, aut certe talem securitatem ab illo simulari.

9. *interim:* τέως (*einstweilen*), h. e. ante quam raptus perficiatur et uera proelia committantur.

9—10. *dum tu celeris sagittas promis:* promit sagittas ut transfigat matrem ac potiatur Nearcho.

10. *haec dentes acuit timendos:* haec minis raptorem arcet; monent interpretes acuere (θήγειν) dentes καταχρηστικῶς ab apris ad leaenam translatum esse: nam apri dentes acuunt (Hom. Il. *Λ* 416), non leones. Leaenam pro catulis suis decertantem pingit Homerus Il. *P* 133 sqq.

11—13. *posuisse nudo sub pede palmam fertur:* caue referas haec ad proelia uersu 4 denuntiata; illa instant post raptum: nunc quid ante factum sit, narratur. Palmam uictoriae signum et nudum pedem raptori puer ostendit, ut ille irritetur.

13. *leni recreare uento:* quod semel fit, perfecto tempore (*posuisse*), quod saepius repetitur (*recreare*), praesente dictum est.

14. *odoratis — capillis:* odorati sunt qui spirant odores unguentis perfusi; cf. II 11 15. Ouidius Fast. II 309: *ibat odoratis humeros perfusa capillis*. Verbo *sparsum* longa coma et larga notatur. Epod. 11 28: *ardor — teretis pueri longam renodantis comam.*

15. *qualis aut Nireus fuit:* Homeri Il. *B* 673: Νιρεύς, ὃς κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν τῶν ἄλλων Δαναῶν μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα. Hic noster Epod. 15 22: *formaque uincas Nirea.*

15—16. *aquosa raptus ab Ida:* est Ganymedes; cf. IIII 4 4. *aquosa* est Homeri πιδήεσσα, πολυπῖδαξ.

XXI.

O nata mecum consule Manlio,
seu tu querellas siue geris iocos
seu rixam et insanos amores
seu facilem, pia testa, somnum,

quocumque lectum nomine Massicum

Ad amphoram. Metr̄ *cet. A.* paraenetice ad amphoram *B.* Ad amphoram *H.*
1. *Diomedes* III 37. mallio *AΣ Diomedis codex A.* 2. q̄relas *Ag*, quęrelas *H*, querelas *BG.* 5. numine *Parisinus P,* num̨ne *A; idem om u.* 6—8.

Carm. XXI. Prooemium. *Testa, descende ac Coruino uina languidiora defunde. Ille quamquam madet Socraticis sermonibus, te tamen non neglegit, id quod et more magnorum uirorum et tuis uirtutibus adprobatur.* (Metrum Alcaicum)

De M. Valerio Messala Coruino post proelium Philippense (712 = 42) in fidem accepto a Caesare Octauiano Velleius II 71: *Messala, fulgentissimus iuuenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, cum essent qui eum ducem poscerent, seruari beneficio Caesaris maluit quam dubiam spem armorum temptare amplius. Nec aut Caesari quicquam ex uictoriis suis fuit laetius quam seruasse Coruinum, aut maius exemplum hominis grati ac pii quam Coruinus in Caesarem fuit.* Consul factus cum Octauiano a. 723 Antonium debellauit, post bellum Actiacum Aquitannos uicit triumphumque inde egit a. 727 (Appianus BC. IIII 38, Tibullus I 7, II 1). Insignem oratorem laudat Quintilianus X 1 113, significat Horatius AP. 371; idem nobilem celebrauit Serm. I 6 42, fautorem sui Serm. I 10 85.

De tempore compositi carminis hoc tenendum. Cum Alcaei uersibus scriptum sit, ante annum 724 edi non potuit. Verum annis 723—727 Coruinus magnis rebus districtus aut absens ab urbe Flacco Socraticisque sermonibus operam dare uix potuit. Quapropter hoc poema post Aquitannicum triumphum factum est. Fortasse occasionem praebuit *Symposium* a Maecenate conscriptum, de quo Seruius ad uerba Vergilii (Aen. VIII 310) *facilisque oculos fert omnia circum Aeneas:* 'Hoc etiam Maecenas in Symposio, cui Vergilius et Horatius interfuerunt, cum ex persona Messalae de uino loqueretur, ait: *idem humor ministrat faciles oculos, pulchriora reddit omnia, et dulcis iuuentae reducit bona.*'

1. *nata mecum consule Manlio:* duplex dos est testae, quam alloquitur Horatius, quod uetus uinum seruet quodque secum nata (a. 689) maius pretium habere uideatur. Epod. 13 6: *tu uina Torquato moue consule pressa meo.*

2—4. *seu rixam — somnum:* magnas opes testae significat, dum quinque effectus enumerat, quod gerat *querellas* spreti amatoris, aut *iocos* amantium, aut *rixam* bibentium, aut *insanos amores*, h. e. impetus insane amantium, aut *facilem somnum* conuiuantium.

4. *seu — somnum:* in salutari uirtute paulum conquiescit ac non sine ui stropham claudit. Hinc patet uis compellationis *pia testa*, h. e pia erga dominum, cui salutarem potentiam, non prauas uires praebebit. Ingeniosa est C. Schwenckii (in Annalibus Lips. philol. 1854) sententia, *piam* uocari quod eodem quo Horatius consule nata testa erga hunc fraterno amore agat.

5—6. *quocumque — Massicum*

seruas, moueri digna bono die,
descende, Coruino iubente
promere languidiora uina.

non ille, quamquam Socraticis madet
sermonibus, te neglegit horridus.
narratur et prisci Catonis
saepe mero caluisse uirtus.

tu lene tormentum ingenio admoues
plerumque duro; tu sapientium

10. neglegit *Bω*, negligit *A*: negliget *gΣ*, negleget *GHς*. 11—12. *Mar. Victorinus* IIII 2 11. 12. sepe *BGH*. incaluisse *Victorinus*. 13. amoues *BHς*. 14. sapientum *H*.

seruas: quocumque nomine est idem quod *quocumque effectu* siue *quacumque potentia*, nam quaeuis potentia suo nomine modo uocata est. De Massico cf. I 1 19.

6. *moueri digna:* digna quae mouearis (*ἀξία κινεῖσθαι*), structura a Graecis petita, cuius hoc unum est in Carminibus exemplum; frequentior est in Sermonibus et Epistulis; Serm. I 3 24: *dignusque notari;* I 4 3: *dignus describi,* 25: *culpari dignos;* I 10 72: *quae digna legi sint;* Epl. I 10 48: *tortum digna sequi — funem;* AP. 183: *intus digna geri,* 283: *uim dignam lege regi.* Verbis *bono die* praeclare profitetur suam Messalae existimationem.

7. *descende:* de apotheca ex superiore parte domus; cf. ad III 8 11.

7—8. *Coruino iubente promere languidiora uina:* infinitiuus *promere uina* suspensus est ex proximo *iubente*, non ex *descende*, ut putauit Acron. Nimirum quod Coruinus diligebat uina non nimis fortia aut acerba, id amicus tamquam iussa eius respicit et exequi studet. *Languidiora* non in uitii sed uirtutis loco est, h. e. mitiora et moderatiora. '*Languidiora* autem dixit uetustate lenita. Sic ergo et illud supra dictum: *nec Laestrygonia Bacchus in amphora languescit mihi*'. Porphyrion.

9—10. *non ille — te neglegit horridus:* non horridus est homo ideoque te non neglegit. Praesens *neglegit* melius est ad celebrandum Messalam et aptius conuenit uerbo *madet.* Nam poeta in uniuersum laudat mores uiri et comitatem, non praedicit quid idem apud se facturus sit.

9—10. *quamquam — sermonibus:* ut alii uinis uuidi sunt, sic Messala Socraticis sermonibus *madet.* Non solum abundantiam dicendi, sed simul facilitatem laudat, qua Coruinus Socraticas disputationes more Platonis habere soleat. Talem, opinor, in Symposio Maecenas ostendit; cf. Prooem.

11—12. Hanc Messalae hilaritatem laudabilem esse et nobili uiro dignam, poeta primum simili exemplo Catonis censorii, honestissimi hominis, ostendit, tum utilem uini potentiam describens adprobat.

11—12. *narratur — uirtus: Catonis uirtus* non est mera periphrasis pro Catone, sed uirtus eius non sine ui memoratur, ut uirtutem siue fortitudinem uinis non aduersam esse significetur; cf. Serm. II 1 72: *uirtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.* Quod Victorinus Horatio tribuit *mero incaluisse*, haec elisio ingrata est, quod grauis uocabuli (*mero*) nihil nisi syllaba breuis relinquitur.

13. *lene tormentum* (*sanfte Folter*): *lene*, non saeuum uel asperum, quale seruis admouetur in quaestionibus, unde epitheton translatum est. Nam ut serui ad confitendum, sic ingenia dura ad loquendum impelluntur.

curas et arcanum iocoso
consilium retegis Lyaeo;

tu spem reducis mentibus anxiis,
uiresque et addis cornua pauperi
post te neque iratos trementi
regum apices neque militum arma.

te Liber et si laeta aderit Venus
segnesque nodum soluere Gratiae
uiuaeque producent lucernae,
dum rediens fugat astra Phoebus.

15. archanum *BGH*, *non A*. 16. lyeo *ABH*, lieo *G*. 19. neque *AG: nec BH*ς. 21. leta *B*. 22. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 720. 24. phebus *G*.

13—14. *ingenio — plerumque duro:* ingenium plerumque durum est quod raro mouetur ac plerumque torpet. Recte Bentleius *ingenium* refert ad poetas et oratores, qui sine ingenio nihil possunt. Adiunguntur philosophi et ciuitatum rectores.

14—15. *sapientium curas* (*die Gedanken der Weisen*)*:* quae sapientes cum cura adhuc secum uolutauerunt, haec saepe in uinis proloquuntur.

15—16. *arcanum — consilium* (*geheimen Rathschluss*)*:* consilium adhuc tectum inter pocula proferunt uiri publicis negotiis praepositi. Tacit. Germ. 22: *de pace — ac bello plerumque in conuiuiis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus aut ad magnas incalescat.*

16. *retegis Lyaeo:* apte Lyaei nomen iunxit cum uerbo *retegis:* quippe Lyaeus ipse est qui soluit dura aut abdita. Ceterum *iocoso Lyaeo* sextus casus est, non tertius: non enim Lyaeo reteguntur illa, sed ceteris conuiuis inter uina.

17. *spem reducis mentibus anxiis:* cf. Epl. I 15 19: (uinum) *quod cum spe diuite manet in uenas animumque meum.*

18. *uiresque* (addis) *et addis cornua pauperi:* et uires et alacrem animum addis pauperi. Isidorus Orig. VIII 11: *ideo coronam uiteam et cornua habet, quia cum grate et moderate uinum bibitur, laetitiam praestat, cum ultra modum, excitat lites, i. e. quasi cornua dat.* Hinc ipse Bacchus est βούκερως Sophocli apud Strabonem XV 1 7, ταυρόκερως Euripidi Bacch. 100. Tibullus II 1 3: *dulcisque tuis e cornibus uua pendeat;* adde Athenaei XI 51 p. 476 A. De coniunctione *que* noue collocata dictum ad II 19 28. Alii iungunt *spem reducis mentibus anxiis uiresque.*

19—20. *iratos — regum apices:* apices irati, quibus nutantibus regum ira proditur. Apices sunt diademata, regiae potestatis insignia. Conf. ad III 20 7—8.

21—24. Redit ad testam et festum conuiuium Coruino praebendum.

21. *Venus:* 'talibus enim conuiuiis inter amicos intimos celebratis faciles amicae adhibebantur, ut est aliquoties apud Horatium'. Orellivs. Leniuit dictum additis *si laeta aderit.*

22. *segnesque nodum soluere Gratiae:* quae nexum quo iunctae sunt non facile soluunt. Hoc *segnes nodum soluere* addidit ad concordiam amicorum significandam.

23. *uiuaeque — lucernae:* cf. III 8 14: *uigiles lucernas perfer in lucem.* Quae si perferuntur a conuiuis, illae uiuere pergunt.

24. *dum — Phoebus:* magis ornate Propertius IIII 6 85: *sic noctem patera, sic ducam carmine, donec iniciat radios in mea uina dies.*

XXII.

Montium custos nemorumque, uirgo,
quae laborantis utero puellas
ter uocata audis adimisque leto;
diua triformis,

imminens uillae tua pinus esto,
quam per exactos ego laetus annos
uerris obliquum meditantis ictum
sanguine donem.

Ad Dianam luciferam saphicum *A*. ad Dianam luc. *H*. ymnus in Dianam *B*.
1. *Diomedes* III 37. 2. laborantis *A:* laborantes *BGHg*. 3. audis *om A*. leto *A:* lęto *G*, loeto *BH*. 5—8. *om A*. 5. Inminens *B*, *non HSg*. 6. letus *G*. 7. obliquum med. ictum *scholiasta Statii Theb*. VIII 534.

Carm. XXII. Prooemium. *Diana, tibi dedico pinum uillae imminentem, ad quam laetus exacto quouis anno uerrem sacrificare possim.* (Metrum Sapphicum)

Die natali, h. e. sexto idus Decembres, Dianae pinum uillae Sabinae propinquam ubi sacrauit, uotum addidit, ut eodem die recurrente semper laetus hostiam huic numini dare possit. Natalem diem significari, uerba *per exactos laetus annos* ostendunt. Non diu post acceptam uillam (723) hoc uidetur cecinisse, fortasse mense Decembri a. 725 = 29 ante Chr.

1. *montium custos nemorumque:* Catullus 34 10: *montium domina ut fores siluarumque uirentium saltuumque reconditorum amniumque sonantum.*

2—3. *quae laborantis — leto:* laborantis utero puellas dicit *primiparas*, quae inter pariendum dolores potissimum sentiunt et uitae periculo saepius obiciuntur. Hinc Dianae opem prae ceteris implorant. De nomine *puellae* cf. ad III 14 10.

3. *ter uocata:* ter uocari pertinet ad intentiores preces, non ad tria nomina Dianae posita in carm. Saec. 14: *Ilithyia, tuere matres, siue tu Lucina probas uocari seu Genitalis.* Catullus l. c.: *tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis, tu potens Triuia et notho es dicta lumine Luna.*

5. *tua — esto:* tibi in futurum dedicata sit.

6. *per exactos — annos:* noue pro quotannis, festo hoc die recurrente. Graece *περιπλομένων ἐνιαυτῶν*. *laetus:* laeto animo, quotiens annum expleui, ac natales grate numero (Epl. II 2 210).

7. *obliquum meditantis ictum:* deae uirgini adolescentem uerrem donare decet; hoc scite expressit uerbis *meditantis obliquum ictum.* Respexit, ut uidetur, Statius Theb. VIII 534: *in latus iras frangit.*

8. *donem:* donare possim, tuo scilicet fauore adiutus.

XXIII.

Caelo supinas si tuleris manus
nascente luna, rustica Phidyle,
si ture placaris et horna
fruge Lares auidaque porca,

nec pestilentem sentiet Africum

Ad Fidylen rusticam. Metr̄ *cet. A.* proseutice monocolos phillidae *B.* Ad Phidilen rusticū *H.*
1. *Diomedes* III 37. 2. phidyle *Aς Blandinii,* phidile *g,* fidile *H,* philide *G,* fillide *B.* 3. te (*h. e.* ture, *ut in ceteris meis*) *A.* orna *H.* 5. affricum *GH.*

Carm. XXIII. Prooemium. *Caelestes si piis precibus adoraris, Lares modicis donis placaris, rustica Phidyle, uites tuae segesque et arborum alumni nullo damno afficientur. Pastam porcam et iuuencam bene nutritam ego pro nobis in sacrificio paganali offeram. Tu bidentium sanguine carere potes. Innocens* (tua) *manus si tetigit aram, haec non magis blanda per hostiae sumptuosae donum auersos Penates mollire poterit.* (Metrum Alcaicum)

Haec oda inopes solatur, prae ceteris agricolas Sabellos Horatii uicinos, docetque in sacris non tam pretia donorum quam innocentiam sacrificantium ab inmortalibus respici. Ad unam, non ad plures, orationem dirigi poetica ratio uoluit; mulierem, non uirum, allocutus est, quod mulieres in religiones et sacra plerumque nimium promptae sunt.

1. *caelo:* hoc est caelestibus uel superis. Hi iusta prece contenti sunt. Iustas preces manus supinae significant: nam supinis manibus superos adorabant; cf. Vergilii Aen. III 176: *tendoque supinas ad caelum cum uoce manus;* IIII 205: *dicitur — multa Iouem manibus supplex orasse supinis*, de quibus Seruius notauit: *iuxta rationem: nam inferos demissis ad terram manibus inuocamus.* Simplex *tuleris* pro *sustuleris*, *caelo* pro *ad caelum* poeticae dictionis sunt.

2. *nascente luna:* 'solent enim rusticae mulieres in initio primae lunae ad caelum preces effundere'. Acron.

rustica Phidyle: Phidyle a masculino n. Φειδύλος et hoc a Φείδων (cf. Aristoph. Nub. 135) dictum est, ut Κρατύλος a Κράτων, cet. Est quae parcit impensis ob inopiam. Bentleius *Phidyli* desiderabat ad analogiam nominum *Archylis*, *Thestylis*, *Xystylis*, *Erotylis:* sed haec sunt nomina seruarum, Horatii Phidyle libera fuit.

3—4. *si ture — auidaque porca:* Laribus rem familiarem augentibus sua munera, ac munera quidem rusticis prompta paruoque parabilia, offerri commendat: mori enim antiquitus tradito noluit intercedere. Conf. Tibulli I 1 22: *uos quoque, felicis quondam nunc pauperis agri custodes, fertis munera uestra, Lares. Tunc uitula innumeros lustrabat caesa iuuencos: nunc agna exigui est hostia parua soli.* Laribus ab agricolis feminas hostias delectas esse hi loci uidentur docere: alia est Laribus immolandi occasio, quae memoratur Sermon. II 3 164: *immolet aequis hic porcum Laribus.*

5—6. *nec pestilentem — fecunda uitis:* uitis cum uuas concepit, fecunda esse coepit. Tunc si aestuosum

fecunda uitis, nec sterilem seges
rubiginem aut dulces alumni
pomifero graue tempus anno.

nam quae niuali pascitur Algido
deuota quercus inter et ilices
aut crescit Albanis in herbis
uictima pontificum secures

6. Foecunda *B, non AGH.* stilẽ g̃ seges (g *ex* seges *repetitum*) *A.* 7. Rubiginem *ABGHgω:* Robiginem *e Blandiniis recitat Cruquius.* dulcis *A.* 8. amno *B.* 9. alcido *B.* 10. ilices] rl *ascriptum habet A, sed uersum* 11 *quoque addit, ceteros omittit.* 12. secures *BGHωΣ:* securim *gς.*

(*pestilentem*) Africum siue austrum sentit, torretur. Plinius NH. II 48 (47): *noxius auster et magis siccus.* Conf. Carm. III 1 31—32.

6—7. *nec sterilem seges rubiginem:* a uite ad segetem altera bona ruris transit. Tibullus I 1 23: *rustica pubes clamet 'io messes et bona uina date'.* Seges maxime infestatur rubigine siue robigine (*Mehlthau*). Vergil. Georg. I 150: *ut mala culmos esset robigo.* Sterilis uocatur ut quae sterilitatem efficiat.

7. *aut dulces alumni:* ne tertium *nec* rediret, *aut* illatum ac proximo *nec* subiectum est. Alumnos Orellius et alii interpretantur uitulos, haedos, agnos tenellos. Ne credas, ad III 18 4 prospectum iam est. Sunt arbores recens positae, quae a dulcibus pomis ipsae *dulces* nominantur. His grauis est hiems. Hiemem igitur dixit *tempus graue pomifero anno,* non autumnum, ut uulgo interpretantur.

9—13. Si di superi aut Lares maius quid uolent, hoc ego praestabo tibi mihique in sacrificio a pontificibus celebrando.

9—10. *quae niuali — et ilices:* Horatii uictimam in Algido monte Latino pascentem esse porcam indicauit uerbis *quae quercus inter et ilices pascitur.* Haec Laribus pro Horatio et uicina dabitur.

11 *aut crescit — herbis:* uaccam adiungit dis superis destinatam; haec *crescit* herbis nutrita, porca glande *pascitur.*

12. *pontificum secures:* cur pontificum secures? scilicet hi *sementiuas* et *paganalia,* ferias conceptiuas, indicebant. Varro LL. VI § 26. Paulus ex Festo s. u. *Sementiuae feriae.* Macrobius Saturn. I 16. Pontificum secures sunt quae iussu pontificum ad festos dies feruntur.

13—16. Te multas oues adultas festis Larum diebus mactare non opus est.

14. *temptare multa caede bidentium:* uerbum *temptare* scite positum significat ἀποπειρᾶν, inducere deos ut faciant quod quis uult. Obiectum uerbo ex proximis suppletur (*deos*). 'bidentes proprie dicuntur oues duos annos habentes, sic uocatae ab eminentioribus dentibus, qui circa duos annos nascuntur'. Acron. Conf. Gellii XVI 6. Dixit igitur adultas oues, non tenellas.

15—16. *paruos coronantem — deos:* haec festos dies Larum indicant: Laribus enim compitalia et paganalia dicata erant. Sueton. Aug. 31: *compitales Lares ornari bis anno instituit uernis floribus et aestiuis.* Paruos deos dicit paruas imagines Larum, quales rustica non diues habuit. Iuuenalis VIIII 137: *o parui nostrique Lares, quos ture minuto aut farre et tenui soleo exorare corona;* adde XII 87 sqq. *ros marinus* siue *rosmarinum* Grae-

cervice tinguet: te nihil attinet
temptare multa caede bidentium
paruos coronantem marino
rore deos fragilique myrto.

inmunis aram si tetigit manus,
non sumptuosa blandior hostia
mollibit auersos Penates
farre pio et saliente mica.

13. tinguet *BHg:* tingit *G*, tinget *ς*. nichil *B*. 14. cede *BGH*. bidentũ *G*. 17—19. *Hildebertus Philos. morali p.* 972. 17. inmunis *B:* imm. *GHg*. tetigerit *B*. 18—20. *Seruius ad Vergil. Aen.* V 745. 19. Mollibit *G corr Bω duo Blandinii Seruius Acron schol. Cruquii Hildebertus:* Molliuit *H* (*B?*) *ς unus Blandinius,* Mollit *g*.

cis est λιβανωτίς. Plinius NH. XVIIII 62 (12): *libanotis locis putribus et macris ac roscidis seritur semine; radicem habet olusatri, nihil a ture differentem.* — *Quidam eam nomine alio rosmarinum appellant.*

17—20. Sequitur clausula cuius haec sententia est: tua manus ubi sine munere (*inmunis*) aram tetigit, hoc non minus gratum erit Penatibus irascentibus (*auersis*), quam si sumptuosam hostiam cum mola salsa his obtuleris. Cum in principio carminis Laribus siue Penatibus postulasset tus, hornam frugem, auidam porcam, quo messem illi prosperarent, nunc ad placandam iram eorum solas preces et reuerentiam Phidylae sufficere profitetur. Inmerito haec stropha superuacanea nonnullis, spuria aliis uisa est.

17. *inmunis:* quae munera non offert; cf. IIII 12 23, Epl. I 14 33. Ceterum non de quacumque manu inmuni loquitur, sed de piae Phidylae manu, cui pronomen (*tua*) post *te* deesse licuit. Acron et Porphyrion manum sceleris inmunem cogitant aduersante usu linguae Latinae et consuetudine Horatiana.

18. *non sumptuosa blandior hostia:* manum *blandiorem* ipsius Phidylae manum accipe, cuius far pium est et pia saliens mica, non alius hominis manum, de quo certum non est, possitne offerre piam molam necne. Itaque *sumptuosa hostia* sextus casus est, non primus, ut credidit Porphyrion. Illud suadet Horatii mos quinta sede uersus Alcaici longam syllabam suppeditantis et comparatio uerborum AP. 395: *et prece blanda.* Forma *mollibit* ex uetere sermone ascita est, cuius offensa uel ignoratio peperit diuersam scripturam *molliuit.*

20. *farre pio et saliente mica:* far pium uocatur, quod in sacrificio a pia manu adhibetur; saliens mica est granum salis in mola salsa, quod iniectum in ignem sacrificalem salit. Est molae salsae significatio rara et summo poeta digna. Ablatiui non ex uoce *blandior* pendent, sed idem ualent ac si *cum* praepositum esset. Fortasse imitatus est Tibullus III 4 10: *omina noctis farre pio placant et saliente sale.* Conf. Vergil. Aen. V 745: *farre pio et plena supplex ueneratur acerra.* Conuerte: *so wird sie nicht freundlicher durch kostbares Opfer sühnen ungnädige Laren mit heiligem Mehl und springender Krume.*

XXIIII.

Intactis opulentior
thesauris Arabum et diuitis Indiae
caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Ponticum;

Ad diuites auaros *AH* (*A addit:* metrum primo uersu glyconeum secundo asclepiadeum). eucharistice (*obscuri ductus*). licet fiant, moriendum est *B*.

1. *Diomedes* III 37. 3. Cementis *G*. 4. tyrrhenum *B*, tyrrenum *AG*, thyrenum *H*. ponticum *ABGω unus ex Blandiniis:* publicum *g duo Blandinii in quibus fuit uetus cum paucis,* apulicum *Hς*.

Carm. XXIIII. Prooemium. *In summa opum abundantia mortis metu te non liberabis, si uitae finem ut dirum expectas. Scythae pauperrimi nobis beatius et melius uiuunt. Quisquis de Romanis bene mereri uoluerit, licentiam morum audeat cohibere, tum ditandi cupidinem. Postremo pueri asperioribus studiis ad fortitudinem imbuendi, a luxuria retinendi sunt.* (Metrum 5)

Compositum est hoc carmen a. 725 (29 a. Chr.), ipsis illis diebus (6—8) mensis Sextilis, quibus Caesar Octauianus triplicem triumphum egit, id quod cognoscitur ex uerbis (u. 45): *uel nos in Capitolium, quo clamor uocat et turba fauentium, — gemmas et lapides aurum et inutile — mittamus:* clamor enim et turba fauentium est triumphantium clamor et turba Octauianum cum fauore in Capitolium prosequentium. Ad idem tempus nos ducunt quae de Scytharum uita et moribus relata sunt: anno enim 724 et 725 M. Crassus Bastarnas, Scytharum populum, deuicerat (cf. Prooem. III 8), unde noua et memorabilia Romam nuntiata sunt, quae Flaccus ad pudorem suis ciuibus mouendum libenter adhibuit. Insunt in hoc semina carminum illorum, quae primo et secundo sextoque loco libri tertii leguntur. Conf. Prooemium I 32.

1—8. Opum magnitudo et magnificentia domus beatum facere non possunt.

1—2. *intactis — Arabum:* intactae Arabum opes nondum accisae sunt a Romanis aut ab alio populo uictore eoque magnae. Cf. I 29 1: *beatis nunc Arabum inuides gazis.*

2. *diuitis Indiae:* diuites Indi ebore et auro (I 31 6), item margaritis et gemmis; cf. Epl. I 6 6.

3. *caementis:* intellege caementa in profundum maris immissa, ut moles et fundamenta super undas emineant, quibus aedes et turris (*δίαιται ἐνάλιαι*) superstruantur; cf. III 1 34 sqq.

4. *Tyrrhenum omne tuis et mare Ponticum:* hyperbolice loqui uoluit; *mare Ponticum* intellege amoena litora Ponti Euxini prouinciae Asiae proxima, ubi moles et uillae marinae aedificentur. *Ponticum mare* Pontum Euxinum dicit Tacitus poetarum aemulus Germ. 1: *donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat* (Danubius). Recte autem haec optimorum librorum scriptura Acronis auctoritate firmata se habet, male diuersae *Apu-*

si figit adamantinos
summis uerticibus dira Necessitas

clauos, non animum metu,
non mortis laqueis expedies caput.

campestres melius Scythae,
quorum plaustra uagas rite trahunt domos,

uiuunt et rigidi Getae,
inmetata quibus iugera liberas

fruges et Cererem ferunt,
nec cultura placet longior annua,

8. capud *pr B, correctus* caput. 9. cāpestris *A.* scithae *BGH, non A.* 12. Inmetata *BG:* im̄otata *A,* Immetata *Hg.*

licum et *publicum*. Apulicum metro aduersatur et usu reprobatur: *Apulus* enim et nomen substantiuum est et adiectiuum. Lachmannus ad Lucretium I 360 coniecit: *terrenum omne* (= omnes terrae tractus) *tuis et mare publicum* (per se commune omnium, nunc uero priuato usui praeceptum et separatum), uerum, ut hoc unum infelici coniecturae opponam, *caementis* loca maris, non terrae tractus, *occupantur;* cf. III 1 35.

5—7. *si figit — clauos* (*wenn ihre Nägel aus Stahl die grässliche Noths-Herrin oben in die Zinnen einschlägt*)*:* h. e. si uitae tuae finem intueris sub imagine dirae Necessitatis hominem affigentis in uerticibus domus tuae marinae, h. e. si moriendi necessitatem ut diram animo exuere non potes. Imago est hominis clauis affixi, in qua proponenda Horatius respexit, opinor, initium Promethei uincti, qualem Aeschylus praebuit. Cf. I 35 17. Adamantini claui chalybis ferro facti eoque duri et nullo labore remouendi sunt. De producta syllaba *figit* cf. annot. ad I 3 36.

8. *non mortis — caput:* mors quasi laqueis caput obstrinxit eius, qui semper moriendi metu angitur.

9—16. Cum extrema luxuria et mentis sollicitudine paupertas et securitas Scytharum nihil cupientium componitur.

9. *campestres:* qui campos cum gregibus pererrant. Intellegit loca campestria Bastarnarum in septentrionali litore Ponti Euxini porrecta, quibus Danubius a dextra fluit; cf. Prooem.

10. *quorum plaustra — domos:* domos et plaustra iunxit, ut exiguas aediculas Scytharum prae inmensis uillis et arduis turribus Romanorum ostentaret. Aeschylus Prometh. 709: *Σκύθας δ᾽ ἀφίξει νομάδας, οἳ πλεκτὰς στέγας πεδάρσιοι ναίουσ᾽ ἐπ᾽ εὐκύκλοις ὄχοις.*

11. *rigidi Getae:* rigidi terrae suae rigore. Cf. ad IIII 15 22. Mores Getarum ad Danubium agentium Romanis post Crassi expeditionem et cladem illis tunc illatam (Dio LI 26) innotuerant; cf. Prooem.

12. *inmetata — iugera:* tractus terrae in iugera non diuisae aut discretae; *ἅπαξ λεγόμενον* est *inmetata.*

12—13. *liberas fruges:* fruges nullis decumis a populo imperante redimendas; *fruges et Cererem* est *ἓν διὰ δυοῖν* pro *Cereris fruges.*

14. *nec cultura — annua:* idem Caesar obseruauit apud Sueuos BG. IIII 1, sed illos non respexit poeta.

defunctumque laboribus
aequali recreat sorte uicarius.

illic matre carentibus
priuignis mulier temperat innocens,

nec dotata regit uirum
coniunx, nec nitido fidit adultero.

dos est magna parentium
uirtus et metuens alterius uiri

certo foedere castitas,
et peccare nefas aut pretium est mori.

o quisquis uolet inpias

16. sorte recreat *H*. 20. Coniunx *ABHg*: Coniux *G*. 21. parentum *GHg*. 22. deest *A*. 24. precium *BGH*. est *ABGHgω*: om *ς*. 25. *Diomedes p.* 317 *P.*: pronomen finitum uocatiuum habere non potest, quia nemo dicit *o ego*, nisi *o* exclamatio sit, ut apud Horatium *o quis* (quis) *uolet*. impias *mei*.

16. *aequali recreat sorte uicarius:* uicarius dum agri colendi sortem aeque suscipit, otia parat ei qui laboribus annuis ante functus est. Alteram populi partem bella gerere, alteram agros exercere, quod de Sueuis Caesar narrauit, Horatii uerbis non inest. Immo post annuos labores otium annuum sequi dicit.

17—24. Ex hac continentia et securitate gentis Scytharum consequitur fides et castitas mulierum. Quam dum laudat, oblique respicit diuersos mores Romanorum.

17—18. *illic — temperat innocens:* apud Scythas et Getas mulier priuignis sibi commissis sine noxa pocula miscet (*temperat*), non more Romano (Iuuenal. I 69) *molle Calenum porrectura uiro miscet sitiente rubetam*.

19—20. *nec dotata — coniunx:* *dotata* quae magna cum dote deducta est; qua freta in uirum libere dominatur.

20. *nec nitido — adultero:* nec mariti incuriosa spem suam in adultero ponit, ut Romae fieri solebat; cf. III 6 25 sqq.

21—22. *dos est — uirtus:* parentium uirtus, quam refert filia, uiris pro dote magna est.

22—23. *metuens alterius uiri — castitas* (*keusche Treue bangend vor einem neuen Gatten in unauflöslichem Bunde*): castitas illa ab altero uiro abhorret, propterea quod *certo foedere* uni iuncta alterum sperare nequit. Dicit idem, quod Tacitus praedicauit in Germanis 19: *melius quidem adhuc eae ciuitates, in quibus tantum uirgines nubunt et cum spe uotoque uxoris semel transigitur*.

24. *peccare nefas — est mori:* haec non pendent ex uerbis *dos est magna*, sed priora de ineundis conubiis dicta sunt, iam uita *uxorum* refertur; adulterium (*peccare*) pro nefario flagitio habetur et cauetur, sin secus fit, morte multatur. *Nefas* est facinus quo numen diuinum laeditur.

25—64. Regreditur ad Romanos; hi si caedibus et furore ciuium carere uolent, castitas morum restituenda (25—34), cupido pecuniae recidenda (35—52), disciplina militaris fortiter exercenda et praua iuuenum studia abolenda sunt.

caedes et rabiem tollere ciuicam,

si quaeret pater urbium
subscribi statuis, indomitam audeat

refrenare licentiam,
clarus post genitis, quatenus, heu nefas,

uirtutem incolumem odimus,
sublatam ex oculis quaerimus inuidi.

quid tristes querimoniae,
si non supplicio culpa reciditur,

quid leges sine moribus
uanae proficiunt, si neque feruidis

26. cedes *G.* aut rabiem ς. 27. quaeret *ABGHω*, queret *g*: quaerit ς. 29. licenciam *B.* *A ascriptum habet* rl, *quippe omittit u.* 30—64. 30. post genitis *BGHg, uulgo* postgenitis. quatinus *g.* 32. querimus *G.* 33. quaerimoniae *H.* 34. redi tur (*superp. al. man.* ci) *H.*

25—26. *inpias caedes et rabiem — ciuicam:* inpiae caedes, quibus pietas erga parentes fratresque uiolatur, a ciuium rabie tamquam fonte proficiscuntur; de forma *ciuicus* dictum ad II 1 1.

27—28. *si quaeret — statuis:* statuas cogitat post uitam magno uiro ponendas ac praeparat proximum *clarus post genitis;* cf. IIII 8 13—15.

28—29. *indomitam — licentiam:* est licentia stupri et adulterii. Copiosius hoc argumentum persecutus est anno post in Carm. III 6. Perfecisse Augustum quod nunc postulatur, poeta praedicare potuit, cum scripsit Carm. IIII 15 10: *rectum euaganti frena licentiae iniecit.*

30—32. *quatenus — inuidi:* haec accedunt ad declaranda uerba *clarus post genitis.* Vt quis apud eos qui nunc uiuunt ob refrenatam licentiam clarus habeatur, ob liuorem apud nos uigentem sperari uix potest. *Virtutem incolumem* dicit uirtutem eius qui incolumis est et superstes. Quod ut recte possit intellegi, prospectum est proximis uerbis *sublatam ex oculis quaerimus.* Acerbe additur *inuidi* (*wir neidischen*)*:* quippe non uera admiratione uirtutem sublatam prosequimur, sed ut inuidiae aduersus uiuos satisfacere possimus; cf. Epl. II 1 86—89. Meinekius comparauit dictum a Demetrio poeta (Diogen. Laert. V 85, Suidas u. *φθονῶν*) de inuidis: *ζωὸν ἀτιμήσαντες ἀποφθίμενον ποθέουσιν.*

33—36. *quid tristes — uanae proficiunt:* duabus rebus opus est, legibus poenam minitantibus, moribus ciuium praua sponte fugientium.

33. *tristes querimoniae:* non est satis in curia aut in aliis coetibus ore tristi querellas effundere.

34. *supplicio:* poena capitali. Flagitia et scelera sublatis auctoribus punienda suadet.

35—36. *sine moribus uanae:* leges nihil possunt, nisi boni mores ualent ciuesque leges adiuuant. Quod ut planum fieret, memorauit cupidinem quaestus, quae legibus non facile reprimitur.

36—44. In his agnosce semina carminis in hoc libro primi.

36—38. *feruidis — mundi:* zona

pars inclusa caloribus
mundi nec boreae finitimum latus
durataeque solo niues
mercatorem abigunt, horrida callidi
uincunt aequora nauitae,
magnum pauperies obprobrium iubet
quiduis et facere et pati,
uirtutisque uiam deserit arduae?
uel nos in Capitolium,
quo clamor uocat et turba fauentium,
uel nos in mare proximum
gemmas et lapides, aurum et inutile,

42. obpbriũ *BGH*: opprobrium *g*.

calida, in qua quid timendum sit, uerbis *feruidis caloribus* significatur.

39. *durataeque solo niues:* in frigida zona niues solo firmiter inhaerescentes feruidis caloribus torridae e regione respondent.

40—41. *horrida — nauitae:* ut extremas terras adire possit mercator, nautae faciunt, qui suis artibus horrida aequora uincunt.

42—43. *magnum — pati:* si magnum obprobrium pauperies habetur ac quiduis et facere et pati iubet.

44. *uirtutisque — arduae:* dum omnes pecuniae uias persequitur, uirtutis uiam deserit. In fine sententiae non sine pondere *arduae* additur, quod causam deserendi ostendit.

45—50. Luxuriae opes aut in Capitolium ad Iouem Capitolinum deferamus in publicum usum illic reseruandas, aut in mare Tyrrhenum abiciamus, ut temperantiae uirtutem recuperemus.

46. *quo clamor uocat et turba fauentium:* quo haec tendunt? Nimirum natalem carminis peritis ostendunt, mensis Sextilis diem sextum septimumque et octauum anni 725, quo Caesar Octauianus triumphum triplicem duxit. Clamor et turba fauentium militum ciuiumque hunc in Capitolium secuta est ceterosque illuc *uocauit.* Suspicere tandem discas, lector, generosum et liberum poetam, ipsis effusae laetitiae diebus grauibus curis intentum.

48. *gemmas et lapides:* ἓν διὰ δυοῖν pro *gemmarum lapides.*
aurum et inutile: aurum tamquam ceteris perniciosius extremo loco reseruauit, et huic uni aptauit proximum *summi materiem mali,* h. e. quo summum malum paratur. De particula *et* postposita cf. ad Epod. 9 13.

51—52. *Cupidinis praui:* de hac licentia dictum ad II 16 15. Vt uerbis *eradenda — elementa* locus de nimia quaestus cupidine concluditur, sic proximis *et tenerae — studiis* aditus ad commendationem disciplinae magis seuerae paratur.

52—58. *et tenerae nimis — legibus alea:* insunt primordia carminis in hoc libro secundi.

summi materiem mali,
mittamus, scelerum si bene paenitet.

eradenda Cupidinis
praui sunt elementa, et tenerae nimis

mentes asperioribus
formandae studiis. nescit equo rudis

haerere ingenuus puer
uenarique timet, ludere doctior,

seu Graeco iubeas trocho
seu malis uetita legibus alea,

cum periura patris fides
consortem socium fallat et hospites,

50. penitet *Bg*, poenitet *H*. 52. Praui *BGHgω*: Prauae ς. 55. Herere *GH*. 57. greco *BG*. throco *H*. 60. hospites *BHg*ς *Blandinii Acron*: hospitem *G*ς *Porphyrion*.

52—53. *tenerae nimis mentes:* mentes iuuenum nimis effeminatae et molles.

53—54. *asperioribus — studiis:* cursu, equitatione, hasta, omni genere patientiae.

54—55. *nescit equo rudis haerere:* nescit insidere ita ut non delabatur; *rudis* est imperitus, non doctus, quo causa inscitiae notatur.

56. *uenarique timet:* illud nescit, hoc timet, utrumque obprobrium et argumentum tenerae mentis. De uenatione cf. Epl. I 18 45 sqq. *ludere doctior:* de structura cf. ad I 1 18.

57. *seu Graeco iubeas trocho* (ludere): in ludo inutili et puerili a ludentibus Graecis accepto doctior est. Est *κρικηλασία*, quae rotam ferream cum anulis crepitantibus radio siue uirga item ferrea agit. Martialis XIIII 169: *garrulus in laxo cur anulus orbe uagatur? cedat ut argutis obuia turba trochis.*

58. *seu malis — alea:* aut ad inutilem ludum, qualis est trochus, aut adeo ad illicitum inclinat, ut est alea. Alea uetita est edicto praetorio; u. Dig. *de aleatoribus* (XI 5); cf. Cicero Philipp. II 23. Ouidius Trist. II 470. Iunctura *seu iubeas, seu malis* pro *seu iubes, seu mauis* poeticae dictionis est.

59—60. *cum periura — hospites:* ne perdito filio luxuriae materia desit, pater fraudibus indulget. Hoc addidit, quo planum fieret quam male puerorum institutio Romae haberetur. Vt autem in secundo tertii libri carmine *fortitudini* comitem dedit *fidem* (u. 25), sic nunc ignauiam perfidia comitatur.

60. *consortem socium: τὸν μετέχοντα τῶν συμβολαίων (den Geschäftsgenossen)*, illum quocum sociauit *sortem*, h. e. pecuniam suscipiendis negotiis inseruientem et a duobus collatam. Cum *socio* componuntur *hospites*, quos in terris peregrinis nactus est. Illum fallit, quod sortem concredidit, hos, quod parum cognitum habent, cuius hospitio commercioque utantur. Socium unum habet, hospites plures.

indignoque pecuniam
heredi properet. scilicet inprobae
crescunt diuitiae: tamen
curtae nescio quid semper abest rei.

XXV.

Quo me, Bacche, rapis tui
plenum? quae nemora aut quos agor in specus

62. inprobae *B:* impr. *GHg.* 64. curte *H.*

Ymnus ad Liberum patrem ut supra *A.* Liberum patrem inuocat laudes Caesaris dicturus *BH* (*B praemittit* erotice).

Diomedes III 37. 1—2. *Priscianus* VI 14 75 *p.* 713. 1. bache *BGH, non A.* 2. quae — specus *Seruius ad Verg. Aen.* VII 568. aut *ABGHgω:* et *codices Prisciani plures.*

62. *inprobae:* supra modum. Vergilius Georg. I 119: *inprobus anser,* Aen. XII 687: *mons inprobus.*

64. *curtae nescio quid — rei:* rem grauissimam, animum metu et cupidine liberum, ironice uocauit *curtae nescio quid rei* (*so ein bischen*). Genetiuum esse *rei*, non datiuum, bene monuit Nauckius; cf. Serm. I 9 2: *nescio quid nugarum.*

Carm. XXV. Prooemium. *Quo me, Bacche, rapis tui plenum? Quibus in antris laudes Caesaris rebus gestis clari cantabo? Stupens admiratione dicam insigne, recens, adhuc a nemine dictum. Quod ut possim, tua potentia adiuuabit.* (Metrum 5)

Hoc carmen proxime ante tricesimum septimum libri primi, quo uictoriam Actiacam et finem belli Aegyptiaci cecinit, h. e. mense Septembri anni 724 (a. Chr. 30) conditum est, proditque laetitiae impetum, quo captae Alexandriae nuntius Flaccum et omnes Caesaris amicos affecit. Itaque Horatius pocula illa inde a proelio Actiaco sperata (lege epodon 9) aut sumpsit aut hausisse se finxit, et tamquam instinctu Bacchi in longinqua et auia raptus res laetas, modo nuntiatas a Caesare ad Maecenatem et Agrippam urbis et Italiae rebus praepositos, necdum in uulgus notas se celebrare uelle profitetur, praeludens carmini maiori (I 37) iam pangendo. Hinc illud est *dicam insigne, recens, adhuc indictum ore alio.* De more praeludendi dictum est ad I 32.

1—2. *quo — plenum?:* Bacchi plenus et domo iam non coercitus in aperta et auia prorumpit, nescius quo sistere detur. Hinc deum agentem se rogat, quo tendat; cf. II 19 6: *plenoque Bacchi pectore turbidum laetatur.*

2. *quae nemora aut quos agor in specus: quae nemora* scripsit pro *quae in nemora*, quod poetis licet, si praepositio in proximo membro subsequitur, non solum ut uariationi consuleret, sed simul ingratam elisionem uitaret. Cf. Epl. II 1 25: *uel Gabiis uel cum rigidis aequata Sabinis.* Vergil. VI 692: *quas ego te terras et quanta per aequora uectum accipio.* Catullus 33 5: *cur non exilium malasque in oras itis?* Statius Theb. VIII 384: *iamque hos clipeum, iam uertit ad illos.* Nemora arboribus, specus (Klüfte) recessibus poetam raptum e commercio hominum abdituri sunt.

uelox mente noua? quibus
antris egregii Caesaris audiar

aeternum meditans decus
stellis inserere et consilio Iouis?

dicam insigne, recens, adhuc
indictum ore alio. non secus in iugis

exsomnis stupet Euhias,
Hebrum prospiciens et niue candidam

Thracen ac pede barbaro
lustratam Rhodopen, ut mihi deuio

4. cesaris *Gg*. 6. consilio *ABω:* concilio *GHgς*. 8—9. *om A*. 9. euhias *BGg*, euchias *H*. 12. ut *ABGHgω:* ac *ς*.

3. *mente noua:* mirabundus ipse se alterum et mente noua praeditum sentit.

4. *egregii Caesaris:* clari rebus egregie gestis; cf. Prooem.

5. *aeternum — decus:* laudes in aeternum duraturas; cogitat decus proelii Actiaci et captae Alexandriae.

6. *stellis inserere et consilio Iouis:* hoc est ad caelum et ad deos inmortales efferre; consilium Iouis est coetus deorum cum Ioue consiliantium. Infinitiuus *inserere* pendet ex *meditans*.

7—8. *recens, adhuc indictum* (non dictum) *ore alio:* quod recens ad nos perlatum necdum ab alio celebratum est. Epl. I 19 32: *non alio dictum prius ore*.

8—12. *non secus — Rhodopen:* se cum insaniente baccha comparat. Quemadmodum haec dei potentia in loca deuia et alta propulsa omnia noua prospicit et miratur, sic laetanti poetae nunc quaecumque mutata in oculos incurrunt.

8. *in iugis:* ubi iuga montium ascendit (*auf Bergeshöhen*). Ibi noui prospectus comparent.

9. *exsomnis:* ἄϋπνος, somno non indulgens instinctore deo, dum ceteri mortales quiete noctis fruuntur. Bentleius grauiter aberrans *Edonis* substituit, epitheton nomini *iugis* additurus, sed quae iuga dicantur, proxima satis declarant, iuga scilicet Haemi montis, unde aquae fluminis Hebri plurimae (non ipse Hebrus) prorumpunt. Inde prospicitur *Rhodope*, quae Macedonas et Thraces disterminat, prospiciuntur altissimi Thraciae montes (*niue candida Thrace*) et Hebrus maximus Thraciae terrae fluuius. Contra sedes Edonorum in Macedonia fuere inter Axium flumen et Strymonem magno terrarum montiumque interuallo ab Hebro discretae (Strabo VII fragm. 11), quas licet imperite iungat cum Hebro Theocritus VII 111, idem Horatio, qui haec loca ipse adiit, accidere non potuit.

11—12. *pede barbaro lustratam Rhodopen:* montem quem plerumque nonnisi barbarae gentes escendunt atque incolunt; *lustrata* est *peragrata*. Alii *pede barbaro* de thiaso Maenadum Thressarum accipiunt, sed *Euhias* ipsa ex harum numero est et sic locum et suo et suarum pede lustratum stupebit. Immo miratur quod in regiones desertas se delatam sentit.

12—14. *ut mihi deuio ripas et uacuum nemus mirari libet:* baccha Thracia res magnas et mirabiles stupet: poeta deo plenus etiam solitas

ripas et uacuum nemus
mirari libet. o Naiadum potens

baccharumque ualentium
proceras manibus uertere fraxinos,

nil paruum aut humili modo,
nil mortale loquar. dulce periculum est,

o Lenaee, sequi deum
cingentem uiridi tempora pampino.

14. naiadum *BHς*: naidum *AGgς*. 15. Bacharumque *BGHg*, *non A*. 16. fraxinos *ABHgω*: fraxinus *Gς*. 17. 18. Nichil *B*, Nihil *H*. 17. aut] et *G*. humilẽ *A*, humile *g*. 18. est *om ς*. 19. lenee *AGHg*, leneę *B*.

libenter miratur, ueluti *ripas* fluminum, *nemus* frequentia hominum *uacuum;* hoc rara laetitia deique potentia fecit; bene igitur *ripas* nullo epitheto, *nemus* cum epitheto non ornante posuit. Scilicet enumerare uoluit quae deuio in prospectum occurrerent. Incaute Bentleius ex libris interpolatis *ac* pro *ut* adoptauit (cf. Orellius), tum *riuos* pro *ripas* mutauit.

14—18. *o Naiadum — loquar:* iam praesentem Bacchum sentiens intimis precibus hunc affatur et redit ad carmen de Caesare componendum.

14. *Naiadum potens:* Naiades pro uulgari *Nymphae*. In Orphicis hymnis (54 6) poeta Silenum alloquitur: *Ναΐσι καὶ Βάκχαις ἡγούμενε*. Naiades ut nominaret, *riparum* aspectus fecit.

16. *uertere: euertere* interpretantur Acron et Porphyrion, sed uidetur esse *quatere*, h. e. huc illuc uertere.

17. *humili modo: ταπεινῇ ἁρμονίᾳ.* *paruum* pertinet ad res canendas, *humili modo* ad uocem canentis.

18. *dulce periculum: periculum* dicit experimentum, nihil amplius.

19. *o Lenaee:* est exclamatio poetae quasi inuito extorta, dum admiratur. Reliqua non ad deum loquitur, sed ad auditores dirigit. Sic retunde Bentlei haesitationem: 'nam perinde est ac si dixeris, *Dulce est, o Bacche, sequi Bacchum.* Hinc scribendum coniecit *Te, Lenaee, sequi ducem*.

20. *cingentem — tempora:* qui cingit tempora sua. Cf. ad IIII 8 33: *ornatus uiridi tempora pampino.*

XXVI.

Vixi puellis nuper idoneus
et militaui non sine gloria:
nunc arma defunctumque bello
barbiton hic paries habebit,

laeuum marinae qui Veneris latus

Ad Venerem tetracolos. Metr̄ *cet. A.* paranetice ad uenerem *B.* Ad Venerem loquitur quod neque amare neque scribere possit propter aetatem *H.*
1. *Diomedes* III 37. 5. Leuum *BGg.*

Carm. XXVI. Prooemium. *Puellis nuper idoneus iam Amoris arma lyramque bello defunctam in aede Veneris marinae ponenda puto. Tu, Venus, tange semel Chloen arrogantem.* (Metrum Alcaicum)

Hoc poema, quo amori simul et Musae iocosae renuntiat, anno 733 (a. Chr. 21) factum uidetur. Nam cum quartum libri secundi scripsit anno 730, in amorem se iam non multum inclinare professus est (u. 22—24); sub idem tempus in tertii libri oda quarta decima ludum amoris non spreuit quidem, sed omnem inpotentiam uitauit et ardorem iuuentutis cum ea quae iam inualuit securitate composuit. Quibus indiciis hanc oden anno 731 aut proximo ascribendam esse credere possis. Sed templum Veneris *marinae* u. 5 memoratum ostendit hoc poema in litore maris natum esse. Ad mare in urbe Veliae aut Salerni Flaccus uixit per hiemem anni 733, ac *pinguis* inde reuersus est uerno tempore anni 734; lege Prooemium epistulae 4 et 15 libri prioris. Tunc uim amoris defecisse sensit et his uersibus suis concredidit. Post id tempus ludicra canere desiit: nam pauca huius generis, quae per librum quartum dispersa deprehendimus, sunt infirmae reliquiae ueteris ardoris subinde gliscentis ac sero uanescentis. Cum iocis etiam uersus *lyrae sociandos* omittere tunc decreuit; cf. Prooem. Epl. I 1.

1. *puellis — idoneus:* idoneus qui cum puellis iocarer; IIII 1 12: *si torrere iecur quaeris idoneum.* 'Elegans ac nisi fallor uera est Caroli Frankii emendatio *uixi duellis nuper idoneus*'. Meineke. Noli credere. *Puellarum* nomen necessarium erat, ut quod belli genus diceretur manifestum fieret.

2. *militaui non sine gloria:* gloria cum praecipue rebus bellicis paretur, nomen apte nunc transfertur ad militiam amoris. Cf. IIII 1 16: *late signa feret militiae tuae.* Tibullus I 3 82: *illic sit quicumque meos uiolauit amores, optauit lentas et mihi militias.*

3. *arma:* arma quae amator solet adhibere, enumerantur u. 6—8.

3—4. *defunctumque bello barbiton:* cum amore etiam iocosam lyram omissurus est, id quod re uera fecit; lege Prooemium.

5—6. *laeuum marinae — custodit:* aedem illam in litore maris sic positam esse cogita, ut laeuus paries orientem aspiceret, faustam regionem. Venus *marina* uocatur, quod e mari originem ducit (IIII 11 15). Verum

custodit. hic, hic ponite lucida
funalia et uectes et arcus
oppositis foribus minaces.

o quae beatam diua tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia niue,
regina, sublimi flagello
tange Chloen semel arrogantem.

9. tenes] regis ς *unus Blandinius*. 10. Memphin *Hg*, memfin *A*: Menfin *G*, Memphim *B*. sithonia *BH*: sythonia *g*, scythonia *G*, sithononia *A*. 12. cloen *Ag*.

templum Veneris designari, non quod mente sua poeta conceperit, uerba ipsa coarguunt. Quapropter aedem quandam Veneris *Ἀναδυομένης* in litore maris inferi locatam dici puto: in urbe Roma Veneris templum hoc cognomento frustra quaeritur. Conf. Prooem.

6—8. *hic, hic — minaces:* magno cum uigore mandatis instruit cateruam seruorum qui ferunt arma eius, qui nuper non sine gloria militauit.

6—7. *lucida funalia:* faces quibus ad aedes puellarum comissari solitus est; *funale* est funis cera illitus. *uectes:* quibus fores effringuntur. *arcus — minaces:* non ideo minaces, ut fores sagittis transfigantur, quod fieri uix potest, sed ut serui et liberti limen obsidentes inde deturbentur. Bentleius miro acumine coniecit *securesque*.

9—12. Haec quasi *παρ' ὑπόνοιαν* accedunt. Quippe arrogantiam puellae cuiusdam uel nunc obliuisci nondum potest, eoque optat ut Veneris flagello dometur. Illud *παρὰ προσδοκίαν* hinc placet, quod lector preces expectat ad Venerem missas, ut sibi parcere ac pacem dare uelit: pro eo superbiam arrogantis puellae frangi precatur fatendo se prorsus amori renuntiare nondum posse. De Chloe dictum ad I 23.

9. *beatam — Cyprum:* beatam dicit opibus abundantem, unde olim *Macaria* nominata est (Plinius V 35 § 129).

10. *Memphin — niue:* Memphis a frigore atque niue libera numini calenti grata est. Illic a Tyriis conditum est templum *Ἀφροδίτης ξείνης* (Herodot. II 112). *Sithonia:* qualis est apud Sithones ad Strymonem agentes, praecipue in iugis Rhodopes; cf. Strabo VII fragm. 11.

11. *sublimi flagello:* flagello alte elato, quo acrius tangat.

12. *tange — semel:* his significat potentiam deae; quae ubi *semel* tetigerit arrogantem puellam, haec omnem superbiam abiciet. Scite hoc carmen adiunxit proximo, quod sub idem tempus uidetur fecisse: in eo enim aequo animo fert et patitur, puellam adhuc caram in peregrinam terram trans mare proficisci.

XXVII.

Inpios parrae recinentis omen
ducat et praegnans canis aut ab agro

Ad Galateam ypothetice *A*. prosphonetice ad galateam sui non commemorem *B, item H, nisi quod* non esse memorem *habet.*

1. *Diomedes* III 37. Impios *mei.* parre *Bg.* 2. praegnas *A,* pregnans *GHg.*

Carm. XXVII. Prooemium. *In aliam terram iter tibi facienti, Galatea, faustum omen prece suscitabo, sinistra signa quaecumque auertam* (u. 1—16). *Si uero ad transmarinas prouincias abire uoles, ipsa uides et a me discere potes, quanto cum periculo hoc anni tempore nauigetur* (u. 17—20). *Verum ego deos rogo, ut haec mala hostibus accidant, te non attingant* (u. 21—24). *Sic quod esse periculosum uidetur, inde fortasse egregia commoda tibi parabuntur, ut olim euenit Europae tauri tergo in Cretam auectae* (u. 25—76). (Metrum Sapphicum)

Postremam sententiam in argumento a me positam Horatius ipse non elocutus est, sed lyrice significauit enarratis Europae casibus. Quod episodium ut nobis liberius attextum uideatur, hinc fit quod ludendi occasionem ignoramus. Hanc ego talem fuisse coniecerim: Galatea, a lacteis brachiis ceruiceque candida nominata, olim Horatio cara, iam uirum diuitem in itinere comitari uoluit. Iter illud aut in *Cretam* insulam dirigebatur aut a uiro e familia *Taurorum* orto suscipiebatur. Alterum ut coniciam, faciunt uerba (u. 25): *sic et Europe niueum doloso credidit tauro latus* (ut tu Taurum sequi animum induxisti).

Ode composita uidetur paulo ante quam proxime superior (a. 733 = 21); cf. ad III 26 12.

1—2. *inpios — ducat:* bona omina abeunti Galateae precaturus initium sumit a contrariis inpiorum auspiciis, quo ipsam puellam in numero piorum reposuit. Parram recinentem malum omen esse hinc liquet, sed quae sit auis incertum est. *Noctuarum* generi falso adnumerari uel Plinii uerba ostendent NH. XVIII 69 (29) § 292: *auem parram oriente Sirio ipso die non apparere, donec occidat;* X 45 (c. 29): *oenanthe* (= parra) *quidem etiam statos latebrae dies habet, exoriente Sirio occultata; ab occasu eiusdem prodit, quod miremur, ipsis diebus utrumque.* Plautus Asinar. II 1 12: *picus* [*et*] *cornix est ab laeua, coruus parra ab dextera.* Quae nunc parra uocatur, transatlantica auis est. Hoc ex Horatii uerbis certe colligi uidetur, quemcumque cantum parrae mali ominis fuisse, quamuis Plautus harum rerum minus curiosus contrarium docere uideatur.

2. *praegnans canis:* ut in alea *canis* est iactus infelix, sic etiam in ominibus (Plaut. Casin. V 4 4), sed peius omen grauida canis est et molimine incessus et ingrata specie, item mox *feta uulpes*, h. e. quae fetum concepit. Plinius de cornice X 14 (12): *sola haec etiam uolantes pullos aliquamdiu pascit, inauspicatissima fetus tempore, h. e. post solstitium.*

2—3. *ab agro — Lanuuino:* cur lupa raua ab agro Lanuuino decurrere dicitur? Scilicet iter fieri in regina uiarum Appia meridiem uersus cogitat. Sic eunti a dextra atque occidente est lupa ab agro Lanuuino decurrens, h. e. ab ea parte, quae ex

raua decurrens lupa Lanuuino
fetaque uulpes;

rumpat et serpens iter institutum,
si per obliquum similis sagittae
terruit mannos: ego cui timebo
prouidus auspex,

antequam stantis repetat paludes
imbrium diuina auis imminentum,
oscinem coruum prece suscitabo
solis ab ortu.

sis licet felix ubicumque mauis,

4. Faetaque *H*, Paestaque *unus Blandinius*, Fertaque *alius Blandinius*. uulpes *g ut ceteri*. 5. Rumpat *ABGHgωΣ*: Rumpit *pauci*. 7. cui *Agς u. Blandinius*: cur *alter Bland.*, quid *BGHω tertius Bland.* 9. stantis *A*: stantes *BGHg*. 10. imminentum *Hω*: inminentiū (mi *ead. m. ascriptum*) *B*, iminentiū *A*, īminentium *g*, imminentiū *G*.

augurum Romanorum lege infausta erat. Plinius NH. II 55 (54): *laeua prospera existimantur, quoniam laeua parte mundi ortus.*

3. *raua* (*fahl*): 'rauus color dicitur niger mixtus cum fuluo'. Acron.

5—7. *rumpat — mannos*: insolitam peritiam artis auguralis ostentat, quippe grauis auctor abeunti puellae futurus. Hanc artem hausisse uidetur apud amicum suum Licinium Murenam qui in augurum collegio fuit (III 19 11). Illud *iter institutum* intellege *inpiorum*. Cum in eo sunt manni ut progrediantur, serpens per obliquum allapsus et sagittae similis illos terreat. Opponit Bentleius: 'atqui hoc prorsus contrarium est illi, quod iam praecesserat. Bene enim erit impiis, si rumpant iter infauste susceptum'. At uero rumpi uiam, omnibus ad id praeparatis, hoc ipsum incommodum est. De tali casu nunc loquitur, ac ne quid simile eueniat Galateae, optauit.

7. *mannos* (*die Zelter*): 'manni equi dicuntur pusilli, quos uulgo burdos uocant'. Porphyrion. Burdus sine burdo ex equo et asina nascitur; Isidorus Orig. XII 1 61, cui (§ 55) tamen *mannus equus breuior, quem uulgo buricum uocant.* Conf. Epod. 4 14, Epl. I 7 77.

7—12. *ego cui timebo — solis ab ortu*: quae dixi mala signa et incommoda, haec inpiis iter facturis eueniant: tibi autem ne quid eiusmodi accidat, ego operam dabo. Etiam hic poeta artem iactat et scientiam probat.

8. *prouidus auspex*: qui prouidus auspicia seruare solet.

9—10. *antequam — imminentum*: dicit *cornicem*, imbrium imminentium praenuntiam (= *diuinam*). Plinius NH. XVIII 87 (c. 35): *et cum terrestres uolucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes sese, sed maxime cornix* (*hiemem praesagiunt*). Aratus Diosem. 217. Vergilius Georg. I 388: *tum cornix plena pluuiam uocat inproba uoce, et sola in sicca secum spatiatur arena.* Idem mox (u. 16) *uaga cornix* indicat.

11. *oscinem coruum — suscitabo*: suscitabo coruum qui cantu faustum et contrarium cornici auspicium edat: 'Ab ortu solis prospera corui omina sunt, aduersa ab occasu'. Acron. Liuius X 40. Plinius NH. X 15 12: *pessima eorum significatio, cum glutiunt uocem uelut strangu-*

et memor nostri, Galatea, uiuas;
teque nec laeuus uetat ire picus
nec uaga cornix.

sed uides quanto trepidet tumultu
pronus Orion. ego quid sit ater
Hadriae noui sinus et quid albus
peccet Iapyx.

hostium uxores puerique caecos
sentiant motus orientis austri et
aequoris nigri fremitum et trementis
uerbere ripas.

14. galatea *A:* galathea *BGHg.* 15. leuōs *A,* leuus *BGHg.* petet *A.* 17. quanto *om G.* trepid§ (*h. e.* trepidet *ut in ceteris libris, non* trepidat, *quod narrant*) *A.* 18. horion *H.* 20. iapix *BGH.* 21. cecos *BGg.* 22. Sentiant *BSgω,* Senciant *H:* sentient *A.* 23. trementis *A:* trementes *BGHg.*

lati. Idem X 22 (19): *nunc de secundo genere dicamus, quod in duas diuiditur species, oscines et alites; illarum generi cantus oris, his magnitudo differentiam dedit.*

13—16. Postquam fausta auspicia procurare se uelle ostendit, ipse abeuntem bonis uotis prosequitur.

13. *ubicumque mauis* (esse): iter puellae destinatum esse et certum resciuit neque dissuasit aut per ambages retinere illam conatus est, ut crediderunt interpretes, in his etiam Bentleius.

14. *Galatea:* hoc uno loco memorata est. Per occasionem neque longius eam uidetur amasse.

15. *laeuus — picus:* laeuus nunc est *infaustus*, ad Graecorum auspicandi morem.

17—24. Iturae trans mare puellae nouos metus ostendit, quos tamen suis uotis compescere et amoliri studet (21—24).

18. *pronus Orion:* cum occidere uult; cf. ad I 28 21.

18—19. *ater Hadriae — sinus:* est sinus maris Hadriatici, quem Galatea in Achaiam iter faciens a Brundisino portu permeandum habebat. Ille non semper ater est, sed cum tempestate turbatur et tenebris occupatur, quod saepe accidere solet; cf. III 3 5, 9 23.

19—20. *quid albus peccet Iapyx:* uel uentus alioqui fauens nauigantibus et sereno caelo spirans (*albus* ut I 7 15 *albus notus*, III 7 1 *candidi fauonii*), qualis praedicatur *Iapyx* I 3 4, interdum peccat, id quod periti iudicare possunt.

21—24. Cur hoc imprecatur hostium uxoribus puerisque fortasse innoxiis? Quippe antiquam ideam secutus iram deorum aliquo piaculo mitigandam esse censet.

21. *caecos:* non prouisos et praeter expectationem superuenientes; cf. II 13 16: *caeca — fata.* *orientis austri:* subito flare coeptantis. Vergilius Eclog. 5 82: *uenientis sibilus austri;* Aen. III 481: *surgentis demoror austros.*

23. *aequoris nigri:* nigrum fit tenebris ac tempestate. *trementis uerbere ripas:* aequoris impulsu percussas ita, ut tremant; Vergil. Ecl. 5 83: *nec percussa iuuant fluctu tam litora.* Bentleius *gementes* mutari suasit.

24. *ripas:* perinde ut hoc loco *ripam* pro litore maris dicit II 18 22.

sic et Europe niueum doloso
credidit tauro latus, et scatentem
beluis pontum mediasque fraudes
palluit audax.

nuper in pratis studiosa florum et
debitae Nymphis opifex coronae
nocte sublustri nihil astra praeter
uidit et undas.

quae simul centum tetigit potentem
oppidis Creten, ‘pater, o relictum

ł n
25—28. *Eutychius* II 15. 25. europe *A*, europę *B*.
30—31. *interpr. Vergil. Veron. Aen.* VIIII 373 *et Seruius ibidem*.
30. nimphis *AGH*. 31. nichil *B*. preter *GH*. 34. cretã *G*.
creten ã p̄r ore lectũ *A*.

25—76. Subsequitur longum episodium, de quo dixi in Prooemio. Hoc scite attemperatum est cetero carminis argumento. Nimirum ut Horatius Galateae sibi carae iter propositum non dissuasit neque abire cupientem detinere uoluit, sic proposito Europes exemplo uaria puellae ad exteros abeuntis pericula et timores exequitur, sed addito felice itineris exitu tantum abest ut Galateam a simili incepto dehortetur, ut animum ei fecisse uideatur.

25. *Europe:* Europae fata breuiter memorat Homerus Il. *Ξ* 321, ex Hesiodo et Bacchylide narrat scholiasta Venet. ad Il. *M* 307; cf. Moschi idyll. 2, Ouidius Metam. II 836, alii. In tabulis pictis per Italiam repertis res saepius repraesentatur.

25—26. *doloso credidit tauro:* cf. Prooem.

26—28. *et scatentem — palluit: et* in sententiae nouae principio positum nouum aut rarum notat (*und da, καὶ δή*). Sine causa Bentleius *at* coniecit. *pallere pontum* est cum pallore pontum uidere. Epl. I 3 10: *Pindarici fontis qui non expalluit haustus*. Imitati sunt Persius I 124 et Silius I 101.

27. *mediasque fraudes:* in quas ita inciderat ut undique ab iis irretitam se uideret. ‘non fraudes medias sed in medio dolo cognitas’. Acron.

28. *audax:* audax uocatur quod ascendit taurum. Bene compositum *audax* et *palluit*.

29—32. Breuiter et lyrice raptum narrat componens contraria.

30. *debitae — coronae:* coronam curiose serebat (*opifex*), quam Nymphis uouerat. *Nymphis* pendere ex *debitae* collocatio uerborum monstrat.

31. *nocte sublustri:* magis horridum discrimen, quod tempore noctis sublustris, h. e. astris tantum collucentis, mare permeabat.

31—32. *nihil astra praeter — et undas:* Mosch. u. 129: ἀλλ' ἀὴρ ὕπερθεν, ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων.

33—36. Cretam cum uenit, taurum aliquantisper abisse poeta finxit; interea in querellas Europe effunditur. Hac uia omne lubricum Horatius uitauit.

33—34. *centum — potentem oppidis:* Hom. Il. *B* 649: Κρήτην ἑκα-

filiae nomen pietasque', dixit
uicta furore.

'unde quo ueni? leuis una mors est
uirginum culpae. uigilansne ploro
turpe commissum, an uitiis carentem
ludit imago

uana, quae porta fugiens eburna
somnium ducit? meliusne fluctus
ire per longos fuit, an recentes
carpere flores?

siquis infamem mihi nunc iuuencum
dedat iratae, lacerare ferro et

38. culpas *A*. euigilans ne *G*. 39. uiciis *BGH*. 41. Vana, quae] Vanaq, *A*. 42. adducit *H*. 46. et *om H*.

τόμπολιν. Adde Odyss. τ 174. Epod. 9 29: *centum nobilem Cretam urbibus*.

34. *pater:* hoc nomen ut elocuta est Europe, subito meminit quantam iniuriam patri intulerit.

34—35. *relictum filiae nomen pietasque:* 'pro a filia relictum'. Porphyrion. Oblitam se paterni nominis et amoris erga parentem accusat. Alii *filiae* genetiuum esse censent.

36. *uicta furore: furor* est *μανία,* quam nos *Tobsucht* dicere solemus. Sic poeta uocat animum commotum puellae uix auribus oculisque competentis. Alii *furorem* insanum coeptum conscensi tauri dici credunt, ut *uicta* referatur ad uocabulum *pietasque*.

37. *unde quo ueni?:* asyndeton conuenit commoto loquentis animo; *πόθεν ποῖ* Graeci dicunt.

37—38. *leuis una mors est uirginum culpae:* parum est una morte nec pluribus plecti uirginem, cui uitium infertur.

38—42. *uigilansne — ducit?:* postquam aliquamdiu questa est, solatii causa cogitat, num forte somnio ludatur, sed statim hoc solatium abicit.

39. *turpe commissum, an uitiis carentem:* turpe commissum est quod tauro se credidit patremque reliquit, *uitiis carentem* ualet idem quod *innoxiam*. Quamcumque cogitationem quasi uirum iam experta sit, procul amoueas, ut remouit uerecundus poeta et castus. Hoc non cauens *vitio* coniecit Bentleius.

41. *porta fugiens eburna:* haec falsa somnia ostendit, cornea uera, ut decernit Homerus Odyss. τ 562 sqq. Cf. Vergil. Aen. VI 894.

42—44. *meliusne—flores?:* quaerit, ut solent irati, quod ipsi minime dubium est.

43—44. *recentes carpere flores:* remanere in pratis florum studiosa.

45—48. Omnes uias irarum perrans iam in auctorem itineris et mali causam inuehitur.

45. *infamem:* qui infamiae causa mihi extitit; actiua uocabuli uis poetici sermonis est. Aliter Orellius: 'detestandum propter hoc ipsum, quod pudorem mihi erepturus est'.

frangere enitar modo multum amati
cornua monstri.

inpudens liqui patrios penates,
inpudens Orcum moror. o deorum
siquis haec audis, utinam inter errem
nuda leones.

antequam turpis macies decentis
occupet malas, teneraeque sucus
defluat praedae, speciosa quaero
pascere tigres.

"uilis Europe", pater urget absens,
"quid mori cessas? potes hac ab orno

48. monstri *AGHgς Blandinii:* tauri *Bς.* 49. Inpudens *BG:* Imp. *AHg.* 50. Inpudens *G:* Imp. *ABHg.* 51. if *H.* 53. decentis *A:* decentes *BGHg.* 54. sucus *ABGHg.* 55. Defluat *BGHω:* defluit *Ag.* predae *BGH.* quero *G.* 56. tygres *BG.* 57. europe *G pr Bg:* europę *AH corr B Blandinii.* urget *AGHg:* urguet *B.* 58. abhorno *G.*

49—52. A tauro rursus ad propriam culpam relabitur.

49—50. *inpudens — moror:* inpudentia fuit, quod patriam domum reliqui, inpudentia est, quod non statim morior. Egregie tempora mutantur *liqui* et mox *moror.*

50. Moriendi consilium non sine ope diuina exequi se posse sentiens hanc implorat.

52. *nuda:* ut sine mora praeda fieri possim.

53—56. Est ὀξύμωρον desperantis; pulchra puella deformitatem corporis adeo perhorrescit, ut statim confici quam paulatim interire praeoptet, sed hoc ita eloquitur, quasi feris bonam praedam et pingues dapes praeripi nolit.

53—54. *antequam — malas:* in malis siue genis praecipua pars formae. Sophocles Ant. 791 de Amore: ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις.

54—55. *teneraeque — praedae:* corpus exsangue deprecatur; in eo suci cum defluxere, pro tenera iuuenta senectus arida et horrida incessit.

55. *speciosa:* corporis specie nondum orbata.

57—66. Mortem etiam pater unum mali solatium mihi suadet. Patris absentis obprobria quae ipsa cogitat, exequitur. Egregiam uarietatem et eximium uigorem carmini conciliauit poeta, dum longiori orationi puellae nouam paternam intexit. Haec incipit a uocabulo *uilis:* uulgo distinguunt: *uilis Europe, pater urget absens: quid mori cessas?*

57. *uilis Europe* (φαύλη Εὐρώπη)*:* ob turpe commissum iam nullius pretii; *urget:* grauibus uerbis instat.

58—63. Saeuus pater quem cogitat Europe duas moriendi uias ostendit; aut suspendio aut se praecipitando mori posse dicit.

58—60. Adest ornus, adest zona, quae felici casu (*bene*) te secuta est.

pendulum zona bene te secuta
laedere collum.

siue te rupes et acuta leto
saxa delectant, age te procellae
crede ueloci, nisi erile mauis
carpere pensum

regius sanguis, dominaeque tradi
barbarae paelex". aderat querenti
perfidum ridens Venus et remisso
filius arcu.

mox ubi lusit satis, 'abstineto'
dixit 'irarum calidaeque rixae,

60. Laedere *AHω*, Ledere *BGg:* elidere *codex cardinalis Rainutii et unus Vaticanus, si uerum prodidit Lambinus.* 61. ī rupes *A.* laeto *GH.* 62. delectent *B* (*non A, ut dicit Orellius*). 63. erile *ABH.* herile *G corr g.* 66. Barbare *H.* paelex (*sic*) *A:* pelex *BGHgω*, pellex´ *edd.* querenti *H.* 67. uenusto *superposito ead. m.* remisso *A.* 69—70. mox — irarum *Priscianus* VIII 2 9, mox — rixae *idem* XVIII 24 192. 69. luxit *pr A.* 70. callidaeque *A*, calideque *Hg.*

59. *pendulum:* ut collum pendeat ab orno.

60. *laedere collum:* noue, sed ad morem poetarum, simplex dedit uerbum pro composito (*elidere*). Traditam scripturam post Bentleium inprobauit Lachmannus ad Lucret. V 1001 p. 324, *elidere* commendans.

61—62. *acuta leto saxa:* datiuus *leto* pendet ab *acuta*, ut ostendit uerborum collocatio; acuta sunt ad letum inferendum. *Saxa* (*Steinspitzen*) intellege solo extantia quibus illidatur, cum se praecipitem dedit, *rupes* (*Felsklippen*) quas ascendat ante casum.

62—63. *procellae — ueloci:* procellam non dixit tempestatem, sed nisus se praecipitantis.

63—66. Viua lanam carpes ad arbitrium herae, aut paelicem te domina barbara uexabit.

65—66. *dominaeque — barbarae:* ut barbara erit inhumana, ut aemula aduersus paelicem saeua; cf. Iuuenalis II 57: *horrida quale facit residens in codice paelex.*

66—69. Grata uicissitudine orationem sequitur narratio, mox rursus oratio Veneris.

66—68. *aderat — arcu:* caste his significauit poeta quae Europae ab Ioue instent.

67. *perfidum* (*schelmisch*) *ridens:* perfidia pertinet ad ficta uerba, quibus puellam *lusit;* de structura cf. ad I 22 23.

67—68. *remisso — arcu:* nimirum Iuppiter amoris ui iam percussus est; arcus suum munus iam peregit.

69. *ubi lusit satis:* ioca ad Europam dicta reticuit poeta, ne dignitatis iacturam faceret. Post lusus ueram animi sententiam dea prolocuta est.

69—70. *abstineto — irarum:* loquitur ac iussa dat ut domina. Structura Graeca est pro *abstineto ab iris.* Minus nouum est *abstinens — pecuniae*, quod habemus IIII 9 37; cf. ad II 9 17. Calida rixa est quae a calido animo proficiscitur.

cum tibi inuisus laceranda reddet
cornua taurus.

uxor inuicti Iouis esse nescis?
mitte singultus, bene ferre magnam
disce fortunam: tua sectus orbis
nomina ducet'.

XXVIII.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? prome reconditum

71. reddit *Aς*.

De (*pro* ad) Lyden paranetice de Neptunalibus. Metr̄ *cet. ut* III 19 *A*. Syllogistice lydae *B*. Sillogustice Lidae *H*.
1. *Diomedes* III 37. 2. promere ɔditū (= prome reconditum) *A pr H*.

71—72. *cum tibi — taurus:* mox redibit taurus et tibi copiam dabit faciendi quae modo optasti.

73. *uxor — nescis?:* breui quaestione grauissimam consolationem eloquitur, aperiendo illam *uxorem* iam esse, neque uirginitati cur timeat aut malam conditionem horrescat, ullam causam adesse. Structura Graeca est, h. e. nominatiuus pro accusatiuo iunctus infinitiuo. *inuicti:* qui uinci nequit, cui omnia parere debent.

75. *sectus orbis:* orbis ab Asia mari dissectus. Sic IIII 4 61 *secto* (corpore) est pro *resecto*.

75—76. *tua — nomina:* poetice pro *tuum nomen;* IIII 2 4: *daturus nomina ponto*. Ouidius Trist. I 1 89: *Icarus Icariis nomina fecit aquis*.

Carm. XXVIII. Prooemium. *Ne cunctare, Lyde, ueterem amphoram depromere festo Neptuni die. Potando et cantando deum celebrabimus.* (Metrum 5)

Carmen festo Neptuni die compositum esse fingitur. Neptunalia a. d. X. kalendas Augusti mensis, h. e. die 23 Iulii acta esse in kalendariis ueterum notatum legimus; cf. Gruteri Inscript. p. 133 et 138 cet. Paulus ex Festo: *Vmbrae uocantur Neptunalibus casae frondeae pro tabernaculis.* Obiter *Neptunalia* referuntur a Varrone (LL. VI 19), Prisciano (V 10 55), *Neptunales ludi* a Tertulliano (de Spectaculis c. 6). Rauenatium NEPTVMNALIA memorat titulus apud Gruterum p. 460 3, Comensium siue Noui Comi NEPTVNALIA ibidem p. 376 5. Horatiani carminis occasionem quamquam certius definire nequeo, hoc tamen probabili coniectura credere licebit, proximis annis post uictoriam Actiacam (723 = 31) hoc poema natum esse. Nam postquam apud Actium fauorem Neptuni Caesar Octauianus expertus est, anno proximo 724 uel 725 ludi Neptunales maiore cura et gaudio haud dubie celebrati sunt. Tali occasione hoc carmen Horatius uidetur edidisse, ut publicam laetitiam et testaretur et comprobaret. Incerta sunt quae narrantur de Neptunalibus alteris.

1—2. *festo — faciam?:* nonnulla uerba iam fecit cum amica praesente; ideo huic clarum esse debuit quod his uerbis quaesiuit Horatius: sed ut legentes idem intellegerent, adiectis proximis uerbis (u. 2—5) prospectum est.

Lyde strenua Caecubum,
munitaeque adhibe uim sapientiae.

inclinare meridiem
sentis, et ueluti stet uolucris dies,

parcis deripere horreo
cessantem Bibuli consulis amphoram.

nos cantabimus in uicem
Neptunum et uiridis Nereidum comas,

3. Lide *H*. cecubum *BG*. 6. et *A* (*scribit* >) *Ggς duo Blandinii:* ac *BHω*. ueluti *AGHω duo Blandinii:* uelut *Bgς*. 7. deripere *ABg* (*g scribit* deripe, *h. e.* deripere) *ω Blandinii:* diripere *GHς*. 9. in uicem *Bω*, inuicē *g:* in uices *AGHς*. 10. uiridis *A:* uirides *BGHg*.

2—3. *prome — Caecubum*: ut Lyde facilius obsequatur, rerum Horatii arbitrium exercere et pretiosissimum uinum ex horreo promere iubetur. De Caecubo cf. ad I 20 9.

4. *munitaeque — sapientiae:* Lyde non describitur ut altera Damalis, quae uiros potando praecurreret (I 36 13), sed moderata et ob hanc uirtutem *sapientiae* retinens. Quae sapientia cum non facile expugnari et statu suo moueri possit, *munita* uocatur.

5—8. Dies mox occidet, tu tamen cunctaris (*parcis*) ex horreo uinario depromere ueteris uini amphoram et hoc festo dignam.

5—6. *inclinare meridiem sentis* (*dass der Mittag zur Neige geht, merkst du*): inclinat meridies in occasum. Ipsam puellam testem facit rei, quae sibi grauis uidetur.

6. *et ueluti stet uolucris dies:* contraria *stet* et *uolucris* scite composita sunt, item mox *deripere* et *cessantem*. Particula *et* est pro *et tamen;* cf. ad Epl. II 1 53.

7. *deripere horreo: horreum* dicit aut apothecam uini in domo sua aut in aedibus Sulpiciis (cf. IIII 12 18). Hoc alterum si poeta cogitauit, uoluit ut Lyde seruum mitteret, qui amphoram ex horreis Sulpiciis afferret. *Deripiendi* uerbum graphice positum: nam uetus amphora in horreo altius posita inde *descendere* debet ad bibentes; cf. III 21 6: *descende* (pia testa).

8. *cessantem Bibuli consulis amphoram:* amphoram consule Bibulo (a. 695) repositam breuiter amphoram Bibuli consulis uocauit. A Bibuli consulatu usque ad annum 725 triginta anni colliguntur. Bibulum consulem, non collegam eius Iulium Caesarem, nominauit, quod ille semel, hic saepius consul fuit. *Bibulum* consulem et *cessantem* amphoram facete composuit. *cessantem:* cessat non arcessita a puella.

9. *nos cantabimus in uicem* (*im Wechselgesange*): de se dicit *nos cantabimus*, perinde ut III 5 1 *credidimus; in uicem* est *ut uices fiant.* Nonnulli falso interpretantur 'ego ac tu cantabimus carmine amoebaeo'. Scilicet mulier Neptunum iuste laudare non potest. Itaque diei festi numen ac maris Nymphas ipse cantabit, Lyde alia sibique conuenientia dicet, quae statim referuntur.

tu curua recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae:

summo carmine, quae Cnidon
fulgentisque tenet Cycladas et Paphum

iunctis uisit oloribus,
dicetur, merita Nox quoque nenia.

12. cinthiae *BH*. 13. cnidon *Aς*: gnidon *BHgς*, gnydon *G*. 14. fulgentisque *A*, Fulgentisque *superposito al. m.* uel e *B*, Fugentisque *g*: Fulgentesque *GH*. cicladas *BH*. paphū *ABGHς*: paphon *gς*. 15. holoribus *G*. 16. Ducetur *H*.

11—15. Neque tu cantu abstinebis, sed Latonam et Dianam laudabis.

11. *tu curua recines lyra: tu* respondet proximo *nos* (= *ego*); Hauptius *tum* coniecturam Lachmanni intulit; *recines* est 'pro tua parte canes'. Ceterum cf. I 10 6: *curuae lyrae parentem*.

13—16. *summo carmine — dicetur:* Venus summo, h. e. extremo carmine ab utroque dicetur. Amantium canticum cum Paphia desinere decet. De Cnido cf. I 30 1. Catullus 36 13: *quaeque Ancona Cnidumque arundinosam colis*.

14. *fulgentisque:* nitent calcis saxo et marmore; cf. I 14 19. *Paphum:* urbem patriam Veneris. Ad hanc ut ex Cycladibus uel Cnido Cariae oppido peruenire possit, curru alato utitur.

16. *dicetur, merita Nox quoque nenia:* postremis uerbis quae restent amantibus, caste poeta significauit. Nenia h. l. est pro *cantilena;* sic etiam Epl. I 1 63: *puerorum nenia*. Tres unius carminis alterni partes erunt: primum Flaccus cantabit Neptunum et Nereides, tum Lyde Latonam et Dianam, postremum iuncto carmine Venerem et Noctem uterque celebrabit.

XXVIIII.

Tyrrhena regum progenies, tibi
non ante uerso lene merum cado
cum flore, Maecenas, rosarum et
pressa tuis balanus capillis

Ad Maecenatem paranetice. Metr̄ *cet. A.* prosphonetice uel paranetice Mecenati *BH.*
1. *Diomedes* III 37. Tyrrhena *B:* Tyrrena *AH*, yrrena *G.* proienies *H.* 2. uerso *BGgω Commentator Cruquii:* uersum *Hς Acron.* uerso lene] ūsū leη *A.* 3. mecenas *BGH*, *non A.*

Carm. XXVIIII. Prooemium. *Sine mora in meam uillam ueni, Maecenas, omissis curis et copia urbis. Vices placent diuitibus, mundae pauperum cenae sollicitudinem pellunt, solis aestus ruri facillime toleratur. Tu de futuro ciuitatis statu cogitas, urbi sollicitus moderaris, res externas times. Verum futura deus obscura mortalibus esse uoluit. Quod adest memento componere, ut aequum est: remota et externa regere non potes. Sine cupidine et metu aget qui memoria uitae peractae fretus aduersus futura securus est. Graues Fortunae casus continentia et uirtute tolerandi sunt.* (Metrum Alcaicum)

Carmen cecinit auctor mense Iulio anni 725 (a. Chr. 29) proxime ante reditum Caesaris Octauiani, cum Maecenas et Agrippa statum urbis et Italiae moderarentur (cf. u. 25—28). Discordia Parthorum et inimicitiae Prahatis ac Tiridatis, de quibus principio anni 725 in urbem relatum erat (cf. ad III 8), uersu 27 et 28 significantur, aestatis tempus et mensis Iulii dies u. 17—20 indicantur. Poëmatis faciendi occasionem hanc cogita. Poeta compertum habebat amicum Maecenatem uariis curis agitari, diu noctuque animo uoluere, quid faciendum sit, ubi Caesar in urbem redierit, qua forma imperii ciues regendi, qua ratione prouinciae coercendae et ab externa ui tutandae essent. Quibus cogitationibus ne nimis teneretur animus amici, Horatius hoc ad illum poema misit eique suasit, ut urbana negotia deuersorio ruris molliret, futuri temporis curam deo committeret, praeteritae uitae gratam memoriam seruaret, aduersum casus et pericula mentem roboraret. In grauissimis pulcherrimisque poematis hoc referendum esse et grauitas argumenti et lumina sententiarum ac laetiores flores elocutionis docent. Huic carmini multis partibus simile et tamquam e regione positum est nonum libri primi, ad Thaliarchum (Proculeium affinem Maecenati) in simili causa conscriptum.

1—12. In uillam suam Sabinam inuitat Maecenatem in urbe tunc degentem. Horatii seruum ex Sabinis Romam ad amicum mitti cum nouo poemate cogites.

1. *Tyrrhena regum progenies:* certum consilium huic allocutioni subesse monui ad I 1 1.

1—5. *tibi — iam dudum apud me est:* iam diu te expectat quicquid ad lautam compotationem requiritur, uinum annis lene ac de integro cado (*non ante uerso*) sumptum ideoque nihil temptatum aut corruptum, flos rosarum, unguentum egregium (*pressa tuis balanus capillis*). Pressa balanus est pro oleo myrobalano ex glande arboris Arabicae presso. Plinius XII

iam dudum apud me est. eripe te morae,
nec semper udum Tibur et Aesulae
decliue contempleris aruum et
Telegoni iuga parricidae.

fastidiosam desere copiam et
molem propinquam nubibus arduis:
omitte mirari beatae
fumum et opes strepitumque Romae.

6. Nec *AHg Parisinus* 7900: Ne *Bω*, Non *Gς*. tybur *BG*. aesulae (*sic*) *A*: esulae *GH*, effulae *B*, effule *g*. 8. te . legoni . iura . parricidae (*puncta sunt notae metricae*) *A*. Telegonis *H*.

46 (21): *myrobalanum Troglodytis et Thebaidi et Arabiae quae Iudaeam ab Aegypto disterminat, commune est, nascens unguento, ut ipso nomine apparet.*

5. *eripe te morae:* quaecumque te in urbe morantur, his eripe te. Cf. IIII 12 25: *pone moras et studium lucri.*

6—7. *nec semper udum Tibur — contempleris aruum:* Maecenatem Romae detinere possunt aut curae ciuiles, quibus ut se subtrahat, hortatur poeta, aut gratus aspectus, quo fruebatur in Esquiliis: inde enim Tibur et agrum Aesulanum et Tusculum, amoena loca, prospiciebat. Strabo V 3 § 11: ἐν ὄψει δ' εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρά τε καὶ Πραίνεστος καὶ Τοῦσκλον. Idem nostrates certatim narrant. Itaque uere *nec* in bonis libris scribitur, cui in plerisque *ne* substitutum est. Lachmannus (Mus. Rhen. nou. III p. 616) *hic* coniecit receptum ab Hauptio, *ut* N. Hardinge, utrumque non aptum. Nam illud ridiculam promissionem Horatio, hoc ineptum laborem Maecenati tribuit. Illud nunc non quaero, sed simul non credo, ex Horatii uilla in recessu uallis sita Tibur et Tusculum prospici potuisse. Omnes certe qui in illis locis adfuerunt, contrarium affirmant.

6. *nec semper udum* (*das immer feuchte*) *Tibur:* uoculam *semper* iungere noli, ut uulgo fit, cum uerbo *contempleris:* nam minime timendum erat, ne Maecenas grauissimis negotiis tunc occupatus *semper* contemplaretur urbem Tiburtinam ac uicinas huic ciuitates. Immo iunge *semper udum*, ut Epod. 17 66: *benignae semper dapis;* Epl. I 2 56 *semper auarus*, 18 98 *semper inops — Cupido:* Tibur udum est omni tempore salientibus aquis Anienis fluuii et riuis inde deductis; cf. I 7 14.

6—7. *Aesulae decliue — aruum:* 'nomen urbis alterius in latere montis constitutae'. Acron. Incaute haec scripta sunt: nam Horatius nihil nisi *aruum* ueteris ciuitatis nominauit: ipsa non procul a lacu Albano olim sita interierat; cf. Plinius NH. III 9 (5) § 69.

8. *Telegoni iuga parricidae:* 'Tusculum ciuitas est in iugo montis constituta; hanc significat nomine conditoris: a Telegono enim Circes filio fundata est, qui per ignorantiam patrem suum Vlyssem interemit'. Acron. Conf. Silius VII 692, XII 535. Ouidii Fast. III 92, IIII 71.

9—12. Omissa domus urbanae copia et strepitu urbis ad me festina.

9—10. *fastidiosam — arduis:* copiam (*den reichen Überfluss*) dicit opes urbanae domus, quae nimiae fastidium possessori facere possunt. Addit *molem propinquam nubibus arduis*, h. e. turrim Maecenatis cum nouis aedibus eius in Esquiliis aedi-

plerumque gratae diuitibus uices,
mundaeque paruo sub lare pauperum
cenae sine aulaeis et ostro
sollicitam explicuere frontem.

iam clarus occultum Andromedae pater
ostendit ignem, iam Procyon furit
et stella uesani leonis
sole dies referente siccos;

iam pastor umbras cum grege languido

15. cenae *BG:* caenae *AH.* auleis *BGH.* 17. ocultum *BG.* 18. etiam *G.* prochion *BH.* 20. siccas *H.* 21. langido *A.*

ficatam. 'Turrim dicit, quam Maecenas dicitur in hortis suis extruxisse, unde haec omnia prospectabat'. PORPHYRION. Conf. Serm. I 8 14 sqq. Sueton. Nerone c. 38.

12. *fumum et opes strepitumque Romae: mirari* non est *admirari*, sed mirantem contemplari (*anstaunen*). Apte igitur iunguntur etiam molesta illa (*fumus strepitusque*) cum opibus diuitis (*beatae*) urbis. Nimirum ab ingentibus diuitiis haec incommoda separari nequeunt. Cf. Epl. II 2 70—80.

13—24. Exponit cur Maecenas gratum deuersorium in uilla Horatii habiturus sit; altera causa repetita est a more diuitum et hominum negotiis incumbentium, qui uices et mundas cenas pauperum diligunt (13—16), altera ab aestu solis (17—24) in uilla rustica minus graui.

14—15. *mundaeque — cenae:* simplices pauperum cenae, sed mundo apparatu non carentes. Serm. II 2 65: *mundus erit, qua non offendat sordibus, atque in neutram partem cultus miser.*

15. *sine aulaeis et ostro: aulaea* sunt uela pretiosa atrio aut triclinio aperto superposita et expansa ad auertendum solem et puluerem (cf. annot. ad Serm. II 8 54); *ostrum* dixit uestes stragulas coloris purpurei, quibus atrium in domo opulenta sterni solet (περιστρώματα).

16. *sollicitam — frontem:* frons sollicita curarumque rugis *contracta* securis pauperum dapibus explicatur. Nimirum poeta amicum tunc dies noctesque rei publicae gratia sollicitari sciebat. De uerbo *explicuere* cf. Serm. II 2 125: *explicuit uino contractae seria frontis.*

17—24. Iam in aestu solis petenda est umbra, cuius magnam copiam in mea uilla habebis.

17—18. *iam clarus occultum — ostendit ignem:* Andromedae pater est Cepheus, sidus splendidum et ferueus. Columella XI 2 § 51: *septimo idus Iulias Cepheus uespere exoritur.* Vespere exortus claro suo splendore uim solis etiam post occasum eius ostendit; hic est *occultus ignis.*

18. *iam Procyon furit:* furit calore solis. Columella l. c.: *idibus Iuliis Procyon exoritur mane.*

19. *stella uesani leonis:* Columella ibidem: *tertio decimo kalendas Augustas sol in leonem transitum facit.*

20. *sole — siccos:* eiusmodi dies in urbe intolerabiles rari agendi sunt. IIII 12 13: *adduxere sitim tempora, Vergili;* adde I 17 17.

21—24. Adeo pastores umbras et riuos siluasque, aestus insoliti delenimenta, petunt.

21—22. *umbras — riuumque fessus quaerit:* umbras arborum riuumque ibi fluentem quaerit. Pastor

riuumque fessus quaerit et horridi
dumeta Siluani, caretque
ripa uagis taciturna uentis.

tu ciuitatem quis deceat status
curas, et urbi sollicitus times
quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

prudens futuri temporis exitum
caliginosa nocte premit deus,
ridetque si mortalis ultra
fas trepidat. quod adest memento

componere aequus: cetera fluminis

23. sil uani *A*. 27. ciro *corr G*. 28. tanaysque *B*.
30. caliginos ad *A*. 33. equus *H*.

calore solis fessus et grex eodem *languidus* recreare se uolunt umbra arborum in ripa fluuii positarum et aqua praeterfluentis riui.

22—23. *horridi dumeta* (*Dornhecken*) *Siluani:* dumeta dicit densissima siluarum loca, ubi plurima umbra. In dumis, quia Siluanus amat esse, *horridus* deus est.

23—24. *caretque — uentis* (*auch entbehrt schweigsam der Uferrand seiner streifenden Winde*)*:* qui per intermissiones flare solent uenti in ripa *riui*, nunc tacent, eoque ipsa ripa taciturna est.

25—26. *tu ciuitatem quis deceat status curas:* tu curas qua imperii forma ciues mox regendi sint. Scilicet Octauianus propediem rediturus erat et tunc nouum incohoari ciuitatis statum non sine sollicitudine Maecenas praeuidebat. Has curas Dio Cassius in longa oratione, quam Maecenati ascripsit, complexus est LII 14—40, et his similes cogitationes etiam cum Horatio amicus haud dubie saepius communicarat, antequam Augustus ex Aegypto et Asia rediit. Ad urbis et Italiae curam, quae proxime significatur, haec noli referre.

26—28. *urbi sollicitus times quid — parent:* dum urbi anxius caues, simul externis curis exerceris. Vrbis cura Maecenatem propius angebat, quod huic praepositus erat. Verbis *times* (h. e. cum timore expectas) *quid Seres — Tanaisque discors* leniter admonetur Maecenas, curas externas non pertinere ad eum qui curam urbis et Italiae sustineat.

27—28. *regnata Cyro Bactra:* noue Parthorum imperium significauit: nam Parthis ueteris Bactriani regni prouinciae nonnullae parebant.

28. *Tanaisque discors:* discordes aduersum Parthos Scythae, quorum auxilio Prahates in regnum restitutus est, pulso Teridate; cf. annot. ad I 19, III 8. Scythae hoc successu illecti ne pacem Romanorum et prouincias turbarent, Maecenas timebat.

29—32. *prudens — trepidat:* haec respondent prioribus *tu ciuitatem quis deceat status curas;* hoc dicit, futuro tempori te iam nunc prospicere ac mederi posse, id caue speres.

29—30. *prudens — deus:* Pindarus Ol. X 9: *τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φραδαί.*

31. *ridetque:* ridet propter laborem frustra insumptum.

31—32. *ultra fas:* ultra terminos a caelesti numine positos.

32—33. *quod adest memento*

ritu feruntur, nunc medio alueo
cum pace delabentis Etruscum
in mare, nunc lapides adesos

stirpesque raptas et pecus et domos
uoluentis una, non sine montium
clamore uicinaeque siluae,
cum fera diluuies quietos

inritat amnes. ille potens sui
laetusque deget, cui licet in diem
dixisse 'uixi: cras uel atra
nube polum pater occupato

34. alueo *BGgωΣ*, albeo (*correctum ead. manu*) *A:* aequore *Hς.* 35. ethruscũ *G.* 37. *Seruius ad Vergil. Aen.* III 94, VII 91, XII 208. Stirpisque *H.* stirpesque raptos *Cledonius p.* 1896. domus *Seruius.* 41. ĩritat *A:* Irr. *BGHg.* 42. Letusque B. deget *ABHgω:* degit *Gς.* indiem *GH.*

componere aequus: quarum rerum tu habes potestatem in urbe et Italia, has aequus rector ordina. Conueniunt haec ante dictis: *urbi sollicitus.*

33—41. In ceteris partibus imperii terrisque externis (uelut apud Seres et Bactra, ad Tanaidem) partim res compositae sunt, partim turbae ac tumultus obtinent.

33—34. *cetera fluminis ritu feruntur:* neglegere noli scriptum esse *feruntur,* non *ferentur;* itaque *cetera* non de futuris rebus accipienda sunt, sed de rebus Maecenatis curae non subiectis, h. e. externis; *fluminis* converte τοῦ ποταμοῦ, non ποταμοῦ, cum *Tiberis* significetur.

34—36. *nunc medio alueo — in mare:* medio alueo coercitus, non super alterutram ripam effusus; cf. III 7 27: *Tusco denatat alueo.* Interpolatae scripturae *aequore* non conuenit additum *medio;* etiam quod sequitur (*cum pace*), sic abundabit.

35. *cum pace* (ἠρέμα)*:* bellum non minitans ripis et accolis.

36—41. Turbas ciuiles ac tumultum belli cum Tiberi amne praeter modum tumido comparauit, quam imaginem copiose exornauit, ut appareret quam impar sit unius hominis consilium ad tot res tantasque componendas. Conf. Ouidii Metam. I 287: *pecudesque uirosque tectaque cumque suis rapiunt penetralia sacris.*

38—39. *non sine — siluae:* montes clamant strepitu torrentium tumidorum, uicina silua arborum ruina.

40. *diluuies:* 'noue tempestatem dixit, cum omnes auctores *hoc diluuium* dixissent'. Acron. *Diluuiem* habet Lucretius V 255, VI 295; cf. *eluuies, illuuies, proluuies.*

41—48. Ad beatam uitam nihil magis confert quam grata bonorum adhuc perceptorum memoria.

41—42. *ille potens sui laètusque deget: potens sui* sine cupidine agit, *laetus* sine metu.

42—43. *cui licet in diem dixisse:* qui quocumque transacto die dicere potest quae proxime referuntur.

43. *uixi:* uita functus sum; bene uixisse uerbum *licet* et proxima ostendunt. Oratorem inducit, ne, si ipse loqueretur, arrogantiae et uanae gloriae reprehensionem incurrat.

43—45. *cras uel atra nube polum pater occupato uel sole puro:* cras siue foedum siue candidum diem Iuppiter dederit, h. e. cras siue ingens malum siue ingens bonum mihi obtigerit.

44. *polum:* caeli firmamentum.

uel sole puro, non tamen inritum
quodcumque retro est efficiet, neque
diffinget infectumque reddet
quod fugiens semel hora uexit.

Fortuna, saeuo laeta negotio et
ludum insolentem ludere pertinax,
transmutat incertos honores,
nunc mihi, nunc alii benigna.

laudo manentem: si celeres quatit
pinnas, resigno quae dedit et mea

45. irritum *mei.* 48. ora *A.* 49. seuo *BG.* negocio *GH.* et *initio uersus* 50, *non fini u.* 49, *addunt BG*, *om g.* 52. nunc nunc alii benigna *B.* 54. pinnas *A:* pennas *BGHg.*

45—46. *non tamen inritum quodcumque retro est efficiet:* haec respondent uerbis *uel atra nube polum occupato;* nullo futuri temporis malo bona praeteritae uitae inrita fieri possunt.

46—47. *neque diffinget infectumque reddet:* neque in aliam formam mutabit nec faciet ut non adfuisse uideatur quod olim fuit; haec respiciunt proxima *uel sole puro polum occupato*, hoc est, ne summa quidem fortuna facies rerum praeteritarum alia aut nulla fiet.

48. *quod fugiens semel hora uexit:* res praeteritas; *uexit* est aduexit uel tulit. Alii accipiunt pro *auexit.*

49—64. Quid faciendum erit, si grauiore Fortunae casu temptabimur? Tum continentia nos et uirtute obsistemus.

49. *saeuo laeta negotio:* saeuum munus siue officium sibi datum libenter exequitur.

50. *ludum insolentem ludere pertinax:* addito *insolentem* uulgarem locutionem *ludum ludere* exquisitam fecit. Agnosce semina carminis duobus annis post de Fortuna compositi (I 35).

53. *laudo manentem:* si sponte manet, probo et libenter accipio.

53—54. *si celeres quatit pinnas:* si pinnas quatit ut celeriter auolet meque relinquat.

54. *resigno quae dedit:* tabulas resignari patior, quas in meum commodum quasi subsignauit Fortuna. Epl. I 7 34: *hac ego si compellor imagine, cuncta resigno.*

54—55. *mea uirtute me inuoluo:* eximie dictum. Virtus tamquam tunica uel toga circumdata possessorem eius tuetur.

55—56. *probamque pauperiem:* pauperiem uirtuti iunctam.

57—64. Generatim de toleranda Fortuna dicta iam exemplis illustrantur. In periculo maris ego neque rei neque uitae timeo, non illi, quia nihil est quod pereat, non huic, quod di me ob uirtutem tuentur.

57—58. *si mugiat Africis malus procellis:* ubi malus mugire coepit Africo agitata, ne frangatur uel ruat periculum est.

58. *miseras preces:* quales miseri homines proferunt.

59. *uotis pacisci:* editis uotis et muneribus promissis pacem deorum

uirtute me inuoluo probamque
pauperiem sine dote quaero.

non est meum, si mugiat Africis
malus procellis, ad miseras preces
decurrere et uotis pacisci,
ne Cypriae Tyriaeque merces

addant auaro diuitias mari.
tunc me biremis praesidio scaphae
tutum per Aegaeos tumultus
aura feret geminusque Pollux'.

57. africꝫ maiꝫ *A*. 60. tyriaeque *AGω*, tyrieque *g*: syriaeque ς, syrieque *pr H; B in margine habet* syrie, *in uersu* tyriaeque, *sed in rasura et ab al. m.* merges *A*. 61. *scholiasta Statii Theb.* I 339. diuicias *BH*. 62. Tunc *ABg corr HΣ:* Tum *G pr H*ς. scafae *H*. 63. per egros *G*. aegeos *H*. 64. feret *ABGHgω:* ferat ς.

mercari; 'tamquam paciscantur cum deis homines oblectatione' (*oblatione*) 'uotorum'. Acron.

60—61. *ne Cypriae — mari:* merces Cyprias Tyriasque a Cypro insula oppidoque Tyro, ubi mercatorum magna multitudo, per mare Aegaeum in urbem portari cogitat; *auarum* mare precibus qui increpant, dis ostendere uolunt quam non bene merces pretiosae huic addantur.

62—64. In eo periculo ego tantum uitae meae consulo. Hanc leui nauigio et Pollucis praesidio facile tueor.

62. *biremis praesidio scaphae:* leuem scapham naui iunctam cogita. In hanc descendere solent homines, si nauis mergitur, derelictis rebus suis uitam undis erepturi. *biremis* Acron interpretatur 'duos ordines remorum habentis'. Immo noue nunc dicitur quae duobus remis agitur.

63. *Aegaeos tumultus:* tumultus maris Aegaei.

64. *aura:* οὖρος, uentus secundus. *Pollux:* cf. I 12 27.

XXX.

Exegi monumentum aere perennius
regalique situ pyramidum altius,
quod non imber edax, non aquilo inpotens
possit diruere aut innumerabilis
annorum series et fuga temporum.
non omnis moriar, multaque pars mei
uitabit Libitinam: usque ego postera
crescam laude recens, dum Capitolium

Ad Melphomenē musã. Metr̄ asclipiadeum *A*. dicit se aposteletice scriptis semper uicturum *B*. dicit se apotheleistice scripsisse p̱ uicturum *H*.

1. *Terentianus Maurus u.* 2694 *p.* 2443, *Diomedes* III 37. monimentum *Diomedes*. p̱hennius *BH*. 2. piramidum *B*. alci? *H*. 3. ĩpotens *Gg:* impotens *BH*, impotes *A*. 4. Possunt *G*. 7. uitaqt *A*. libithinam *GH*.

Carm. XXX. Prooemium. *Ad finem opus adduxi ceteris monumentis perennius. Non omnis moriar, sed ingenii laude recenti semper crescam apud posteros, meque carmen Aeolium ad Italiae modos deduxisse fama superstes narrabit. Superbiam igitur accipe, Melpomene, meque uatem cinge corona.* (Metrum 1)

Quemadmodum primo poemate primi libri tres carminum libros Maecenati dicauit, sic per hanc oden eosdem legentibus tradidit et commendauit. Tempore tamen utrumque distat: nam illud fecit, cum ad lyricam poesin alacriter incubuit, hoc, cum uersus fidibus sociandos concludere atque edere uoluit, quod anno 735 factum est; cf. annot. ad I 1, ad Epl. I 1 et 13 et 19 et Prolegom.

1. *exegi — perennius:* ad finem perduxi monumentum aere (aeneo monumento) diutius duraturum. Versuum suorum corpus siue compagem cum monumentis mortuorum honori positis comparat. Imitatus est Ouidius Metam. XV 871: *iamque opus exegi, quod nec Iouis ira nec ignes nec poterit ferrum nec edax abolere uetustas.*

2. *regalique situ — altius:* quod altitudine molem (*situm*) regiam pyramidum superet. Nomen *altius* conuenit monumentis pyramidum, quarum altitudo excellit. *Situs* est structura (*der Bau*). Vt uerbum *situs* idem ualet ac *positus*, ueluti apud Tacitum IIII 22 *quod duabus legionibus situm,* sic nomen substantiuum nunc est pro compositione uel structura.

3. *inpotens:* ira inpotenti, h. e. inmodica, ruens.

4—5. *innumerabilis annorum series et fuga temporum:* sua uirtute Flaccus longi temporis uim ad obliuionem adducendam duabus imaginibus expressit, siquidem memoria aut annorum serie *obruitur* aut fuga temporum *abripitur.*

6—7. *non omnis — Libitinam:* corpus tantum tradetur Libitinae, non ingenium. De Libitina funebri dea cf. Dionys. Antiquit. IIII 15 et annot. ad Serm. II 6 19.

7—9. Auget coeptam sententiam. Tantum abest ut intereani, ut semper (*usque*) crescam et *recens* uiuam apud posteros.

8—9. *dum Capitolium — pontifex:* dum pro salute populi Romani et urbis aeternae sacra fiunt a pontifice et uirgine Vestali (cf. Varro LL.

scandet cum tacita uirgine pontifex.
dicar, qua uiolens obstrepit Aufidus
et qua pauper aquae Daunus agrestium
regnauit populorum, ex humili potens,
princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos. sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica
lauro cinge uolens, Melpomene, comam.

11—12. et qua — populorum *Seruius ad Verg. Aen.* XI 126 *et* 280.

11. aq.ᵘ *A.* daunius *H.* 12. regnauit *AςΣ Blandinii:* regnator *BGHgω.* 13. eolium *BG.* 14. deduxisse *A, ut ceteri, non* deduxiisse. 15. Quesitam *H.* delfica *A.* 16. melphomene *A.* EXPŁI . CARMINVM LIB̄ TERTIVS. INCIP̄ LIB̄ ·IIII· *A.* Q. F. HORATII CARMINVM LIBER III. EXPLICIT. INCIPIT EIVSDEM QVARTVS *B.* CARMINVM LIB̄ ·III· EXPLIC̄. INCIP̄ ·IIII· *H.* Explicit *liber* III. Quartus incipit Carminum *g eadem manu.*

V 47, Tacitus Ann. XII 42), h. e. dum res Romana erit.

10—14. *dicar, qua — deduxisse modos:* dicar (inde), qua fluit Aufidus et Daunus regnauit, Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos. Verbum *dicar* iungendum cum *deduxisse;* quae interiecta sunt, patriam auctoris et originem, tum potentiam ingenio partam indicant.

10—12. *qua uiolens — populorum:* terrae patriae duas partes ostendit, alteram quae Aufido praetexitur, sita ad septentrionem, alteram quae aquis caret, uersa in meridiem. Ad hoc alterum pertinet *pauper aquae Daunus;* cf. Serm. I 5 91. Ouidius Metam. XIIII 510: *Iapygis arida Dauni arua.* Aufidum *acrem* uocauit Serm. I 1 58, *longe sonantem* Carm. IIII 9 2.

11—12. *agrestium regnauit populorum:* ἀγροίκων ἐβασίλευσε λαῶν. Structurae insolentia diuersam scripturam *regnator* peperit.

12. *ex humili potens:* non multo post in Epistulis (I 20 20) scripsit: *me — in tenui re maiores pinnas nido extendisse loqueris.* Potentem se dicit fauore plausuque primorum ciuitatis. Aliud est IIII 8 26: *lingua potentium uatum,* h. e. qui ualent res gestas posteris prodere. Eundem significatum ad hunc locum applicare noli: sic enim poeta parum ualidus cum potente non bene componeretur. Immo uerus poeta semper potens est.

13. *Aeolium carmen:* ab Alcaeo Lesbio inuentum; cf. I 26 10—12, 32 5—12. Aeolii carminis nomine etiam Sappho poetriam significari, sunt qui contendant, sed falluntur; cf. Epl. I 19 32 et 33.

13—14. *ad Italos deduxisse modos:* ut adolescens deducitur ad amicum seniorem a patre uel propinquo, sic carmen Aeolium ad modos ab Italis adhuc temptatos nouum accessit. Sapphus modos iam deduxerat Catullus.

14. *sume:* suscipe, accipe. Causam postulantis addunt uerba *quaesitam meritis.*

15—16. *Delphica lauro: Apollinarem* dixit IIII 2 9.

16. *uolens:* suppressit quod in precibus addi solet *propitiaque* (Seruius ad Aen. I 737, Cato RR. 142, Liuius VII 18), abstinens a notis et uulgaribus.

Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER QVARTVS.

I.

Intermissa, Venus, diu

Allegoricos a se affirmat ex intermisso scribi carmina ad Venerem. Eutice erotice dicopos (lu). Metr. *cet. A.* Ad Fabium Maximum allegoricos affirmat sex (*sibi ex*) intermisso scribi carmina ad Venerem *B.* Ad Fabium Maximum *H.* *In G est interuallum quinque uersuum et rasura.*

1. *Atilius Fortunatianus* I 4 5, *Marius Victorinus* IIII 1 66. *Diomedes* III 38 *et huius carminis et ceterorum primum cuiusque uersum recitat.*

Carm. I. Prooemium. *Mihi pacem posco, Venus; abi ad Paulum Maximum tibi idoneum, nobilitate et forma, eloquentia et artibus insignem. Me propter aetatem nec femina iam iuuat, nec puer. Verum, eheu, interturbat Ligurinus, quem nocturnis somniis sectari mihi uideor.* (Metrum 5)

Hoc poema honori Pauli factum, ubi edidit quartum librum Carminum, prae ceteris aptum uisum est, quo tamquam prooemio uteretur. Nam carmina sua cum amoris iocique prolem esse existimari uellet, quamquam in bona parte illorum maius quid molitus est, facere carmina et temptari a Venere inter se cohaerere et nexum esse uidebatur. Verum ut ueteris amoris quaedam scintillae gliscere pergunt, sic poeta ad lyram aliquando redire potest.

Carmen compositum est a. 740 (a. Chr. 14), cum quinquagesimum aetatis annum Horatius expleuisset (cf. u. 6). Paulus Maximus haud dubie ex illa fuit subole urbis Romanae, quae Flaccum *inter amabiles uatum ponere choros* dignata est (IIII 3 14). Consul anni 743 Paulus Fabius Maximus hic ab Horatio laudatus esse nequit, quippe et *puer* u. 15 uocatus et sic depictus ut qui studia admodum iuuenilia consectetur. Immo filius uidetur fuisse Q. Fabii Maximi, qui consulatum gessit a. 744, adoptatus a Paulo Maximo consule anni 743, ut pleno nomine *Paulus Maximus Fabianus* uocaretur. De hoc M. Seneca in Controuers. II 12 sub finem tradit: *Fabianus Maximus nobilissimus uir fuit, qui primus foro Romano hunc uomicum morbum, quo nunc laborat, intulit, de quo Seuerus Cassius, antequam ab illo reus ageretur, dixerat: 'quasi disertus es, quasi formosus es, quasi diues es: unum tantum es non quasi, uappa'.* Quod Seneca de *nobilitate* Fabiani Maximi rettulit, hoc cum Horatii uerbis apprime concinit (u. 13), quae Cassius dixit de *forma* atque *diuitiis*, de *eloquentia* et *uoluptatibus*, etiam haec cum Horatianis plane concordant, nisi quod Cassius more suo inique de aduersario iudicauit, Horatius beneuole de studiis et splendida uita iuuenis ingeniosi locutus est.

1—2. *intermissa — moues?:* respicit libri tertii carmen 26, scriptum a. 733, septem ante hanc oden annis.

rursus bella moues? parce precor, precor.

non sum qualis eram bonae
sub regno Cinarae. desine, dulcium

mater saeua cupidinum,
circa lustra decem flectere mollibus

iam durum imperiis; abi
quo blandae iuuenum te reuocant preces.

tempestiuius in domo-
Pauli, purpureis ales oloribus,

2. precor *alterum om A.* 4. cinarae *A,* cinare *H:* cynarae *BG,* cynirae *g.* 5. seua *GH.* 6. ·X· *A.* 7. durum] dudum *pr H.*
8. Quod *B.* uocant *H.* 9. tempestius *A*, Tempestiuus *H, corr* Tempestiuius. domo *ABg*ς *(Blandinii) Porphyrion:* domum *GHω.*
10. Pauli *ABGHgωΣ:* Paulli ς. purpureis al. oloribus *Seruius ad Vergil. Aen.* I 591.

Comparant Sapphus uerba fr. 40 Bergk: *Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμέλης δόνει γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον,* quae citat Hephaest. p. 42.

2. *parce precor, precor:* repetito *precor* deae potentiam agnoscit et ueneratur; perinde in Baccho fecit II 19 7.

3—4. *bonae — Cinarae:* quae bonis moribus et benigna in Horatium fuit; cf. Epl. I 14 33, Carm. IIII 13 21. In his locis, ubi mortuae Cinarae mentionem iniecit, uerum nomen posuit: uiuam poeticis nominibus celebrauit, de quibus dictum ad I 19.

4. *sub regno:* dum regium eius imperium secutus sum.

5. *mater — cupidinum:* Cinarae mentione facta repetit uersum, quem olim eandem puellam respiciens scripserat Carm. I 19 1. Paulum tamen uariauit illato *dulcium,* quo consecutus est contrarium (*grausame Mutter süsser Sehnsuchtstriebe*). De matre cupidinum cf. ad I 19 1.

6. *circa lustra decem flectere:* iunxit, ut solet, imaginem cum eo quod imagine illustratur. Circa decem lustra qui flectitur, tamquam equus circa prospectum odiosum aut rem obstantem, is quinquaginta annos sibi obstantes obliuisci cogitatur. Horatius haec scribens quinquaginta annos iam superauerat. Itaque haec cecinit a. 740.

6—7. *mollibus iam durum imperiis:* mollibus imperiis molles reguntur: Flaccus durus est ut equus annis prouectior.

7—8. *abi — preces:* Venus in Horatium intenta in diuersum auocatur. Hoc est illud *reuocant.* Componitur *abi* repudiantis dotem Veneris cum blandis iuuenum precibus.

9—11. *tempestiuius in domo — comissabere: comissabere* Acron interpretatur 'delectabere conuiuando'; unde intellegitur hunc quoque praeter Porphyrionem legisse *in domo,* ut est in libris melioribus; ac sane *comissari* non de agmine *τῶν κωμαζόντων,* sed de effusa laetitia conuiuantium Latini dicunt. Tendere Venerem ad domum Pauli, hoc uerba interiecta *purpureis ales oloribus* significant, h. e. alis olorum uecta. Ipsum *in domo* est *in domo urbana* Pauli, cui statim opponitur uilla *Albanos prope lacus.*

10. *purpureis:* hoc uocabulum nunc candorem micantem notat. Veteres interpretes *pulchros* interpretantur, Acron, Porphyrion, Seruius ad Vergil. Aen. I 591; conf. Serm. II

comissabere Maximi,
si torrere iecur quaeris idoneum:

namque et nobilis et decens
et pro sollicitis non tacitus reis

et centum puer artium
late signa feret militiae tuae,

et quandoque potentior
largi muneribus riserit aemuli,

Albanos prope te lacus
ponet marmoream sub trabe citrea.

11. Comissabere ς *Blandinii*, comisabere *A*, comessabere *H*: Cōmissabere *g*, commessabere *B*, commutabere *G*ς. 12. queris *G*. 13. Nam q. *B*. 15. arcium *G*. 16. lata *A*. miliciae *BGH*. 18. largi *A*ς: largis *BGHgω Porphyrion*. 20. citrea *A*ς '*duo Blandinii antiquissimi*' *commentator Cruquii*, cytrea *g*: cypria *BGω Acron* (*G* cypria trabe), cyprea *H*.

6 103: *rubro ubi cocco tincta — canderet uestis*. De Paulo Maximo cf. Prooem.

12. *si torrere — idoneum*: 'ideo iecur amori dedit, quod iecore amari uolunt, felle irasci, corde doleri.' Acron. Loquendi genus *torrere iecur* paulo uilius delectum uidetur, quo poeta his casibus plane superior uideatur. Eodem spectare puto illud (21): *illic plurima naribus duces tura*.

13. *et decens*: respicit pulchram formam Pauli. de qua Cassius obtrectator dixit *quasi formosus es*; cf. Prooem.

14. *pro — tacitus reis*: idem ille inimicus *quasi disertum* uocauit. Paulus tunc gratiosius dicendi genus secutus est, reos tutando, sed aetate prouectior (761 a. u.) accusator inimicum Cassium Seuerum in iudicium adduxit; cf. Senecae Contr. II 12. Tacit. Ann. I 72, IIII 21 ibique interpretes.

15. *et centum — artium*: artes cogita cithara canendi, saltandi, alea ludendi. Puer nominatur, quod huiusmodi artes puerum decent; cf. ad I 9 15. Catullus 12 8 de Asinio Pollione: *est enim leporum disertus puer ac facetiarum*.

16. *late — tuae*: te duce militans faciet, ut signa tua late ferantur; cf. III 26 2. Meinekio scribendum uidetur *late militiae signa feret tuae*, ut substantiuum et adiectiuum finem utriusque ordinis occupent. Hoc in uersibus Asclepiadeis apud Horatium alibi solitum nunc neglectum est, ut eiusdem notionis uocabula (*late signa feret*) ne diuellantur.

17—18. *et quandoque — riserit aemuli*: Paulus et diues aliquis eandem puellam sectantur. Diues munera largus dare solet, Paulus quasi diues artibus suis certat. Haud dubie rem ueram indicauit poeta: Forma *largi* assimilandi errore ante proximum uoc. *muneribus* in *largis* mutatum est in libris permultis. Risus Pauli refertur ad aemuli damna et casum; cf. Epod. 15 24: *ego uicissim risero*.

19. *Albanos — lacus*: prope montes Albanos, ubi quattuor lacus, Pauli uillam fuisse hinc patet.

20. *sub trabe citrea*: cogita tholum pretioso ligno citri, arboris Africanae, structum. De citro u. Plin. XIII 29 (15). Altera scriptura *Cypria*

illic plurima naribus
duces tura, lyraque et Berecyntia

delectabere tibia,
mixtis carminibus non sine fistula;

illic bis pueri die
numen cum teneris uirginibus tuum

laudantes pede candido
in morem Salium ter quatient humum.

me nec femina nec puer
iam, nec spes animi credula mutui,

22. tura *ABHg:* thura *G.* lyraque et berecyntia — tibia ς *u. Blandinius,* lyraque et berecynthia — tybia *g,* liraque et berecinthię — tibia *H:* lyraeque et berecynthiae — tibiae *ABGω* (*A scribit* berecinthiae, *B* tybiae). 26. cum tenebris *A.* 27. laudentes *B* (a *ab ead. m.*). 28. quatient *Gς:* quatiunt *ABHgω.*

ex I 1 13 huc inuecta uidetur esse; apud Acronem quoque perperam *Cypria* legitur, ut uerba ipsius ostendunt: 'trabem uero Cypriam aut pro difficili et nobili posuit aut pro amoenitate Veneris odoratam' (sic corrige traditum *elaboratam* ex commentatore Cruquiano), 'ut aedificantis diuitias indicaret'.

21—22. *illic — tura:* futurum Veneris cultum describens prope ad comicam stili speciem accedit: nimirum sic prodidit uel significari uoluit se Veneris imperium iam non admodum uereri.

22—23. *lyraque et Berecyntia delectabere tibia:* Berecyntia tibia est pro tibiis Phrygiis, quas adhibent Berecyntes Phrygum populus; cf. Strabo X 3 § 12 et § 17 p. 471.

24. *mixtis carminibus non sine fistula:* h. e. ut uoces canentium et fistula concinant; *mixtis* ualet *commixtis* uel *admixtis;* cf. Serm. II 4 19: *mixto* (admixto) *mersare Falerno.* Alia structura est Epod. 9 5: *sonante mixtum tibiis carmen lyra, hac Dorium, illis barbarum.*

25—28. Carmina illa canentur a choro saltantium puerorum et uirginum.

27. *pede candido:* Homero sola Thetis est ἀργυρόπεζα, Pindaro (Pyth. 9 9) etiam Venus. Formoso numini nitente pede pueri saltant et canunt.

28. *Salium:* est pro *Saliorum,* perinde ac I 36 12, non adiectiuum, quod deprehendi perperam credunt apud Varronem LL. VII 2: *Aelii — interpretationem carminum Saliorum uidebis.* *ter:* numero ternario, ut III 18 16.

29—32. Amorem et uina ego resignaui.

29. *nec femina nec puer:* contra legem a se plerumque obseruatam non bis sed quinquies eandem particulam (*nec*) posuit: nimirum solito facundior et confidentior nunc esse uoluit, quo magis contrarium mox emineat. Conf. ad I 17 14.

30. *spes animi credula mutui* (*Hoffnung leicht erwartend ein entgegenschlagendes Herz*): qui potentem se sentit amoris donis, facile credit se inuenturum esse mutui animi fauorem; *mutuus* est eodem amore motus; II 12 15: *bene mutuis fidum pectus amoribus.*

22*

nec certare iuuat mero,
nec uincire nouis tempora floribus.

sed cur, heu, Ligurine, cur
manat rara meas lacrima per genas?
cur facunda parum decoro
inter uerba cadit lingua silentio?

nocturnis ego somniis
iam captum teneo, iam uolucrem sequor
te per gramina Martii
campi, te per aquas, dure, uolubilis.

35—36. *Seruius ad Vergil. Aen.* IIII 76. 36. silentii *A*. 39. marcii *GH*. 40. uolubilis *Ag*: uolubiles *BGH*.

33—36. Sequitur *παρὰ προσδοκίαν*. Subito mouetur atque animi affectum non consentire cum uerbis suis sentit.

33. *Ligurine:* ipse se quasi prodit et animi commoti causam confitetur.

34. *rara:* qualis raro cadit mihi iam duro. Lacrimam nunc raram effundi non dicit, sed praeter morem hoc accidere. *Ligurinus* ex Liguriae finibus uel Alpibus maritimis Romam uidetur uenisse; eundem alloquitur in carmine 10 huius libri.

35—36. *parum decoro — silentio:* post facundam professionem silentium amoris ui expressum summam inconstantiam arguit.

36. *cadit lingua:* statu suo consistere nequit; Sappho dixit *γλῶσσα ἔαγε*, Catullus (51 10) *lingua torpet*.

37—40. Eximia clausula. Scilicet re uera ab huiuscemodi deliciis poeta abstinuit propter aetatem et legis reuerentiam: sed affectus nondum plane restinctus certe in somniis, ubi ratio sopita iacet, pars animi inferior libere dominatur, reuiuiscere solet. Ad quaestionem in principio carminis positam sic respondetur.

38. *captum teneo:* somnians cepit puerum et amplexu tenet.

39—40. *per gramina Martii campi:* in gramine Martii campi ambulabant et currebant. Illic amici et amantes conueniebant.

40. *per aquas:* persequi sibi uidetur natantem per Tiberim. *dure:* cf. III 7 fin.

II.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
nititur pinnis, uitreo daturus
nomina ponto.

Hoc carmen et fol. 166 *et* 176 *in codice A, altero loco tantum u.* 1—40.

Ad Iulum Antonium uetustiorum poetarum *A fol.* 166, Ad Iulianum (antonium) : uetustiorum poetarum ueneratio. Encomiastice tetracolos. Metrum *cet. A fol.* 176. ad antonium iulbam de emulatione uana et uetustiorum poetarum ueneratio. encomiastice tetracolos *B.* Ad Antonium Iulum de aemulatione uana et uet. poet. uen. incomiastice tetr. *H.*
1. quis quis *B.* emulari *G.* 2. dedalea *ABGH.* 3. pinnis *A pr B Blandinii:* pennis *GHgω.*

Carm. II. Prooemium. *Pindarum aemulari, Iule Antoni, admodum periculosum est; certe meum canendi genus longe distat. Caesarem ex transmarinis prouinciis regressum et triumphantem tu, poeta maioris plectri, concines, ego et carmine et exultatione, mox uictima tecum celebraturus sum.* (Metrum Sapphicum)

Carmen compositum est anno 741 (a. 13 ante Chr.) aliquanto ante reditum Caesaris Augusti. Anno enim urbis 738 in Galliam princeps abiit et post triennii tempus a. d. IIII. nonas Iulias a. 741 in urbem rediit. Dio LIIII 19—20 et 25, Kalendarium Amitern. (u. Mommseni Inscript. R. N. 5750) ad diem IIII. nonas Iulias: *feriae ex senatus consulto, quod eo die ara Pacis Augusto in campo Martio constituta est Nerone et Varo cos.* (741). Reditus cum instaret, Iulus Antonius Horatium Tiburi uersantem rogauit (hoc colligere licet ex argumento carminis), ut Augustum cantico Pindarico laudaret. Cui poeta misso carmine causas exponit, cur a Pindari modis abstinere, sed suis uersibus redeuntem principem cum Antonio praedicare uelit. Ipse Iulus Antonius, alter triumuiri M. Antonii ex Fuluia filius, a nouerca Octauia benigne educatus, ab Augusto uariis honoribus ornatus praeturam tunc (741) administrabat, mox consulatum gessit (744). Plutarchus Anton. c. 87, Velleius II 100, Dio LIIII 26. Anno 752 Iuliae adulter finem uitae uoluntaria morte inuenit (Dio LV 10), sed haec ruina uirum nobilem post mortem Horatii demum adflixit. Antonius ipse poeticam temptauit, de quo studio Acron ad u. 33: *Iulus Antonius heroico metro Diomedeas duodecim libros scripsit egregios, praeterea et prosa aliqua.*

1—4. Pindarum aemulari periculosissimum est.

1. *aemulari:* aemulus esse, h. e. uirtutem eius aequare uel superare uelle.

2. *Iule:* hoc nomen, ab Octauia fortasse inditum, ut praenomen gessit Antonius, sumptum ab Aeneae filio (Vergil. Aen. I 267), Iuliae gentis auctore. *ope Daedalea:* nisu Daedali: alii *ope* pro *arte* noue dictum accipiunt, ut iungatur *ceratis.*

2—4. *ceratis — ponto:* duo poeta significauit, audaciam et irritum studium, illam commemorata *ope Daedalea*, hoc monstrata Icari sorte.

3—4. *uitreo — ponto:* uitreus est ὑάλινος. Vergil. Aen. VII 759: *uitrea te, Fucinus, unda.* Mitius quam nunc et parcens amico de tali aemulatione loquitur Epl. I 3 10: (Titius) *Pindarici fontis qui non expalluit haustus.*

monte decurrens uelut amnis, imbres
quem super notas aluere ripas,
feruet inmensusque ruit profundo
Pindarus ore,

laurea donandus Apollinari,
seu per audacis noua dithyrambos
uerba deuoluit numerisque fertur
lege solutis,

seu deos regesque canit, deorum
sanguinem, per quos cecidere iusta

5. annis *B*. 6. Cum — saliere *H*ς *u. Blandinius*. 7. feruit *A* '*unus cod.*' *Cruquii*. inmensusque *BG*, imens. *g*: imm. *AH*. 9. aplollinari *priore loco A*, *non altero*. 10. audacis *A*: audaces *BGHg*. dithyrambos *A altero loco* (*priore est* dithyra$\overset{b}{n}$nos), dit$\overset{h}{y}$rambos *B*: dityrambos *G*, ditirambos *H*, dytirambos *g*. 12. solitis *H*, *correctus ead. m.* solutis. 13. regesque *ABGgω Acron*: regesue *H*ς. 14. sanguine *A*.

5—24. Sententiam modo dictam probat, dum primum Pindari spiritum et inueniendi copiam uniuerse praedicat (5—8), tum praecipua carminum genera illius percurrit (9—24).

7—8. *inmensusque — ore*: manet in coepta metaphora. Vbi semel se effundere coepit, diu fluere cum impetu pergit (= *inmensus ruit*): nam os eius *profundum* est et inexhaustum.

9—24. Ex carminibus Pindari tamquam praecipua recenset dithyrambos (10—12), hymnos deorum heroumque (13—16), hymnos *ἐπινικίους* (17—20), *θρήνους* (21—24).

9. *laurea donandus Apollinari*: laurea donandus est ut qui primas tulit.

10—12. *seu per audacis — lege solutis*: in dithyrambis, h. e. hymnis Bacchicis, tria tamquam propria eorum rettulit, audaciam, noua uerba, legem neglectam. Audacia pertinet ad raras imagines et uariarum rerum iuncturam; *noua uerba* dicit noue formata uel composita. Sed qua tandem *lege solutos* uocauit? legem ordinis strophici missam dicit. Sane in amplissimo fragmento dithyrambi cuiusdam Pindarici (u. Bergkii Poet. lyr. Gr. frag. 53 p. 240—242), quod uiginti uersibus constat, neque indicium ordinis strophici cognoscitur, neque ullo testimonio accepimus, Pindari dithyrambos strophis discretos fuisse.

13. *seu deos regesque canit*: hymnos deorum et heroum his complectitur; *regesque* meliores libri recte tuentur, non *regesue*. Nam in eo praecipuum beneficium ab inmortalibus generi humano praestatur, quod di procreant heroas, qui perniciosa portenta tollant, leges moresque sanciant. Eiusmodi reges dici testantur proxima uerba *deorum sanguinem*, non aequales Pindaro reges, ut Gelonem, Hieronem, alios. Deos igitur dum canit, simul sanguinem deorum (= *regesque*) in hymnis dixit.

14—15. *per quos — Centauri*: aduersus Centauros pugnauere Theseus, Pirithous, Peleus, contra Chi-

morte Centauri, cecidit tremendae
flamma Chimaerae,

siue quos Elea domum reducit
palma caelestes pugilemue equumue
dicit et centum potiore signis
munere donat,

flebili sponsae iuuenemue raptum
plorat, et uires animumque moresque
aureos educit in astra nigroque
inuidet Orco.

multa Dircaeum leuat aura cygnum,

15. Sorte *pr G.* 16. chimerae *AH,* chymerae *BG.* 17. sũ (*h. e.* siue, *ut est altero loco*) *A.* 18. caelestes *GH:* caelestis *ABg.* pugilemque *A, sed correctum* pugilemue, *ut habet altero loco,* pugilem ue *B.* 19. potiores ignis *A, altero loco* potiores igues. pociore *H.* 21. Flebilis sp. iuuenemque *H.* iuuenemque *g.* 23. educit *AGω u. Blandinius* (*'sic inueni in uno codice antiquissimo' Cruq.*), reducit *HB* (*in rasura*) *g.* 25. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 9 29. dirceum *BG,* dyrceum *H.* cygnum (*altero loco* cycgnum) *Aς,* cignum *BGHg:* cycnum *pauci.*

maeram Bellerophontes. Iusta morte cecidisse Centauros (ob Hippodamiam iniuste raptam) refert, ut beneficia a deorum sanguine in homines collata significet: idem in Chimaera non opus erat, quod *flammae* nomen et epitheton *tremendae* satis hoc declarat, inmane monstrum fuisse et morte dignum.

17—18. *siue quos — caelestes:* ὕμνους ἐπινικίους nobis relictos indicat, sed una Olympia tamquam praecipua certamina ludicra indicauit (*Elea palma*); cf. I 1 5. Caelestes est caelesti honore et fortuna auctos. Victores *curules* his uerbis signauit: nam hi dum reuertuntur, eximiis honoribus accepti sunt; cf. Vitruuii praef. lib. VIIII, Suetonius Nerone c. 25, Dio LXIII 20. In nomine *caelestes* uitandae ambiguitatis causa antiquam scripturam (*caelestis*) sequi nolui. *pugilemue equumue:* a uictoribus curulibus uenit ad pugilem minus nobilem, postremo ad equum singularem (κέλητα), cuius cursu uictoria parta est. Cf. Pindari Olymp. I 18, Pyth. III 74. Theocrit. 16 46. Horat. AP. 84.

21—24. Θρήνους Pindari egregie describit, in ipsis rursum uarias species significando. Nam aut iuuenem flebili sponsae ereptum plorat, aut uires animumque eorum qui in proeliis ceciderunt laudat, aut mores aureos defunctorum celebrat.

21. *flebili:* multum fleuti, ut AP. 123: *sit — flebilis Ino,* noue utrumque. Solito significatu fungitur I 24 10: *nulli flebilior.*

23. *educit in astra:* in astra quae educta sunt, aeterno lumine splendent; huic contrarium est *nigroque inuidet Orco.* Orcus niger est ob lumen ademptum. In θρήνοις Pindarum aemulatus est Simonides Ceus: hinc II 1 38: *Cea nenia.*

25—27. Ad generalem Pindari laudem regreditur, ut mox suum canendi morem opponere possit.

25. *multa — cygnum:* Thebanum Pindarum Dircaeum cygnum a patrio fonte (Dirce) et ob cantus dulcedinem uocat. Addicentibus libris

tendit, Antoni, quotiens in altos
nubium tractus: ego apis Matinae
more modoque,

grata carpentis thyma per laborem
plurimum, circa nemus uuidique
Tiburis ripas operosa paruus
carmina fingo.

concines maiore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces

26. amtoni *B*. 29. thyma *B altero loco A:* tyma *H*, thima *G priore l. A*. 30. uiuidique *A*, *altero loco idem* uuidique. 31. Tyburis *BG*. 33. *abest ab A altero loco*. 34. Cesarem *G*. quamdoque *B*, qñq, (*h. e.* quandoque) *A*.

formam *cygnum* recepi, quod huius prior syllaba producitur: uerum IIII 3 20, ubi breuis syllaba requiritur, *cycni* praetuli.

26—27. *tendit, Antoni, quotiens in altos nubium tractus:* quotiens magnifice canere uult. Scite nomen *Antoni* hic posuit ut hominis secum consentientis, ad Pindari uirtutem neminem aspirare posse.

27—32. Ego contra ac Pindarus multo cum labore parua carmina fingo.

27. *apis Matinae:* ut cygnus in altas nubes se tollit, sic apis humum sectatur. *Matina* apis est apis Calabra siue Tarentina; cf. ad I 28.

28. *more modoque:* morem natura dedit, modum consuetudo et exercitatio.

29—30. *per laborem plurimum:* hoc compositum est cum praegresso *grata thyma*, quae faciunt ut plurimum laborem apis ferat. Auctore Bentleio alii iungunt *plurimum circa nemus*, uerum quod dicitur *plurima qua silua est*, inde minime consequitur plurimum nemus esse spissum uel densum nemus. Immo ut *ripas* sine epitheto est, sic etiam *nemus* sine epitheto concinnius nunc dicitur.

30—31. *circa nemus uuidique Tiburis ripas:* Orellius haec de Sabino Horatii praedio accepit: sed illud a Tibure aliquantum distabat. Immo Horatius haec scribens Tiburi fuit in domo sibi seniori in Tiburni luculo siue a Maecenate siue, quod credere malim, ab ipso Augusto donata. De hac Suetonius in Vita Horatii: *uixit plurimum in secessu ruris sui Sabini* AVT TIBVRTINI, DOMVSQVE EIVS OSTENDITVR CIRCA TIBVRNI LVCVLVM. Conf. ad IIII 3 10.

30. *uuidique Tiburis:* uuidum est saliente Aniene et riuis inde per pomaria deductis; cf. I 7 14, III 29 6.

31—32. *operosa paruus carmina fingo:* fingo ut apis cellulas fauorum, h. e. lente ac paulatim. Paruum se dixit prae inmenso ore Pindari, *operosa* carmina sua prae facili uolatu uatis Thebani.

33—34. *concines — Caesarem* (*singen wirst du den Caesar, ein Dichter, der grösseres Plectron führt*): tu canes Caesaris laudes, maiore plectro poeta ornatus. Maius plectron dicit epici poetae, qui fuit Antonius (cf. Prooemium). Poetam quam se maiorem esse Antonium his

per sacrum cliuum merita decorus
fronde Sygambros:

quo nihil maius meliusue terris
fata donauere bonique diui
nec dabunt, quamuis redeant in aurum
tempora priscum:

concines laetosque dies et urbis
publicum ludum super impetrato
fortis Augusti reditu forumque
litibus orbum.

tum meae, si quid loquar audiendum,

35. cliuum *A* (*idem altero loco* cliuum). decoros *utrobique A*.
36. fro^{d}nte *B*. sygambros (*priore loco* sygābros) *A pr B Blandinii:* sicambros *Hg*, sicanbros *G*. 37. nichil *B*. melius ue *B*. 38. dii *G*. 39. quanuis *H*. 41. letosque *G*. dies ƚbis *A*. 42. inpetrato *B*. 45. loquar *AGHgω:* loquor *Bς*.

uerbis non professus est. Concines fere idem quod *canes* nunc ualet, fortasse cum aliqua perpetui carminis significatione. Pronomen *tu* facilius omitti potuit, quod uerbum in principio sententiae positum et mox per anaphoram repetitum est; cf. ad III 17 5. Hauptius Lachmanni coniecturam *concinet* hic et u. 41 accepit.

35. *per sacrum cliuum:* dicit cliuum Capitolinum, quo pompa triumphalis ex Sacra uia in Capitolium ad templum Iouis ascendit. Conf. Liuii XXXXI 27. Beckeri Enchirid. antiq. Roman. I p. 311.

36. *Sygambros:* captiuos Sygambrorum et obsides secum in triumpho ducturum esse Augustum poeta tunc sperabat: Augustus tamen oblatum triumphum non accepit noctuque in urbem uenit: Dio LIIII 25. Vt nunc *feroces,* sic IIII 14 51 *caede gaudentes* nominantur Sygambri, de quibus expositum ad IIII 9. Ad uerbum *trahet* conf. Epl. II 1 191: *mox trahitur manibus regum fortuna retortis.*

37. Hinc usque ad finem poematis ad suum propositum peruenit, ad dicendam laudem Augusti ex Gallia Hispaniaque redeuntis.

38. *fata — bonique diui:* fata magnum bonumque principem destinauerunt, diui uoluntatem fatorum pro sua erga populum Romanum benignitate (*boni*) executi sunt.

41—42. *urbis publicum ludum:* eiusmodi ludi aliquanto post reditum Augusti editi sunt; tum natalem principis Iulus Antonius praetor equestri certamine epulisque in Capitolio datis celebrauit.

42. *impetrato:* impetrato deorum beneficio; adsignificatur longior Caesaris absentia ciuiumque desiderium.

43—44. *forumque litibus orbum:* iustitium indictum explicant. Verum hoc potius uidetur praedicare, lites sapientia principis magna ex parte sopitas iacere, quae est digna dicendi materia. Sic fortitudo apud exteras gentes et pacis artes componuntur.

45—46. *tum meae — bona pars:* tum ego quoque carmen in honorem Caesaris canam.

45. *si quid loquar audiendum:* si carmen scribere potero Caesaris gloria dignum. Altera scriptura a Bentleio ex aliquot suis libris reposita, *si quid loquor audiendum,* uniuerse dubitationem mouet aduersus Horatii canendi uirtutem, quam

uocis accedet bona pars, et 'o sol
pulcher, o laudande' canam recepto
Caesare felix.

tuque dum procedis, 'io Triumphe',
non semel dicemus, 'io Triumphe',
ciuitas omnis, dabimusque diuis
tura benignis.

te decem tauri totidemque uaccae,
me tener soluet uitulus, relicta
matre qui largis iuuenescit herbis
in mea uota,

48. Cesare *G.* 49. Tuque *Parisinus T Porphyrion:* Teque *ABGHgω Blandinii Commentator Cruquii.* procedit *A.* 55. iuueniscit *A.*

poeta tunc uix ac ne uix quidem admissurus erat.

46—47. *'o sol pulcher, o laudande', canam:* cf. IIII 5 5—8. Soles cum post reditum Caesaris melius niterent uel nitere uiderentur, admirabundus poeta canet *o sol pulcher;* idem addet *o laudande*, quod dies laeto sole insignis Caesarem adduxit.

49—52. Postquam de carmine triumphali a se canendo dixit, iam ad ipsam triumphi pompam se conuertit.

49—50. *tuque dum procedis, 'io triumphe', non semel dicemus:* haec pertinent ad exultationem in proximo triumpho a se efferendam. Antonius Augusto carus et tunc praetor cum triumphante principe procedit, sequitur Horatius cum ceteris ciuibus. De pluralis numeri (*dicemus*) forma dictum est ad III 5 1—2. In libris paene omnibus corruptum est *teque dum procedis*, quod qui primus admisit, ille perperam iunxit *recepto Caesare felix teque*, non memor Antonium in urbe fuisse. Sed hoc *teque* cum a nouis interpretibus aduersus mentem auctoris cum proximis iungitur, miserrima haec sententia nascitur: 'teque, triumphe, dum procedis, io triumphe non semel dicemus'. *Procedit*, ut in uno uetere Bernensi legitur, haud dubie describentis aberrationi tribuendum est.

50—51. *'io triumphe', ciuitas omnis* (dicet): 'ad ipsum quasi triumphum loquitur sacra inuocatione, qua *io*, *io* dicebatur, ut *io matres audite*'. Acron.

51—52. *dabimusque — benignis:* dabimus tura diuis, quorum benignitati reducem Caesarem debemus; *tura* intellege in uiis adolenda, dum transit triumphus.

53. *te decem — uaccae:* quamquam diues Antonius fuit, tantum hostiarum priuato nimium uidetur. Sed uir priuatus ille non fuit: immo praetor erat eo tempore quo Augustus reuersus est (a. 741), et epulas Augusto in Capitolio dandas parabat. Lege Dionis LIIII 26.

54. *me tener soluet uitulus:* soluet me uitulus a munere, quod dis debeo pro reditu Caesaris.

55—60. *relicta matre — cetera fuluus:* non sine consilio feruidum ac magnificum poema miti exitu concludi uoluit, studiosus uarietatis. Nam ut effusa laetitia triumphi sacrificio et precibus in Capitolio finitur, sic liberiorem illum spiritum carminis placido fine compesci uoluit.

55. *largis iuuenescit herbis:* ex uitulo iuuenis siue iuuencus fit.

fronte curuatos imitatus ignes
tertium lunae referentis ortum,
qua notam duxit, niueus uideri,
cetera fuluus.

III.

Quem tu, Melpomene, semel
nascentem placido lumine uideris,

58. Tercium *G*, Ter cũ *pr H*. ortum *ABHgω*: orbem *Gς*. 60. fuluos *A*; *cf. u.* 35, *ubi est* decoros *pro* decorus. *De forma obsoleta cogitare noli.*

ad musam *B*. Ad Musam scribit se esse felicem *H*.
1. mel pomene *B*.

56. *in mea uota:* ut uota mea fiant, h. e. soluantur.

58. *tertium referentis ortum:* ubi post interlunia ter orta est luna. Tunc lunae cornua tenuia sunt, item in iuuenco tenero.

59. *qua notam duxit, niueus uideri* (λευκὸς ἰδέσθαι): notam duxit, sed quae formam auget. Si minus a pretio, at a forma uictima mea commendata erit.

60. *cetera fuluus:* Epl. I 10 3: *cetera paene gemelli;* ibid. 50: *cetera laetus.* Similes uictimarum descriptiones intexuit III 13 3—8, 23 9—13.

Carm. III. Prooemium. *Quem tu, Melpomene, nascentem fauore tuo dignata es, hunc nemoribus lucisque gaudentem uersus nobilem reddent. Hoc mihi euenit, quem iuuentus Romana uatem celebrat, ceteri inuidia sua iam minus mordent. Quo munere praeclaro tu, Musa, me beatum fecisti.* (Metrum 5)

Proxime post carmen Saeculare anno 737 (a. Chr. 17) exeunte hoc compositum est. Nam quemadmodum sextum huius libri carmen scripsit Saeculari praeludens, sic hoc non diu post ludos saeculares a. 737 editos fecit, laetus uidelicet quod inuidiam superauerit quodque carminum suorum uirtus magis in dies approbetur. Nam electus qui ludorum saecularium poema componeret, hoc ipso primus uatum Romanorum declaratus est. Quo honore cum ciuibus suis publice commendaretur, inuidia in filium libertini patris diu grassata retardari atque obmutescere coepit. Tantam fortunam Flaccus gratus agnouit et donum esse diuino beneficio sibi concessum professus est.

1. *Melpomene:* τὴν μελπομένην Musam lyricae poesis siue *carminum* (μελῶν) antistitem alloquitur. Cf. III 30 16. Addito *semel* extollit deae potentiam. Sufficit ut semel quem aspexerit, quo poeta prodeat.

2. *nascentem — uideris:* cum poeta nascatur, non discendo aut praeceptis fiat, Melpomene statim nascentem placido lumine uidet, cui fauere uult; *placido lumine* exquisite pro *placidis oculis*. Placidum Melpomenae lumen est et propter fauorem et tamquam numinis musici, cuius mitis est natura.

illum non labor Isthmius
clarabit pugilem, non equus inpiger
curru ducet Achaico
uictorem, neque res bellica Deliis
ornatum foliis ducem,
quod regum tumidas contuderit minas,
ostendet Capitolio:
sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
et spissae nemorum comae
fingent Aeolio carmine nobilem.

3. ishmius *B*, ismius *H*, histhmius *G*. 4. ęquus *B*. inpiger *B*: impiger *GHg*. 8. *Priscianus* X 4 25. quod] Qui *H*. 10. quae] q; *pr B*. tybur *BG*. praefluunt *BGHgω*: perfluunt ς. 12. eolio *BGH*.

3. *labor Isthmius:* labor in Isthmiis certaminibus tolerandus.

4. *clarabit pugilem:* e certantibus eum nominauit, qui *labore* potissimum nititur; *clarabit,* factum a *clarus* et ex antiqua lingua et Lucretii penu desumptum, ualet *clarum faciet.*

4—6. *equus — uictorem:* cum pugile uictore componitur qui curru uictoriam adipiscitur; ille laborem ipse subit, hunc equus inpiger uictorem praestat. Alii *ducet* interpretantur *reducet*, sed quae praecedunt de pugile dicta, haec aliud suadent.

6—7. *Deliis — foliis:* lauro quam triumphator in gremio Iouis Capitolini reponit: nam de triumphante loquitur, ut ostendit mentio Capitolii.

8. *quod regum — minas:* externas uictorias, pro quibus triumphus dabatur, significauit. Superbos reges memorat, ut merita triumphantis extollantur.

10—12. Si poeta praeter ingenium etiam dulce otium nanciscetur, carmine suo nobilis fiet.

10—11. *sed quae Tibur aquae fertile praefluunt et spissae nemorum comae:* Tiburtinam ciuitatem praefluit Anio, prope est Tiburni siue Tiburti lucus, ubi domus Horatii diebus Suetonii ostendebatur (cf. ad IIII 2 30—31). Haec igitur ad praedium Tiburtinum, de quo loquitur Suetonius, refero, ac primam esse certam possessionis illius mentionem animaduerti. Altera inicitur IIII 2 30—32. Hoc quod nunc interpretamur carmen cum proxime post Saeculare factum sit, conicere liceat pro carmine Saeculari praedium Tiburtinum ab Augusto Flacco datum esse.

13—16. Iuuentus Romana me uatem eximium ueneratur, ceteri iam minus mordent inuidia.

14. *suboles:* 'Nerones uult intellegi, quos Augustus priuignos alioqui suos loco filiorum diligebat'. Porphyrion. Non tantum Drusum et Tiberium uult intellegi, sed etiam iuuenes nobiles, quicumque nouae poesi fauebant, inprimis Censorinum, Lollios, Iulum Antonium, Iulium Florum, Plancum filium, alios.

14—15. *inter amabiles — choros:* primis uatum me annumerare dignatur.

16. *et iam — inuido:* qui olim liuore me persecuti sunt, conticescere coeperunt.

Romae, principis urbium,
dignatur suboles inter amabiles

uatum ponere me choros,
et iam dente minus mordeor inuido.

o testudinis aureae
dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,

o mutis quoque piscibus
donatura cycni, si libeat, sonum,

totum muneris hoc tuist,
quod monstror digito praetereuntium

Romanae fidicen lyrae:
quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

14. suboles ς *Blandinii:* soboles *BGHg; cf. ad* III 13 8, *carm. Saec.* 17. 18. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 1 37. 20. cigni *BGHg.* 21. tui est *BGHg.* 22. pretereuntium *GH.*

17—24. Hunc successum et tantam fortunam Musa dedit.

18. *dulcem — strepitum:* testudo per se nihil nisi strepitum edit, sed Musae temperamento dulcedo efficitur.

19—20. *mutis piscibus cycni sonum:* solita arte pisces uoce carentes et auem canoram composuit. De forma *cycni* cf. ad IIII 2 25.

21. *tuist:* cf. ad IIII 10 6.

22—23. *quod monstror — lyrae:* Horatius ante doctis hominibus et nobilibus notus, post Saeculare carmen iam a uulgo celebrari et digito monstrari coepit: nam digito monstrare populi et turbae proprium est; Tacitus de Orat. 7, Persius I 28.

24. *quod spiro: spiro* breuiter et noue dictum est de spiritu poetico (*dass begeisterter Hauch mir entfliesst*); cf. IIII 6 29: *spiritum Phoebus mihi — dedit.* Epl. II 1 166: *spirat tragicum satis.* Carm. IIII 2 25: *multa Dircaeum leuat aura cygnum.*

IIII.

Qualem ministrum fulminis alitem,
cui rex deorum regnum in auis uagas
permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo,

Ad urbem Romanam de indoli (*sic*) ducum. Prosphonetice encomiastice tetracolos. Metrum *cet. A.* in drusi neronis uirtutem ad urbem romam *B.* In Durusi Neronis uirtutem. Ad urbem Romanam *H.*
1. ualem *G.* 2. auis *A:* aues *BGHg.* 4. iuppiter *A:* Iupiter *BGHg.* ganymede (*h. e.* ganiymede) *A,* ganimede *BGHg.*

Carm. IIII. Prooemium. *Rara fortitudine et optimo consilio Drusus cateruas Raetorum Vindelicorum late uictrices celeri incursu oppressit. Consilia adolescens egregius didicit in domo Augusti recte institutus, fortitudinem gentis suae donum tamquam hereditario iure rettulit, quam uirtutem Claudiis ingenitam olim Hannibal et sensit et praedicauit.* (Metrum Alcaicum)

Scriptum est hoc carmen in Drusi laudem, quartum decimum in Tiberii honorem anno 741 uel 742 (a. Chr. 13 uel 12). Ipsa quidem uictoria de Raetis Vindelicisque anno urbis 739 uel ante Chr. anno 15 parta est (Dio LIIII 22, Liuius Epit. 136, Florus IIII 12 4 siue II 22, Plinius NH. III 24 (20), Suetonius Tib. c. 9, Velleius II 95 et 39, Strabo IIII 6 § 9), sed Horatium non statim ad laudes accessisse hinc apparet, quod Augusto rogante Raeticam et Vindelicam cladem cecinit. Suetonius in uita Horatii: *scripta quidem eius usque adeo probauit* (Augustus) —, *ut non modo Saeculare carmen componendum iniunxerit, sed et Vindelicam uictoriam Tiberii Drusique priuignorum suorum, eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo interuallo quartum addere.* Augustus autem ab anno 738 usque ad medium 741 in Galliae et Hispaniae terris uersatus est, ut ad secundum huius libri carmen uidimus. Itaque munus a Suetonio memoratum ante adultum annum 741 Flacco Caesar imponere non potuit: nam principem ex transmarinis prouinciis de his carminibus litteras ad poetam misisse iuste credi nequit. In urbe demum eam ob rem cum Horatio egisse principem tam per se uerisimile est quam ex subiectis Suetonii uerbis apparet, dico illa *eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris — quartum addere.* Scilicet duo postulauit Augustus, primum ut Horatius Drusum et Tiberium caneret, tum ut illae laudes non solitariae circumferrentur, sed cum ceteris odis post tres libros ante editos (735) interim subnatis quarto libro iungerentur, sic plus gratiae et auctoritatis habiturae. Hinc intellegitur Drusi et Tiberii laudes post cetera carmina libri quarti compositas esse et Augusto rogante unum corpus ex his duabus odis et reliquis confectum esse. Ex reliquis autem carmen quintum decimum altera parte anni 741, quintum et secundum prioribus eiusdem anni mensibus facta sunt, unde consequitur carmina totius libri postrema, dico hoc quartum et quartum decimum, non ante exitum anni 741 accessisse. Prima libri quarti poemata, nominatim tertium et sextum, cum proxime ante et post Saeculare carmen nata sint, h. e. anno 737, quartum librum annis 737 — 741 factum et sub principium anni 742 ceteris additum esse liquet.

1 — 28. Ingenti elatus spiritu et quasi abreptus admiratione rerum in

olim iuuentas et patrius uigor
nido laborum propulit inscium,
uernique iam nimbis remotis
insolitos docuere nisus

uenti pauentem, mox in ouilia
demisit hostem uiuidus impetus,

5. iumtis *A.* 6. propulit *Gg*ς *duo Blandinii:* ptulit *ABHω.* 7. uernique *AGω:* Vernisque *BH*ς. 8. *post h. u. repetit u.* 6 *et* 7 *A.* 10. inuidus *G.*

longinquis regionibus a Druso, trium et uiginti annorum iuuene, egregie gestarum, animum et audaciam adolescentis imperatoris, clades populi adhuc uictoris uariis imaginibus longe persequitur, declarando quam subito adolescentulus animum belli ducis ac robur aetatis assumpserit.

1—6. *qualem ministrum fulminis — propulit inscium: qualem ministrum* pro *sicut ministrum* more Graeco (*οἷον θεράποντα* pro *ὡς τὸν θεράποντα*); IIII 14 20: *qualis undas exercet auster;* Epod. 2 41: *Sabina qualis.* Iuuenalis II 29: *qualis erat nuper tragico pollutus adulter concubitu* cet. Aquilae nomen non ipsum ponitur, sed signis indicatur. *Iouis armiger* Vergilio Aen. V 255 audit aquila, item Statio imitatori Theb. III 532, cui u. 507 est *fulminis ardens uector.* Ales adiectiui uice fungitur, ut I 2 42, III 12 4, IIII 11 26.

2—3. *cui rex — permisit:* est idea a Graecis accepta. Pindarus Pyth. I 7: *ἀρχὸν οἰωνῶν*, XIII 21: *βασιλέα οἰωνῶν.* Ipsos *οἰωνούς* (h. e. aues solitarias et feras) *auis uagas* dixit Horatius.

3—4. *expertus — flauo:* hoc a Flacco repertum uidetur, regnum in aues uagas aquilae datum esse tamquam *γέρας* et *τιμήν* pro officio, quod strenue et fideliter praestiterat in Ganymede rapiendo. De Ganymede praeter alios cf. Pindari Olymp. I 44—45. *Raptus ab Ida* est III 20 16.

5. *olim iuuentas et patrius uigor: olim* (*vorlängst*) respondet proximo (u. 7) *iam:* nido pellitur aquila ante quam uolare ualet: propellit uero sua iuuentas et patris uigor (*patrius uigor*): Pater enim pro uigore suo pullos nido detrudit, ut uolare discant, de qua re fabulosa narrauit Plinius NH. X 4 (3). Alii *patrium* interpretantur 'ingenitum': aduersatur uerbum *propulit.*

6. *laborum — inscium:* etiam Drusus adhuc domi munia publica obiuerat, belli labores tum primum expertus est.

7—9. *uernique iam —pauentem:* iunge *uernique uenti,* h. e. temperati et lenes: opponuntur *nimbi* (hiberni), qui remouentur mitiore anni tempore; *iam* idem ualet quod *mox* in sermone pedestri. Aquila ineunte Aprili uel exeunte Martio per dies 21 ouis incubat. Poeta nouellas aquilas uerno tempore prouolare cogitauit, non demum, ut fit, mense Augusto.

8. *insolitos — nisus:* uolantis nisus (*Schwingungen*) dixit. Sic *pinnis niti* IIII 2 3. Lucretius VI 834: *pinnarum nisus inanis.*

9—10. *mox in ouilia — impetus:* postquam pinnis niti didicit, raptus exercere coepit. Amor dapis aquilam agit in *ouilia* (saepta ouium), pugnae cupido in *reluctantes dracones.* De draconibus siue serpentibus maioribus aduersus aquilam luctantibus cf. Homeri Il. *M* 200 sqq., Vergilii Aen. XI 751, Plinii X 5 (4).

nunc in reluctantes dracones
egit amor dapis atque pugnae;

qualemue laetis caprea pascuis
intenta, fuluae matris ab ubere,
iam lacte depulsum leonem
dente nouo peritura uidit,

uidere Raeti bella sub Alpibus

11—12. *Priscianus* VII 8 41. 13. Qualem ue *B.* cap̄a *A.* 16. uidet ς. 17. raeti *A*ς, reti *Gg*, retii *H*ς, rheti *B*ς.

13—16. *qualemue — uidit:* ad Drusum et hostes ab ipso depugnatos nondum uenire potuit, quia Raeti sub imagine ouium uel draconum non apte produci poterant. Itaque nouam imaginem intexuit eam, qua et Drusus et Raeti comprehenderentur.

13—14. *laetis — intenta:* Raetos adhuc uictores eoque dulci praedae ex uictis agendae intentos hac imagine monstrat. Qui subito conspiciunt Drusum ex Italia (Dio LIIII 22) in ipsos irrumpentem.

14. *fuluae matris ab ubere:* h. e. relicto fuluae matris (capreae) ubere. Praepositio *ab* notat rem tempore praegressam, iam non obtinentem. Tacit. Hist. II 92: *praeposuerat praetorianis Publium Sabinum, a praefectura cohortis,* ubi cf. mea. Laeta pascua fecerunt, ut matris uber caprea relinqueret. Opponitur pullus leo, quem seuera mater lacte suo depulit.

15. *iam lacte depulsum:* ut caprea relicta matre pascua, sic leo lacte depulsus praedam sectatur. Plerique perperam iungunt *fuluae matris ab ubere iam lacte depulsum leonem,* ut *fulua mater* dicatur leaena et alterutrum (aut *ubere* aut *lacte*) abundet. Veram rationem ostendit Nauckius, abs quo hactenus discedo, ut non iungam *intenta ab ubere.* Mater capreae *fulua* ob pellem uocatur, ut uitulus tener *fuluus* est IIII 2 60. Coniectantium labores non persequor.

17—18. *uidere Raeti bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici:* paulo abruptius, sed consulto, quippe insolitum proditurus, post *uidit,* in fine protasis positum, in principio ἀποδόσεως nudum *uidere* repetere uoluit, non *sic uidere* aut *talem uidere.* Hostes nominantur *Raeti Vindelici*, ubi Vindelici pro more poetarum nominis adiectiui uice fungitur (*die Vindelicischen Raeter*), ut *Raeti* gens, *Vindelici* natio uocentur. Qui accuratius loquuntur, Strabo, Liuius cum Floro, Suetonius, Raetos et Vindelicos discernunt, qui minorem curam adhibuere, nomine Raetorum etiam Vindelicos comprehendunt. In his est Dio Cassius LIIII 22, qui non nisi de *Raetis* a Druso et Tiberio deuictis narrat, non etiam de Vindelicis, quos pro *natione* Raetorum uidetur habuisse. Hac ratione etiam Horatium usum esse quo minus credamus, nihil impedit. Sequor igitur codices, Acronem et Porphyrionem ('qualem aquilam uel leonem inbellis praeda, talem Drusum uidere Raeti Vindelici'. Acron; 'scripta est ergo in Neronem Drusum priuignum — qui Raetos Vindelicos bello uicit'. Porphyrion), etiam Seruium Vergilii interpretem ad Aen. I 243, non N. Heinsium et Bentleium *Raetis* conicientes, ut sit *Raetis sub Alpibus.* Hoc ipsum ceteris male conuenit. Raeti enim et Vindelici in hoc bello iuncti erant et utrique a Neronibus domiti sunt: mirum igitur, si soli Vindelici sub *Raetis Alpibus* Drusum uidissent bella gerentem, non etiam Raeti, in quorum sedibus exercitus suos Drusus explicuit. Porro foedum

Drusum gerentem Vindelici; quibus
mos unde deductus per omne
tempus Amazonia securi

dextras obarmet, quaerere distuli,
nec scire fas est omnia, sed diu
lateque uictrices cateruae
consiliis iuuenis reuictae

18—21. quibus — distuli *Seruius ad Vergil. Aen.* I 243. 21. obarmet *BHg,* subarmet *G.* querere *GH.* 22. Nec scire *Hgω:* nescire *A pr B pr G, correcti a. m.* Nec scire. 24. reuictae] repressae *Graeuianus Bentlei.*

uitium sic infertur: non enim sub Raetis Alpibus, unde Rhenus prorumpit, sed Tridentinis Alpibus Drusus hostem offendit ac reiecit; cf. ad u. 24. Raeti Vindelici a Druso sub Alpibus oppugnati fuere *Breuni* et *Genauni;* cf IIII 14 10.

18—22. *quibus mos — fas est omnia:* est digressio et lyrico poeta digna et huic loco apte inseruiens. Nimirum Horatius post impetum quasi nouas uires colligens paulum immoratur in antiqua (Amazonia) Raetorum armatura. Immoratur autem ob doctos adulatores, qui Raetos Vindelicos cum Amazonibus iungentes insolitam nobilitatem illi populo uindicare et uictores Nerones suo inuento illustrare conati sunt. Hoc collige ex his uerbis Porphyrionis: 'hi Vindelici ab Amazonibus eiecti suis sedibus ex Thracia in exilium se contulisse alio inque iugis insedisse *dicuntur*, et quod potissimum in se tela securesque Amazonum experti fuerint, ipsos usum earum in bello accepisse'. Itaque Horatius eorum labores irridet, qui Vindelicis speciem antiquitatis, Neronibus maiorem gloriam conciliare intenderant. Digressionem non minus sobriam et critico dignam habes apud Pindarum Ol. I 28—42.

19—20. *per omne tempus:* ab ultima antiquitate usque ad hos dies; pendent haec a uerbo *obarmet.*

20. *Amazonia:* qua uti solent Amazones, *securigerae puellae* (Ouid. Heroid. 4 117); Plinius NH. VII 57 (56) § 201 *: hastas uelitares Tyrrhenum Pisaeum, Penthesileam Amazonem securim* (inuenisse dicunt). Securi armatas etiam artis opera illas plerumque monstrant, quorum numero nuper accessit gladius Mogontiaci repertus, a Kleinio lineamentis expressus adiecta commentatione.

21. *obarmet: ob* hostilem animum exprimit, ut in *obsidere, obequitare, occurere, obfirmare.* Vel hoc uerbum ab Horatio primo ausum tam elegans est, ut interpolator, quem plures critici auctore Guieto in uerbis *quibus mos — fas est omnia* (18—22) odorati sunt, in id numquam incidisset.

22. *nec scire fas est omnia:* Pindarus Isthm. I 63: *ἦ μὰν πολλάκι καὶ τὸ σεσωπαμένον εὐθυμίαν μείζω φέρει.* Nem. V 18: *καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπῳ νοῆσαι.*

22—23. *sed diu lateque uictrices cateruae:* in Italiam superiorem et in Galliam praedabundi irruperant. Dio LIIII 22. Aduersatiua particula *sed* spectat secures Raetorum aduersariis timendas; quapropter uerba u. 18—22 *quibus — omnia* non bene signis parenthesis circumdantur.

24. *consiliis iuuenis reuictae:* antea uictores iam ipsi a Druso uincuntur, h. e. reuincuntur. Dio l. c.: *ὁ Αὔγουστος πρῶτον μὲν τὸν Δροῦσον ἐπ' αὐτοὺς ἔπεμψε· καὶ ὃς πρὸς τοὺς ἀπαντήσαντάς οἱ αὐτῶν περὶ τὰ Τριδέντινα ὄρη συμβαλών, διὰ ταχέων ἐτρέψατο, ὥστε καὶ τιμὰς στρατηγικὰς ἐπὶ τούτῳ λαβεῖν.* Victi sunt in ualle, quam Athesis perfluit, sub Tridentinis Alpibus, quo Drusus

sensere quid mens, rite quid indoles
nutrita faustis sub penetralibus
posset, quid Augusti paternus
in pueros animus Nerones.

fortes creantur fortibus et bonis;
est in iuuencis, est in equis patrum
uirtus, neque inbellem feroces
progenerant aquilae columbam:

doctrina sed uim promouet insitam,
rectique cultus pectora roborant;

26. peꝗ̃tlibꝫ (*h. e.* penitralibus) *A*. 27. Possit *H*. 28. neronis *Ag*. 29. fortes — fortibus *Seruius ad Vergil. Aen.* I 590. 31. neq; inbellẽ *AB*, neque ībellem *g:* nec inbellem *G*, nec imbellem *H*. 34. *Eutychius* II 13.

missu Augusti cum exercitu ex Italia contenderat; mox idem Alpes Tridentinas supergressus ad Oenum fluuium et Danubium prorupit.

25. *sensere:* ut ante (u. 17) *uidere*, nunc fortius *sensere* consulto in principio strophae collocatum est. Ne Augusti laudes obumbrentur, uirtutis bona pars ex diligente educatione Drusi et fratris Tiberii repetitur.

25—26. *quid mens, rite quid indoles nutrita faustis sub penetralibus:* mens deorum fauore Druso contigit, sed indoles eius rite nutrita est Augusti cura; fausta penetralia domum Augusti dicit Druso et Tiberio faustam. Nihil inest adulationis foedae, quam incurrimus apud Velleium II 97: *Tiberius innutritus caelestium praeceptorum disciplinis.* Olim distinguebatur *quid mens rite*, *quid* cet.: correxit Nauckius.

28. *in pueros — Nerones: pueri* Nerones in Palatio diligenter culti et eruditi sunt. Suetonius de ill. Gramm. c. 17 de Verrio Flacco: *ab Augusto quoque nepotibus eius praeceptor electus transiit in Palatium cum tota schola; — docuitque in atrio Catilinae domus, quae pars Palatii tunc erat, et sestertia centena in annum accepit.* Tiberii nomen in hoc carmine tacetur, quod in eius honorem quartum decimum huiusce libri eodem tempore poeta composuit.

29—36. Bonam indolem natura Neronibus dedit, sed haec cultu demum et praeceptis ad summum perfectionis gradum euecta est.

29. *fortes — bonis:* cf. Pindari Pyth. VIII 44: *Φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα.* Seneca Troad. 537: *generosa in ortus semina exurgunt suos.* Consulto, ut uidetur, post *Nerones* continuo *fortes* subsequi fecit: nam Neronis nomine *significatur lingua Sabina fortis ac strenuus* (Sueton. Tib. 1).

30—32. Sententiam modo positam exemplo animalium adprobat.

33—34. *doctrina — roborant: promouere uim* est augere uel facere, ut uis amplius serpat; *roborare pectora* i. q. curare ut illecebris culpae siue peccati resistere possint.

35. *utcumque defecere mores:* qui deficiunt, ab officio et recto discedunt. Mores domus principalis eximios esse significauit; *utcumque* nunc est particula temporalis pro *simulatque;* cf. ad u. 42.

utcumque defecere mores,
indecorant bene nata culpae.

quid debeas, o Roma, Neronibus,
testis Metaurum flumen et Hasdrubal
deuictus et pulcher fugatis
ille dies Latio tenebris,

qui primus alma risit adorea,
dirus per urbes Afer ut Italas
ceu flamma per taedas uel Eurus
per Siculas equitauit undas.

35—36. utcumque dedecere (*sic*) — culpae *schol. Iuuenal.* XIIII 1. 36. Indecorant ςΣ: Dedecorant *ABGHgω scholiasta Iuuenalis et Commentator Cruquii.* 38. testis M. flumen *Seruius ad Vergil. Ecl.* 5 21.
40. illi *A.* Lacio *H.* 41. arma ς, arma *B* (l *ab al. m.*). 42. Durus *pr G, non ABHg.* 43. tedas *BGH.* 44. singulas *A.*

36. *indecorant:* nouum uerbum iam pridem et in optimis libris a glossa *dedecorant* oblitteratum est neque aliter Cruquius in Blandiniis uidetur inuenisse. Acron tamen et Porphyrion aperte *indecorant* tuentur, ille scribens: '*indecorant*, indecora faciunt', hic: '*indecorant*, indecora faciunt ac per hoc *dedecorant* significat'. *bene nata:* supple pectora, τὰ φυῇ καλά, τὰ εὐφυῇ. *culpae: peccata;* cf. III 6 17.

37—72. Virtutem insitam Druso Tiberioque e gentis Claudiae indole repetit celebrans gentilem admodum illustrem, C. Claudium Neronem, Hasdrubalem qui uicit bello Punico secundo.

37. *quid debeas — Neronibus:* his et proximis praeter Drusum etiam Tiberius frater extollitur. Sic in carmine quarto decimo, quod Tiberii laudes persequitur, etiam Drusus obiter laudatur.

38—39. *testis Metaurum flumen et Hasdrubal deuictus:* hoc melius quam *Hasdrubal ad Metaurum flumen deuictus.* Scilicet fluminis deus, qui uiderat cladem et tulerat funera Poenorum, testis esse potest. Dicit cladem ad *Senam* anno urbis 547 Hasdrubali a Claudio Nerone et Liuio Salinatore illatam. Liuius XXVII 43—51. Polyb. XI 1—3. *Metaurum flumen* ut *Rhenum flumen* AP. 18. Aliter se habet *Medum flumen* II 9 21.

39—40. *pulcher — tenebris:* tenebras illas ex Alpibus ab Hasdrubalis exercitu Latio imminentes ultor Claudius ad Metaurum fugauit. Hinc dies splendidus (*pulcher*) Romanis lucebat; cf. IIII 2 46: *o sol pulcher.*

41. *qui primus alma risit adorea: adorea* antique pro *gloria bellica;* cf. lexica; *alma:* quae refecit animos Romanorum.

42—44. *dirus per urbes Afer ut — equitauit: ut* temporis significationem habet (*postquam*), perinde ac paulo ante *utcumque.* Conf. Epod. 3 10: *ut — Medea mirata est;* adde ibid. 5 11, 7 19, 16 64. Serm. I 6 27 et 56, 9 13, II 1 24, 2 128; Epl. I 7 72, 15 26, II 1 93. De *diro* Hannibale cf. ad III 6 36.

43—44. *ceu flamma — undas:* et celeritatem et rapidum impetum Hannibalis describit in laudem Claudii Neronis.

post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes creuit, et inpio
uastata Poenorum tumultu
fana deos habuere rectos.

dixitque tandem perfidus Hannibal
'cerui, luporum praeda rapacium,
sectamur ultro quos opimus
fallere et effugere est triumphus.

gens, quae cremato fortis ab Ilio
iactata Tuscis aequoribus sacra
natosque maturosque patres
pertulit Ausonias ad urbes,

45. Post hoc *Agω:* Per hoc *B*, post hęc *H*, Post hunc *G*. 46. creuit ⁊ etimpio *A*. impio *mei*. 47. pęnorum *G*. 50. preda *G*. rapatium *B*. 52. est *om B*. 53. quae] q; *pr B*, q̃ *corr B*. 54. equoribus *H*.

45—46. *post hoc — creuit:* hoc pertinet ad militares successus duce Scipione in Africa factos. *Pubes* idem quod *iuuentus*. *Creuit* ualet *increuit*, ut Poenis superior esset.

46—48. *et inpio — rectos:* hoc pertinet ad ordinem domi restitutum. Pacę per Italiam parta delubra deorum et imagines a Poenis euersae refectae sunt.

46—47. *inpio — tumultu: tumultum* (*Kriegslärm*) appellat bellum Punicum, quia Karthaginienses in Italiam irruperunt et ad urbis portas accesserunt, *inpium*, quod hostes fana deorum euerterunt. Cf. Liu. XXVI 11.

48. *deos — rectos:* est ὀρθωθέντας. Qui ante humi iacuerant, erigebantur et in solitum statum reponebantur.

49 — 72. Hannibalem magnum Claudii facinus et uirtutem Romanam agnoscentem inducit.

49. *dixitque:* in principio enuntiati positum ualet *dixit quoque*. Male ante h. u. commate distinguunt. Perfidum Romani Hannibalem ferebant, quod ipso auctore bellum susceptum est fracto pacis foedere. Liuius XXI 4: *perfidia* (in Hannibale) *plus quam Punica*. De Hannibalis post cladem fratris dicto cf. Liu. XXVII 51: *Hannibal tanto simul publico familiarique ictus luctu agnoscere se fortunam Karthaginis fertur dixisse*.

50. *cerui:* in pedestri sermone foret *nos cerui;* cf. ad III 17 5.

51. *sectamur:* sequi studemus; *opimus — triumphus:* uocabulum *opimus* de spoliis ducis hostilis ab imperatore Romano caesi dici solitum noue ad *triumphum* rettulit.

53—60. A Claudio eiusque exercitu assurgit orator et populum Romanum uniuerse depingit, fortitudinem et constantiam proprias eius artes laudat.

53—56. Ipsam cladem et fugam Troianorum in gloriam populi Romani uertit, cuius est proprium a clade nouas ducere uires. Inest his uerbis luculenta recordatio Aeneidis Vergilianae. *Sacra* dicit *Penates* Vergilii.

56. *pertulit — urbes: pertulit*

duris ut ilex tonsa bipennibus
nigrae feraci frondis in Algido,
per damna, per caedes, ab ipso
ducit opes animumque ferro.

non hydra secto corpore firmior
uinci dolentem creuit in Herculem,
monstrumue submisere Colchi
maius Echioniaeue Thebae.

merses profundo, pulchrior euenit;
luctere, multa proruet integrum

57. tunsa *H.* 58. alcido *A.* 59. dampna *BGH.* cedes *BGH.* 61. ydra *G.* 63. Monstrum ue *BG.* summisere *GH.* cholchi *G.* 64. echioniae ue *A*, ęchioniae ue (ę *est in rasura*) *B*, echioneę ue *G*, echionie ue *g*, echioniae uel *H.* thebe *G.* 65. merses *BG* (*G alterum* e *est in litura*) ς *Acron:* merʒ *A*, mersus *Hg*ς *duo Bland.* euenit *ABGHgω Acron:* exiet *perpauci.* 66. proruet *ABGHω Acron:* proruit *nonnulli,* prouehit *g.*

longum errorem et longinqua maria significat.

57—68. Patientiam et constantiam Romanam extollit.

57. *tonsa:* tondetur ilex, cuius folia (= comae) et rami amputantur.

58. *nigrae feraci frondis:* nigra frons in quercu et arboribus piniferis, quales in Algido.

59. *per damna, per caedes:* damna intellege agri et pecuniae, caedes iuuentutem in proeliis interemptam.

61. *secto corpore:* breuiter pro *capitibus resectis;* cf. III 27 75.

62. *uinci dolentem:* cum dolore uictoriam sui sentientem.

63—64. *monstrumue — Thebae:* tertium comparationis est, quod Romanis post clades semper nouae uires succrescunt, ut Colchis post domitos tauros Sparti aduersus Iasonem exorti, Thebis post caesum draconem itidem Sparti in Cadmum subnati sunt. Quod illi conserta manu occubuerunt, poeta respicere noluit. Hoc tamen urget Meinekius eoque uersus 61—64 in marginem seposuit.

63. *submisere:* submisere (ἀνέπεμψαν) dixit, quod monstra Colchis aduersus Iasonem, Thebis in Cadmum ex solo agri succreuere. Lucretius I 8: *tellus submittit flores.* Propertius I 2 9: *submittit humus formosa colores.*

64. *Echioniaeue:* Echion gener Cadmi cum ipso urbem Thebas aedificauit et gentem propagauit. Apollodor. I 9 5. Statius Theb. III 492: *soluere Echionias* (Thebanas) — *portas.*

65. *pulchrior euenit:* noue dixit *euenit* pro ἐξέρχεται, ἀνήκει, h. e. super maris superficiem prodit. *Exiet* ex paucis ac malis testibus pendet. In hoc pugnae nauales et bellum Punicum primum spectantur, in proximo membro proelia belli Punici secundi in Italiae solo depugnata.

66—67. *multa proruet integrum cum laude uictorem* (*so wird er samt der Fülle seines Ruhmes den* (bis dahin) *unversehrten Sieger zu Boden werfen*): hoc cum dicit Hannibal, semet ipsum et Poenos ante cladem Hasdrubalis uictores respicit; additum *multa cum laude* refer ad *uictorem*, ut sit 'proruet integrum sine uiribus nondum acceisis uictorem

cum laude uictorem, geretque
proelia coniugibus loquenda.

Karthagini iam non ego nuntios
mittam superbos: occidit, occidit
spes omnis et fortuna nostri
nominis Hasdrubale interempto'.

nil Claudiae non perficient manus,
quas et benigno numine Iuppiter

67. geretque *ABGHgω Porphyrion:* geritque *perpauci.* 68. Proelia *BGH:* p̄lia *A.* 69. Karthagini *Gς:* Carthagini *g,* Kartagini *BH,* cartagini *A.* nuncios *H.* 70. mittat *A.* 73. perficient *ABGHgω:* perficiunt *u. Blandinius cum paucis,* efficient *nonnulli.* 74. iupiter *GH, non AB.*

et laudem illius. Vulgo interpretantur 'Romanus multa cum laude proruet'.

68. *coniugibus loquenda (worüber Gattinnen zu reden haben werden):* quae caesorum coniuges loquantur. Sic uere accepit Landinus, item Mitscherlichius. Scilicet tria per gradus in Romano laudat Hannibal, quod ille mari mersus inde se extollat, quod integrum uictorem et partam gloriam prosternat, quod hostiles exercitus sic fundat, ut non supersit cladis nuntius. Non recte Acron interpretatur: 'aut pro laude uictoriae referenda coniugibus, aut pro maritorum uirtute coniugibus narranda'. Perinde Porphyrion. Non rectius Orellius scribit: 'de quibus coniuges Romanorum et cum filiis et inter se cum uoluptate iustaque gloriatione uerba faciant'. Immo totius loci uis et uirtus eo redit, ut Romanorum constantia ac fortitudo ab hostibus celebretur, non ut ipsi de suis rebus glorientur. Vt nomen *coniugibus* pro caesorum coniugibus accipi possit, et positio uocis ante *loquenda* et totius sententiae nexus, postremo numerus multitudinis singulari iunctus faciunt. Ipsum *loquenda* est *narranda*, ut IIII 15 1: *proelia loqui uictas et urbes.*

69—70. *Karthagini — superbos:* quales miserat post pugnam Cannensem; Liu. XXIII 11.

72. *Hasdrubale interempto:* Liu. XXVIII 12: *post Hasdrubalis uero exercitum cum duce, in quibus spes omnis reposita uictoriae fuerat, deletum,* cet.

73—76. 'Iam hic poeta loquitur'. Acron. 'Haec iam poetae uerba sunt, non adhuc Hannibalis'. Porphyrion. Recentiores interpretes in alia abeunt. Verum Hannibal tristi nuntio percussus de clade Poenorum et fortitudine Romanorum questus est, de duce Romani exercitus sibi non cognito nihil dixit, more hominum qui singula curare non solent, cum magno malo oppressi sunt. Neque iuste Hannibal pergere potuit *nil Claudiae non perficient manus:* nam una uictoria adhuc Claudius censebatur, et hanc alter consul Liuius Salinator simul rettulit. Sed in ore Horatii apta sunt haec uerba, quippe qui et ueterem fortunam Claudiorum et recentem cognouerit. Aliud et satis ualidum huius sententiae firmamentum contineri uerbis *curae sagaces* statim uidebimus. Perinde carmen 3 libri III post orationem Iunonis uerbis poetae concluditur.

73. *perficient: perficiunt* in paucis libris propinquo *expediunt* praue assimilatum est.

74. *benigno numine Iuppiter:* Tacitus Ann. IIII 64: *sanctos acceptosque numinibus Claudios.* Numine h. l. est pro diuino fauore.

75. *curae sagaces:* 'i. e. optima Augusti consilia'. Acron. Verum uidisse puto ueterem interpretem. Au-

defendit et curae sagaces
expediunt per acuta belli.

V.

Diuis orte bonis, optime Romulae
custos gentis, abes iam nimium diu:

76. peracuta *u. Blandinius.*

Ad Aug̃ De expeditione eius tarda orat (*in libro est TARDA . ORAT*). Paeanis species proseutice tetracolos. metrum tribus uersibus asclipiadeum, tertius glyconius *A.* Ad caesarem augustum absentem proseutice *B.* Ad caes. aug. abs. *H.*

1. *Diomedes* III 38. romuleę *A*, Romule *H Diomedes.*

gustum enim consilia rei gerendae iuuenibus dedisse disertim declaratur IIII 14 13. Alii curas ipsorum Neronum intellegunt: uerum tribus uersibus extremis indicantur ea, quibus Neronum fortitudo (*Claudiae manus*) aliunde iunetur. *Curae sagaces* Augusto sapientissimo principi bene conueniunt et apte cum fauore caelesti Iouis componuntur. Haec Hannibalis ori non conuenire manifestum est.

76. *acuta belli:* scite sic graues bellorum casus nominantur, imagine repetita a nauigio per acutos scopulos iter expeditum nanciscente. Iunctura ipsa poetica est, a Liuio et scriptoribus sequentibus uarie adoptata, ab Horatio modice ascita h. l. et II 1 23: *cuncta terrarum*, 13 27: *dura nauis — dura belli;* IIII 12 19: *amaraque curarum.* In Sermonibus idem nonnisi genetiuum *rerum* sic admisit, Serm. II 2 25, ubi est *corruptus uanis rerum*, II 8 83: *ridetur fictis rerum.* AP. 49: *abdita rerum.* Conf. Epl. I 17 21. Semel etiam in Sermonibus est *contractae seria frontis*, sed ut additum *contractae* structuram leniat. Paulum differt quod est Serm. II 3 2: *scriptorum quaeque.*

Carm. V. Prooemium. *Abes iam nimium diu, Caesar. Quamprimum ut redeas ingenti desiderio tota ciuitas expetit. Nam tu pacem dedisti, ordinem et bonos mores domi restituisti, securitatem nobis aduersum exteras nationes parasti. Vnde factum est ut ciues laeti uitam degant tèque ut deum uenerentur.* (Metrum 18)

Ode composita est per absentiam Caesaris, qua tempestate ille res Galliarum et gentium finitimarum ordinauit (annis 738—741), non diu ante reditum eius, qui secutus est ineunte mense Iulio anni 741 (a. Chr. 13). Conf. ad IIII 2. Locus carminis non sine consilio sic delectus est, ut post Drusi priuigni laudes ipse princeps et pater continuo celebretur. Idem prouisum est post oden huius libri quartam decimam. Conf. Prooemium Carm. IIII 15.

1 – 4. Reditum principis expetit cum ob nimis diuturnam Caesaris in prouinciis absentiam, tum ob promissum patribus datum.

1. *diuis orte bonis:* boni siue benigni fuere diui, cum talem uirum oriri uellent; cf. IIII 2 37—38. Contrarium est Sermon. II 3 8: *dis iratis natus paries.*

1—2. *Romulae gentis: Romulae* pro uulgari *Romuliae* ex more poetarum. Vergil. Aen. VI 877: *Romula tellus.* Haec licentia iure sumpta est: nam *Romulus* proprie adiectiuum est a *Roma* detortum.

2. *custos:* cf. IIII 15 17: *custode rerum Caesare.*

maturum reditum pollicitus patrum
sancto concilio, redi.

lucem redde tuae, dux bone, patriae:
instar ueris enim uultus ubi tuus
affulsit populo, gratior it dies
et soles melius nitent.

ut mater iuuenem, quem notus inuido
flatu Carpathii trans maris aequora
cunctantem spatio longius annuo
dulci distinet a domo,

3. redditum *A*. 4. concilio *ABGHgω:* consilio ς. 7. afful-sit *Agω*, adfulsit *duo Blandinii:* Effulsit *BGH*ς. gracior *H*. it] et *unus Blandinius*. 8. sole *A*. 9. notus *A:* nothus *BGHg*. 10. flat} *A*. carpatii *B*, carpacii *H*, carpati *A*. equora *G*. 11. spacio *GH*. 12. distinet *ABGHω Blandinii:* destinet *g*, detinet ς. adomo *B*.

3—4. *pollicitus patrum sancto concilio:* hoc pollicitus est aut cum abiit Caesar, aut legationi patrum ad ipsum in Galliam missae. De legatione cepit Acron: 'Augusto scribitur, qui transmarinis partibus diu residens, senatus ac populi precibus legatione missa reditum suum promittens, immorabatur'. *Sanctum* uocatur patrum concilium, quod Romulus senatum *auspicato* instituerat. Lege Taciti Hist. I 84. Vergil. Aen. I 426: *iura magistratusque legunt sanctumque senatum*. *Concilium* senatus est, quatenus coit conciturque, *consilium*, quatenus consulit.

5. *lucem — patriae:* a senatu pergit ad ciues urbis Romae, quae Augusto *patria* est. *Lucem reddere* cum paulo fortius dictum sit, quo id ualeat, continuo explicatur u. 6—8. *Bonus*, quod alibi benignitatem indicat, nunc cum nomine *dux* iunctum idem ualet quod ἀγαθὸς στρατηλάτης, *fortis dux* legionum tuarum: quippe in prouinciis Caesar legionibus et exercitibus ipse imperabat aut certe cogitabatur imperare (*wackerer Heeresfürst*) Non sine causa mox (u. 37) idem repetitur, ubi in Graeuiano codice et Reginensi foede interpolatum est *rex bone;* cf. IIII 8 14 sqq. Addas Epl. II 2 1 et 115. Catullus 64 23: *o bona matrum progenies*, ut ex scholiis Veronensibus Vergilii Aen. V 80 illic reponendum esse post Lachmannum uidit Hauptius in indice lectionum aestiu. Berol. 1855. Sallustius Iug. 57: *parique periculo, sed fama inpari boni atque ignaui erant*.

8. *soles:* soles singulorum dierum.

9—16. Materno desiderio filii diu absentis comparat uota ciuium Romanorum, quibus Augustum repetunt.

10. *Carpathii — maris:* Carpathium mare inter Rhodum et Cretam positum; cf. I 35 8. Iuuenem in Aegypto morari cogitauit Acron. Potuit etiam in Syria uersari; numerus multitudinis *maris aequora* ampli maris spatium indicat.

13. *uotis ominibusque et precibus uocat: uocat* est 'ad se uocat', eo quod *uotis* deos ambit, *precibus* orat, *ominibus* percontatur.

14. *curuo — dimouet:* ibi aduentare filium sperat. Curuum litus uocatur, quod moles arenae marinae in curuam speciem collectae iacere solent; conf. I 33 16: *curuantis Calabros sinus*. Epod. 10 21: *praeda curuo litore porrecta*. A simili specie testudinis lyra *curua* nominatur I 10 6, III 28 11.

uotis ominibusque et precibus uocat,
curuo nec faciem litore dimouet,
sic desideriis icta fidelibus
quaerit patria Caesarem.

tutus bos etenim rura perambulat,
nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
pacatum uolitant per mare nauitae,
culpari metuit fides.

nullis polluitur casta domus stupris,
mos et lex maculosum edomuit nefas,

13. omiaibus *G*, omnibusque *H*. iuocat (*punctum superpos.* i *delendum indicat*) *A*. 14. littore *H*. dimouet *ABGHgω* '*tres codices*' (*Blandinii*) *apud Cruquium:* demouet ς. 16. querit — cesarem *GH*. 18. faust) *A*.

15. *desideriis icta fidelibus:* desideriis, quae pectora ciuium fidelium mouent; *desideriis perfixa iuuenci* est apud Lucretium II 360.

17—28. Huius desiderii et ciuium erga Augustum amoris causas persequitur, ueteres clades et noua componens bona.

17—20. Caesar agris et mari securitatem, mercantibus fidem reddidit.

17. *tutus — perambulat:* rura perambulare ego de arante boue dictum accipio, non ut Mitscherlichius et alii, de pascente: bos enim pascitur in *pratis* uel in *pascuis;* tum proxime, ubi haec idea amplius exornatur, non *Pales* pastorum dea, sed *Ceres* frugum fautrix *rura* nutrire memoratur. Expulsio illa agricolarum olim a triumuiris iussa iam penitus abolita est. IIII 15 5: *tua, Caesar, aetas fruges et agris rettulit uberes* cet.

18. *nutrit — Faustitas:* Augusti curam ruris fauor deorum agrestium subsequitur et adiuuat; mire Bentleius in *ἀναδιπλώσει nutrit rura* consulto admissa offendit, *farra* pro *rura* commendans. *Faustitas* noue pro *Copia* siue *Abundantia;* carm. Saec. 59: *beata pleno Copia cornu.*

19. *pacatum — nauitae:* dicit mare a latronibus purgatum eoque in usum nautarum et commercii pacatum opera Augusti, h. e. classe longarum nauium ad Misenum et Rauennam posita. Tacit. Ann. IIII 5. Sueton. Aug. c 98.

20. *culpari metuit fides:* haec pertinent ad fidem commercii et negotiorum. Quod quisque pollicitus est, ratum habet et exequitur. Contrarium olim obtinuit; cf. III 24 59 sqq.

21—24. Familiarum et nuptiarum corruptio sublata est. Quod poeta desiderauerat a. 725 (Carm. III 24), item anno 726 (Carm. III 6), in eo satisfactum sibi nunc profitetur. Prouisum est castis moribus *lege Iulia de adulteriis et pudicitia* lata a. 736. Dio LIIII 16. Sueton. Aug. c. 34 et 65. Iustin. Instit. IIII 18 § 4.

22. *mos — nefas:* maculosum nefas dicit adulteria et nefandam cum masculis libidinem. Iust. Inst. l. c.: *lex Iulia — non solum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, sed et eos qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent.* Non bene Orellius de lege Scantinia ante tempora Augusti lata cogitauit. Quod nunc adest, Flaccus desiderauit a. 725, cum cecinit III 24 35: *quid leges sine moribus uanae proficiunt?*

laudantur simili prole puerperae,
culpam poena premit comes.

quis Parthum paueat, quis gelidum Scythen,
quis Germania quos horrida parturit
fetus, incolumi Caesare? quis ferae
bellum curet Hiberiae?

condit quisque diem collibus in suis,
et uitem uiduas ducit ad arbores;

23. laudatur primo prole puerpera nato *Isidorus Orig.* XI 2 17. 24. "premit" poena (*h. e.* poena premit) *B.* 25. scythen *Gg:* scyten (h above) (h *est ab ead. m.*) *B*, scithen *AH.* 26. germana (i above) — paturit (r above) *G.* 27. Foetus *BH,* Fętus *G.* incolimi *pr H.* cesare *BG.*

23. *simili prole:* patribus simili, quod est argumentum fidei coniugalis. Catullus 58 225. Martial. VI 27 3. Hesiod. Ἔργ. 223. Theocrit. 17 44.

24. *culpam — comes:* qui uiolauerint pudicitiam, poena statim coercentur.

25—28. Exterae nationes nihil timentur: nam Caesarem aut uerentur (Parthi, Scythae, Germani), aut subactae sunt (Cantabri siue Hiberi). De Parthis cf. ad II 9, de Scythis ibidem et ad IIII 14 42.

26—27. *quos horrida parturit fetus:* uerbo parturiendi fetus indicantur inmanes, qui non sine multo labore matrum eduntur. Sygambri post cladem Lollianam pacem petiuerant (cf. ad IIII 9), Raeti et Vindelici Germanis uicini et cognati subacti sunt a. 739.

27—28. *ferae — Hiberiae:* postrema Cantabrorum rebellione a. 735 composita Hispania (*Hiberia*) tota domita erat et pacata (Dio LIIII 11); cf. ad Epl. I 12 26. Carm. IIII 14 50: *duraeque tellus audit Hiberiae* (te, Caesar).

29—40. Ordinem domi sancitum, pacem apud exteros restitutam secuta est securitas ac laetitia et gratissimus ciuium affectus erga auctorem uitae beatae, quem tamquam deum uenerantur.

29. *condit — in suis:* ut in stropha quinta (17—20) de aratoribus, nautis, mercatoribus dixit, sic uinitores huic loco reseruauit. Quippe ad hilarem uitam uitibus praecipue opus est. Vinitores in *suis* uineis (*collibus*), non in mercede conductis, laeti usque ad uesperam agunt (*condunt diem*), non pertaesi operae, cuius certum fructum prospectant. Comparant Vergilii (Ecl. 9 51) *condere soles;* Plinii Epl. VIIII 36: *et quamquam longissimus dies cito conditur.* Callimachi (Anthol. Palatin. VII 80): ὁσσάκις ἀμφότεροι ἥλιον ἐν λέσχῃ κατεδύσαμεν.

30. *uitem — arbores:* cf. annot. ad Epod. 2 10: *altas maritat populos.*

31. *ad uina redit:* redit domum unde mane abiit, uespertinis horis laete acturus. Quod in nonnullis libris scriptum legitur *uenit*, id praua assimilatione (*uina uenit*) ex *redit* natum est ac Bentleium decipere non debuit.

31—32. *alteris te mensis adhibet deum: alterae* sunt mensae quae cibis remotis cum uino afferuntur. Cum dis et heroibus libatur, etiam

hinc ad uina redit laetus et alteris
te mensis adhibet deum.

te multa prece, te prosequitur mero
defuso pateris, et Laribus tuum
miscet numen, uti Graecia Castoris
et magni memor Herculis.

'longas o utinam, dux bone, ferias
praestes Hesperiae' dicimus integro
sicci mane die, dicimus uuidi,
cum sol Oceano subest.

32. adhibet] rogat *G.* 34. Defuso *BHω u. Blandinius:* Diffuso *AGgς.* 35. ḡcia *A:* grecia *BGH.* 36. hercolis *A.* 38. Prestes *BGH.* 40. ocęano *B.*

tibi de patera uinum effunditur tamquam numini.

34—35. *Laribus tuum miscet numen:* te in numinibus quae domum tuentur, ueneratur. De ueneratione Augusti cf. Dio LI 19, LIIII 25.

37—38. *longas — Hesperiae:* Augusti principatus Italiae incolis quasi continuum festum erit. Cf. I 2 46. *integro — die:* cum nulla diei pars consumpta est.

39. *sicci:* uox alioqui uulgaris poetica fit opposita *uuidi.* Sicci sunt qui nullo uino madent, *uuidi,* qui uino calent ac spirant. Cf. I 18 3, Epl. I 19 9.

VI.

Diue, quem proles Niobea magnae
uindicem linguae Tityosque raptor
sensit et Troiae prope uictor altae
Phthius Achilles,

ceteris maior, tibi miles inpar,
filius quamuis Thetidis marinae
Dardanas turres quateret tremenda
cuspide pugnax.

Apollinis laudem refert, qm̄ servavit Aenean auctorem originis Romanae. proseutice tetracolos *A*. Ad apollinem eucharistice *B*. In Apollinem *H*.

2. tityosque *A:* tytiosque *BGH*, tyciosque *g*. 4. pthius *AG*, Pithius *B*, Thyus *H*. 5. inpar *G*, īpar *g:* impar *AH*. 6. t[h]etidis (h *ab a. m.*) *A*.

Carm. VI. Prooemium. *Tu Phoebe, numen potentissimum, qui ante urbem conditam rei Romanae iam prospexisti, defende decus carminis a me facti, a choro puerorum ac uirginum recitandi. Vos pueri puellaeque, diligenter discite modos meos ac rite decantate.* (Metrum Sapphicum)

Hanc oden aggressus est a. 737 siue ante Chr. 17 post factum carmen Saeculare, sed ante quam illud festo die cantaretur. Vtrique poemati successit quod tertium huius libri locum occupauit: illud enim cecinit, cum Saeculare carmen editum esset et iustos honores auctori peperisset, hoc scripsit, cum euentus publicae recitationis in incerto esset.

1—4. Initium laudandi Apollinis cepit ab iusto inproborum ultore.

1—2. *magnae uindicem linguae:* mater Niobe magna lingua (*μεγάλῃ γλώσσῃ*) peccauit, sed Horatius haec sic posuit, quasi Niobes liberi ipsi magna locuti sint, ut iure caesi uiderentur. Magna lingua, quae nimis alta sibi arrogat, deos ultores prouocat. Sophocles Antig. 127: *Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους ὑπερεχθαίρει.*

2. *Tityosque raptor:* necem raptoris Tityi, qui uim facere Latonae intendit (Apollod. I 4 1), pro suo consilio ad unum Apollinem rettulit (perinde Quintus Smyrn. III 394), non simul ad Dianam, ut artifex throni Amyclaei (Pausan. III 18 9), aut ad solam Dianam, ut Pindarus Pyth. IIII 90.

3—4. *Troiae prope uictor altae Phthius Achilles:* in Achille necando Apollinem et iustum saeuitiae ultorem (17—20) et rebus Romanis consulentem (21—24) ostendit. Alta Troia est quam Homerus *αἰπήν* uel *αἰπεινήν* uocauit ob alta moenia et arcem in edito monte positam. Phthius urbe Phthia Thessaliae ortus est; Plinius NH. IIII 14 (7): *oppida celebria Hellas, Halos, Lamia, Phthia, Arne.*

5—24. Achillis caedem uberius exequitur, ut et iustam fuisse poenam et urbis Romae gratia prouisam de-

ille, mordaci uelut icta ferro
pinus aut impulsa cupressus euro,
procidit late posuitque collum in
puluere Teucro.

ille non inclusus equo Mineruae
sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
falleret aulam,

sed palam captis grauis, heu nefas heu,
nescios fari pueros Achiuis
ureret flammis, etiam latentem
matris in aluo,

10. impulsa *Hgω*, inpulsa *B*: inpressa *G*, imp̄ssa *A*, impressa ς. cyp̄ssus *A*. 11. collū Pulvere *B*ς. 12. theucro *H*, introico *G*. 13. ęquo '*H*. 15. Trohas *H*. 17. palam captis grauis *ABGHgω*: palam uictor grauis *corr H*ς. 19. latentes ς.

monstret. Itaque ab ultima antiquitate suo praesidio Romanos Apollo dignatus est. Primum extollit (5—12) potentiam dei, qui ingentem bellatorem ac ceteris superiorem facili negotio sustulit.

7—8. *Dardanas turres — cuspide:* dum impellit muros hastae cuspide obsessis tremenda, superpositae turres quatiuntur. De forma *Dardanas* cf. ad I 1 28.

9—11. *ille — procidit late:* in ipso uictoriae impetu et uoti sui paene compos procidit, latum campi ambitum ingenti corpore tegens (*κεῖτο μέγας μεγαλωστί*). *Pinum* mordaci ferro ictam uis inferne corripit, impulsa euro cupressus superne deicitur.

11—12. *posuitque — Teucro:* haec languorem morientis pingunt, qui postquam ingenti ruina cecidit, collum ponit in puluere agri Troiani. De Paride Apollinis praesidio Achillem sagitta transfigente consulto reticuit poeta, ne dignitati Apollinis detrimentum fieret.

13—24. Haec Horatius noue exornauit, ut saeuitia Achillis patefieret (17—20), et Apollinis beneficia in Romanos olim collata illustrarentur.

13—16. Achilles non arte et fraude, ut Achiui post fecerunt, Troianos circumuenisset.

14—16. *male feriatos — aulam:* cum modo fraudem Graecorum memorasset, continuo leuitatem et socordiam obsessorum subsequi fecit. Male feriati sunt qui prauis causis et suo malo ferias agunt.

15—16. *Priami — aulam:* hanc sigillatim nominat, ut appareat quanta securitas uel illos occupasset, quibus cura ciuium tradita esset.

17—20. Saeuitiam et superbiam Achillis premit, ut iure interemptus esse ab Apolline uideatur, ac dei prouidentia praedicetur.

17. *palam captis grauis:* *τοῖς ἐμφανῶς ἐκπεπολιορκημένοις βαρύς.* In uoce *captis,* in quam optimi quique libri cum Acrone et commentatore Cruquii consentiunt, haud dubie ueram Horatii manum habemus. Palam captos opposuit dolo et fraude irretitis.

18—20. Quae Agamemnon Troianis minatur (Il. *Z* 57 sqq.), ad Achillem Horatius accommodauit.

ni tuis uictus Venerisque gratae
uocibus diuum pater annuisset
rebus Aeneae potiore ductos
alite muros.

doctor argutae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lauis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
leuis Agyieu.

spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
carminis nomenque dedit poetae.

21—24. *scholiasta Statii Theb.* V 277. 21. uictus] flexus *u. Blandinius solus.* 25. argutae fidicen thaliae *ABgω:* argutae fidicen *H,* fidicen thaliae argutae *G*, argiuae f. th. ς. 26. Phebe *G.* xanctho *H.* 28. laetus agylleu *u. Blandinius.* agyeu *A*ς, agyleu *B*ς, agileu *GH.* 29. phoebus — phebus *A,* phebus *utrobique GH.*

21—24. Non uoluit persequi coeptam sententiam, ut diceret *tum Aeneas quoque interfectus esset,* quod conditori gentis Romanae non satis decorum foret, sed statim ad hoc transit, Apollinis et Veneris precibus permotum admisisse Iouem, ut Aeneas incolumis euaderet ac muros urbis felicioris duceret.

21. *uictus:* commentator Cruquianus in Carminibus plerumque ex illo uetustissimo Blandinio expressus interpretatur *flexus:* hinc in ipsum contextum u. Blandinii hoc uidetur irrepsisse peccato describentis.

23. *rebus Aeneae:* plus est quam *Aeneae:* nam hunc non uictum fugisse, sed res suas alio transtulisse significauit.

23—24. *potiore alite:* contrarium est III 3 61: *alite lugubri.* Muros *ductos* cogita, qui in sulco bouibus ducto conduntur. Vergil. Aen. I 423: *pars ducere muros;* conf. Taciti Ann. XII 24.

25—28. Deum uarie celebratum et antiquum urbis Romanae tutorem apte poeta precatur, ut sibi assit carmen saeculare non scribenti (nam scriptum iam erat, ut clarum ex uersibus 35—36), sed in ludis saecularibus canendum proferenti. Nunc igitur musicae artis antistitem extollit.

25. *doctor — Thaliae:* doctore Phoebo Θαλία lyricae artis Musa λιγεῖα facta est, h. e. canora siue *arguta.* Quod cum non intellegeretur, in libris nonnullis interpolatum est *Argiuae*, h. e. Graecae. Eam uirtutem Apollinis nunc memorauit, qua ipsum poetam iuuare posset.

26. *qui Xantho — crines:* deus musicus crinibus decoris praestat eisque praecipuam curam adhibet more citharam pulsantium; cf. III 4 62.

27. *Dauniae — Camenae: Dauniae* non est *Latinae*, ut interpretatur Orellius, sed Daunia Camena est Musa Horatiana; cf. III 30 10 sqq. Sed quomodo defendet Apollo Horatii decus ludis saecularibus? Dum prouidet ut carmen illud rite cantetur reddaturque, ne quid cantantes turbet aut impediat.

28. *leuis* (λεῖος) *Agyieu: leuis* est inberbis, *ἀγυιεύς* uiis praepositus. Illud iuuentam dei celebrat, hoc respicit quod carmen saeculare sub diu canetur. 'aguia est uia et Graece dicitur. Varro ait, quod ex responso oraculi in uiis publicis urbis suae Athenienses statutis altaribus sacrificare Apollini instituerunt, etiam' (sic

uirginum primae puerique claris
patribus orti,

Deliae tutela deae, fugaces
lyncas et ceruos cohibentis arcu,
Lesbium seruate pedem meique
pollicis ictum,

rite Latonae puerum canentes,
rite crescentem face Noctilucam,
prosperam frugum celeremque pronos
uoluere menses.

nupta iam dices 'ego dis amicum,

32. partibʒ *A.* 33. fugacis *A.* 34. Lincas *BGH.*
38. noctilucam *A* (*AH et g scribunt* noctilucã) *GHgω Acron:* nocti luce[a] (a *est ab ead. m.*) *B*, noctiluca ς. 41. dis *AG:* diis *BH.*

lege pro tradito *et*) 'Agyieum appellauere'. Porphyrion. Macrobius Saturn. I 9: *Apollo apud illos* (Graecos) *et ἀγυιεύς nuncupatur, quasi uiis praepositus urbanis.* Conf. Pausan. I 31 3, II 19 7, VIII 32 3, 53 1 et 3. O. Müller Doriens. I 299 et 357.

29—30. *spiritum — poetae:* pergit deum celebrare, dum quicquid ipse habeat, Apollini se debere profitetur. Ille dedit ingenium (*spiritum poetae*), ille carminis artem, dedit etiam *nomen poetae*, quo factum est ut ego noui carminis auctor deligerer.

31—44. Vt Apollo cum sorore sua rite celebretur, diligente cura opus est eorum, qui carmen saeculare reddent. Apte haec prioribus cohaerere uides.

31—32. *uirginum — orti:* alloquitur patrimos et matrimos pueros puellasque, qui carmen saeculare cantabunt.

33. *Deliae tutela deae:* integros pueros et castas puellas casta Diana tuetur. Catullus 34 1: *Dianae sumus in fide puellae et pueri integri.*

35. *Lesbium seruate pedem:* pedem uersus Sapphici in reddendo carmine meo seruate.

35—36. *meique pollicis ictum:* dum pollicis ictu singulos pedes uersuum uobis indico.

37—40. Breuiter argumentum carminis saecularis iam compositi promit. Paulo diutius nunc in Diana altero numine ludorum saecularium immoratur, quod Apollinem iam satis celebrauit. *Rite* est more in ludis saecularibus obseruando.

38. *Noctilucam:* Varro LL V 68: *Luna — dicta Noctiluca in Palatio: nam ibi nocti lucet templum.*

39. *prosperam frugum: αὐξητικὴν τῶν καρπῶν.*

39—40. *celeremque — menses: pronos* usu proleptico dictum est. De structura Graeca *celerem uoluere* pro *celerem ut uoluas* siue *uoluere possis* cf. ad I 1 18. Catull. 34 18: *tu cursu, dea, menstruo metiens iter annuum, rustica agricolae bonis tecta frugibus exples.*

41—44. Eo quod de Apollinis laude in proximis uersibus breuiter, de Dianae numine amplius dixit, sponte quasi ad canentes uirgines deducitur et harum allocutione carmen concludit. Rem grauem instare monet, ut curam et diligentiam uirginum excitet.

41. *nupta iam dices: iam* refer ad *nupta*, non ad *dices.* Talis gloria-

saeculo festas referente luces,
reddidi carmen docilis modorum
uatis Horati'.

VII.

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;

42. sęculo *A*: Seculo *BG*, Sclo *H*. 44. horati *g*, orati *H*: horatii *AG*, oratii *B*. *Incertus auctor* (*Anal. gramm. Eichenfeldii cet. p.* 127) *de nomine* § 2: licet haec antiquitas per ἀποκοπὴν — euuntiauerit, ut ipse de se Horatius, uatis Horati.

Ad Manlium Torquatum de mortalitate. Refert ╫ (= enim) omnia mutari momento temporis. Paranetice tetracolos (*sic per errorem*). Metrum heroicum; primus versus exameter, secundus tripodia heroici uel caesura eptememere *A*. Ad manlium torquatum. breuem tempore designat et de mortalitate refert *B*. Ad Manlium Torquatum uerni temporis. et de mortalitate refert enim *H*.

tio cum magis deceat feminam quam uirum, hanc olim narrantem poeta induxit.

41—43. *dis amicum — reddidi carmen: amicum* (ἀσπάσιον) est pro uulgari *gratum*; *reddidi* ualet *cantu reddidi*, nihil amplius.

43—44. *docilis modorum uatis Horati*: ξυνετὴ τῶν μελῶν Ὡρατίου τοῦ ἀοιδοῦ, h. e. facile et bene discens uoces modulatas ab Horatio uate factas.

Carm. VII. Prooemium. *Ver redit nosque inuitat ad uitam laete agundam. Anni uices celerrime decurrentes monent, ne speremus inmortalia. Non genus, Torquate, non facundia, non pietas te ab inferis restituet.* (Metrum 7)

Torquatus, quem sub finem poematis alloquitur, idem est, ad quem quintam epistulam libri primi misit, ubi *Mallius Torquatus* a commentatore Cruquiano uocatur. Alius uidetur fuisse ille, de quo Suetonius (Aug. 43) narrat: *in Troiae ludicro C. Nonium Asprenatem lapsu debilitatum aureo torque donauit passusque est ipsum posterosque Torquati ferre cognomen.* Simile est carmen libri primi quartum: sed illic ab illecebris et iucunditate ueris, nunc a uelocibus anni uicibus adhortatio uitae iucundae proficiscitur. Quando factum sit, certius definiri nequit. Optio est ab anno 737 usque ad 741 (17—13).

1—6. Nouam uitam exacta hieme per rerum naturam diffusam describit.

1. *diffugere niues*: primum signum redeuntis ueris; cf. IIII 12 3.

2. *arboribusque comae: nemorum coma* est I 21 5, *nemorum comae* IIII 3 11.

3. *mutat terra uices*: terra mutatur et uices subit; *mutat* nunc est *mouitat* (*lässt Wechsel folgen*). Ipsa *terra* (*das Land*) opposita est *fluminibus* proxime nominatis. Vt terrae recens ornatus accedit, sic fluminibus inutilis copia demitur.

mutat terra uices, et decrescentia ripas
flumina praetereunt;

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
ducere nuda choros.

inmortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem.

frigora mitescunt zephyris; uer proterit aestas
interitura, simul

pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.

damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
nos ubi decidimus

4. pretereunt *GH.* 5. nimphis *AGH.* 7. Inmortalia *BG:* im̄o^{r}t^{d}alia (r *et* d *a m. secunda*) *A,* Immort. *Hg.* album *corr B.* 9. zefyris *A,* zephiris *BGH.* 13. Dăpna *H.* celeris *A.* 14. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 714.

3—4. *decrescentia — praetereunt:* amnes hiberna niue turgidi et super ripas euagati iam decrescunt et alueo contenti labuntur; *ripas* dicit summas fluuiorum oras.

5—6. *Gratia — choros:* haec amoenitatem et temperiem ueris poetice significant. 'frigoribus hiemis finitis, amoenitate iam temporis ad ludum et laetitiam Nymphas et Charites prouocari'. Acron. Cf. I 4 6. Nudae Gratiae hibernum frigus fugiunt, sed leniore anni tempore redire audent. Conf. III 19 16.

7—8. *inmortalia — diem:* his uersibus ceteri carminis sententia paucis praecepta est. Primum anni uices poeta persequitur uu. 9—12, dein applicationem ad uitam humanam subsequi uoluit 13—28. *inmortalia* (*τὰ ἀθάνατα*) breuiter expressum pro uulgari 'uitam semper duraturam'. *almum — diem:* dies *almus* uocatur, quod luce et calore alit fruges et homines reficit. Vergil. Aen. V 64, Eclog. 8 16.

9. *frigora — zephyris:* haec uberius explicata u. 1—6 nunc repetiuit, quod omnium temporum uices iunctas referre uoluit; cf. I 4 1. *uer proterit aestas: proterit* est *proculcat* siue *obterit*, scite dictum de radiis solis aestiui in terris meridionalibus flores subito delentis.

11. *fruges effuderit:* autumnus effundit fruges pleno cornu; Epod. 2 17.

12. *bruma — iners: iners* quae se mouere nequit; cf. II 9 5: *glacies iners.*

13—16. Natura damna sua reparare potest, homo non potest.

13. *damna — lunae:* quae damna faciunt lunae decrescentes, ea mox reparant accrescentes. Hinc *celeres* uocantur. Catullus 5 5: *soles occidere et redire possunt: nobis, cum semel occidit breuis lux, nox est perpetua una dormienda.*

14. *nos ubi decidimus:* Epl. II 1 36: *scriptor abhinc annos centum qui decidit.*

quo pater Aeneas, quo Tullus, diues et Aneus,
puluis et umbra sumus.

quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi?

cuncta manus auidas fugient heredis, amico
quae dederis animo.

15. pater *GHς u. Blandinius:* pius *ABGω.* - eneas *G.* tullus diues *BGgς,* tullius diues *A:* diues tullus *Hω Porphyrion.* 17. q́, scis *A.* aditiant *B.* summae *AHg* (*g scribit* summe) ς *Porphyrion:* uitae *BGω u. Blandinius. In libro g sub finem hoc carmen iterum scriptum est ibique* uite *legitur.* 18. dii *BHg non AG.* 19. herebis *G,* herebis (d *ab al. manu*) *B.*

15. *quo pater Aeneas, quo Tullus, diues et Ancus:* sic haec ordinanda sunt, ut ampla series ad Orcum degressorum producatur. De collocatione Flacco adamata *diues et Ancus* dictum est ad Epod. 9 13—14. Anci diuitiae celebrantur, quod agros ac siluas ciuibus largitus esse traditur. Cicero RP. II 18: *Auentinum et Caelium montem adiunxit urbi, quosque agros ceperat diuisit, et siluas maritimas omnes publicauit quas ceperat, et ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmauit.* Cur Tullus diues dicatur, iusta causa non adest: immo uarietati dictionis egregie consulitur, eo quod duobus uiris epitheto ornatis tertius sine epitheto inseritur. Aeneas conditor Romani populi communis omnium Romanorum *pater* uocatur: pro eo *pius* ex Vergilii Aeneide interpolatum est. Iuuenali risum sectanti et Tullus et Ancus pauper est V 57.

16. *puluis et umbra sumus:* puluis in urna ex rogo collectus, umbra (*σκιά*) apud inferos.

17—18. Vita non solum breui peragitur, sed modus etiam in incerto est. Rara breuitate *hodiernam summam* uocat dies uitae adhuc peractos, quae notio illustratur et opposita uoce *crastina tempora* et *di superi:* nam superi regunt uiuos, inferi mortuos.

19. *manus auidas:* quae mortuo possessore auide et nulla pietatis ratione corripiunt quicquid relictum est. Cf. Serm. II 3 151. Hoc generatim dictum, non inhumane aut inpolite de Torquato et futuro eius herede pronuntiatum est, immo cum nomen *Torquati* demum in proximis positum sit, id quod non sine certo consilio institutum esse puto, illa tantummodo et subsequentia ad hunc proprie spectant: priora uniuerse dicta sunt.

19—20. *amico — animo: amico* per *πρόληψιν* dicitur: animi enim fauor danti conciliatur.

21—22. *splendida — arbitria:* sedes et tribunal iudicantis Minois splendore circumfusa sunt, ut animas iudicandas curiose inspicere ille possit. Conf. Platonis Gorg. p. 526: *ὁ δὲ Μίνως ἐπισκοπῶν κάθηται μόνος ἔχων χρυσοῦν σκῆπτρον, ὥς φησιν Ὀδυσσεὺς ὁ Ὁμήρου ἰδεῖν αὐτὸν ‘χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νέκυσσιν.’* Hic splendor opponitur *tenebris* mox (25) memorandis.

23. *non, Torquate, genus:* hominem nobilem alloquitur ut consentientem eis quae Horatius communicat. *non te facundia:* patronus causarum fuit, ut intellegitur collata epistula (I 5) ad Torquatum scripta, ubi est u. 9: *mitte causam Moschi.*

cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,

non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituet pietas.

infernis neque enim tenebris Diana pudicum
liberat Hippolytum,

nec Lethaea ualet Theseus abrumpere caro
uincula Pirithoo.

25—26. neque — Hippolytum *Seruius ad Verg. Aen.* VI 617. 25. nec *G.* 26. hyppolitum *A*, hipolitum *G*, hypolitum *B*, yppolitum *H*. 27. Nō lethea *H*. lethea *BGH*. 28. Vincla *G*. pirithoo *H*: pithoo *A*, perithoo *Gς*, pyrithoo *B*, perythoo *g*.

Perinde Paulus *pro sollicitis non tacitus reis* (IIII 1 14).

23—24. *non te restituet pietas:* possis cogitare pietatem qua Torquatus deos coluit, ut ante de Torquati genere et facundia dictum est, sed mihi praestare uidetur intellegere pietatem suorum erga Torquatum, ueluti filii uel uxoris: nam sic demum recte respondet proximum: *nec Lethaea ualet Theseus abrumpere caro uincula Pirithoo*, ubi pietas Thesei erga Pirithoum nihil ualere dicitur aduersus uim inferorum.

25—26. *infernis — Hippolytum:* ne dea quidem heroa sibi ob pudicitiam a Phaedra conseruatam prae ceteris dilectum ab infernis tenebris liberare potest. Recentiorem fabulam, iuxta quam Hippolytus reuixit (Ouidii Metam. XV 496, Vergil. Aen. VII 765), neglexit Horatius.

27—28. *Lethaea — uincula:* quibus oneratus est, cum rapturus erat Proserpinam; cf. III 4 79. Theseum eo temporis momento cogita, quo ipse ab Hercule liberatus est a uinculis tunc inditis, cum descendit cum Pirithoo rapturus Proserpinam. Apollod. III 10 7. Plutarch. Thes. 31.

VIII.

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus,

Ad Censorinum cōparatio poetices, diuitiarum simul ac uirtutis. Encomiastice. Monocolos. Metř asclipiadium *A*. ad censorinum martium comparatio poetices, diuitiarum simul ac uirtutis. encomiastice tetracolos (*sic per errorem*) *B*. Ad Censorinum Martium *H*.

1. *Terentianus Maurus u.* 2695 *p.* 2443, *Diomedes* III 38. Donarem] *G desunt litterae initiales omnes in hoc carmine.* commodus *ABς Blandinii Terentianus Diomedes:* commodis *GHς*, comodijs *corr g*. 2. era *H*.

Carm. VIII. Prooemium. *Carminibus, Censorine, recte gaudes. Nam res praeclare gestas Musa reddit inmortales; eadem in caelum effert illos, qui suis meritis humanum genus obstrinxerunt.* (Metrum I)

C. Marcius Censorinus unus ex illa fuit subole, quae Flacci uirtutem carminum perspexerat eoque ab illo celebrari cupiebat (IIII 3 14), uir diues ac nobilis, consul cum Asinio Gallo a. 746 (a. Chr. 8). Mortem obiit in Orientis prouinciis a. 755. Velleius II 102: *sed quam hunc* (M. Lollium) *decessisse laetati homines, tam paulo post obisse Censorinum in isdem prouinciis grauiter tulit ciuitas, uirum demerendis hominibus genitum.* Eodem anno quo proximum carmen ad Lollium missum est, cuius simile est argumentum, etiam hoc compositum uidetur, i. e. anno 741 = 13 ante Chr.

Poemati ad unguem decies castigato neque deest uerbum ullum neque superest. Interpolatorem odorantium crimina iusta explicatione diluenda sunt. Carmina κατὰ στίχον a Flacco ad artis legem iuste composita (I 1 et 11 et 18, III 30, IIII 8 et 10) qui Meinekio et Lachmanno auctoribus quaternis uersibus et nouo stropharum genere dimetienda opinantur, laborant, cum uentum est ad hanc oden triginta quattuor uersus continentem atque nouitiae descriptioni fortiter repugnantem. Sed ecce arte quadam incommodum subterfugere conantur, dum alii sex uersus superesse statuunt, alii duos abesse credunt. Illud placuit Lachmanno, quem secuti sunt Hauptius et Meinekius, hoc Orellius in prima sua et secunda editione amplexus est, scilicet ut quaternos uersus iungere et numerare posset; idem in tertia editione mea motus admonitione hanc coniecturam omisit, uersus κατὰ στίχον ordinauit, sed eosdem uersus in Carm. I 1, III 30 per strophas conscripsit. Vt in re minime dubia breui defungar, haec tenenda sunt. 1. Versuum κατὰ στίχον iuxta positorum noua illa iunctura et partitio hoc de quo nunc loquimur poemate redarguitur. 2. Eadem traditioni antiquitatis aduersatur, siquidem grammatici ueteres et commentatores odas μονοκώλους, δικώλους, τετρακώλους diligenter distinxerunt. 3. Hanc uarietatem ab antiquis carminum auctoribus scite callideque delectam ac prioris aeui iudicibus probatam una formula comprehendere et uno uinculo constringere uelle non licet: nam poetae ueteres pro uariis argumentis modo minorem, modo maiorem in uersibus componendis μεταβολήν asciuerunt. 4. Si Horatius in uersibus κατὰ στίχον scriptis quaternos secernere et strophis coniungere uoluisset, una et facilis et aperta uia ad hoc patebat: nimirum quartum quemque uersum uno pede uel ordine minorem dedisset, quam rationem in Carm. I 6 et 15 et 24 et 33, II 12, III 10 et 16, IIII 5 et 12 re uera ad-

donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessima munerum
ferres, diuite me scilicet artium,
quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
hic saxo, liquidis ille coloribus
sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
sed non haec mihi uis, non tibi talium
res est aut animus deliciarum egens.

3. premia *G.* 5. arcium *H.* 6—8. *Seruius ad Verg. Aen.* VI 20, *ubi est* qualis Parrhasius prodidit. 6. pharrasius *H.* 9. non tibi *ABGHgω:* nec tibi ς '*codex antiq.*' *Cruq.* 10. diliciarum *A.*

hibuit. Haec ratio numeri et dispositio uersuum quaternorum a quouis lectore facile agnoscitur: noua illa, quae mille octingentos amplius annos doctos indoctosque latuit, ab ingenio antiquitatis abhorret. At noua descriptio hanc uirtutem habet, ut lasciua ingenia arceantur a nimia uersuum dubiorum suspitione. Immo qui olim unum uel tres uersiculos addubitabant, nunc duos uel quattuor eadem ruina trahunt, quod luculentis exemplis demonstrare possem, si prauo tramite incedentes amplius persequi humanitatis ratio et commoda legentium admitterent.

1—8. Aera, tabulas, statuas donarem sodalibus tibique, si haberem.

1—2. *pateras — aera:* pateras dicit speciem, *aera* genus, h. e. uasa aenea. *commodus:* commodis sodalium inseruiens; cf. Epl. II 1 227: *speramus — ut commodus ultro arcessas;* AP. 256: *spondeos stabilis in iura paterna recepit commodus et patiens.* Epl. I 18 75: *incommodus angat.* Datiuum *sodalibus* iunge cum u. *donarem* et epitheto *commodus*, non cum adiectiuo *grata.*

3—4. *tripodas, praemia fortium Graiorum* (*Belohnungen Griechischer Helden*): recentis aetatis dona (pateras et aera) composuit cum illis, quae priscis heroibus offerri solebant, de quibus ab Homero saepius relatum est.

5. *artium:* sunt artis opera; cf. Epl. I 6 17: *suspice artes*, II 1 203: *ludi spectantur et artes.*

7—8. *hic saxo — nunc deum:* alterum statuarium laudat, alterum pictorem. In uoc. *saxo* genus pro specie (*marmore*) elegit. Ipsum saxum, cuius dura est natura, composuit cum *liquidis coloribus.* Scopas statuarius Praxiteli aetate suppar belli Peloponnesiaci temporibus floruit (Plinii NH. XXXVI 4 (5) § 25—31), Parrhasius pictor Zeuxi aequalis (Plin. XXXV 36 (10) § 65—72) aliquanto post uixit.

8. *nunc hominem ponere, nunc deum:* ponere proprium statuariis et pictoribus (ueluti AP. 34, Vergilii Ecl. 3 46, Ouidii AA. III 40 1), unde ad poetarum imitationem transfertur, ueluti a Iuuenale I 155: *pone Tigellinum*, Persio I 70: *ponere lucum artifices.*

9. *sed non haec mihi uis:* noli cogitare de ui ingenii ad proferenda signa et tabulas fertili, sed de ui siue facultate donandi artes (*aber nicht darin besteht meine Macht*).

9—10. *non tibi talium — egens:* anadiplosis particulae *non* gratior et exquisitior uidetur esse quam *nec,* quod placuit Cruquio et Bentleio. Ceterum non certum est 'codicem antiquum', quem memorat Cruquius, fuisse Blandinium uetustum, ut credidit Bentleius. Certe commentator Cruquii lectionem *non tibi* sequitur. Artis opera contemptim uocat *delicias*, ut quae delectare possint, prodesse nequeant.

10. *res est aut animus — egens:* res (οὐσία) tua maior est, quam ut

gaudes carminibus; carmina possumus
donare et pretium dicere muneri.
non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et uita redit bonis
post mortem ducibus, non celeres fugae
reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
non incendia Karthaginis inpiae,
eius qui domita nomen ab Africa

12. p̃cium *BGH.* muneri *ABGHgω Blandinii:* muneris ς. 16. Reiecteq' *H,* eiecteque *G* (*qui initiales litteras omittit*). 17. kartaginis *A,* carthaginis *Gg,* cartaginis *BH.* impiae *mei.* 18. affrica *B.*

huiusmodi dona desideres, animus (θυμός) ad contemnendas delicias ualidus.

11. *gaudes carminibus:* optasse Censorinum, ut carmen Horatius ad eum mitteret, hinc licet colligere.

13—20. Proposito Scipionis Africani exemplo pretium poematum amico declarat, eo quòd ostendit ad prodendam magni uiri gloriam uersus ceteris rebus efficaciores esse.

13—15. *non incisa — ducibus:* non statua cum elogio in honorem mortui ducis posita tam clare indicat laudes (gloriam) quam poema Ab hoc uersu usque ad 27 quattuor exempla promuntur, quibus potentia poetarum demonstretur; his finitis γνώμη subicitur inde collecta u. 28: *dignum laude uirum Musa uetat mori.* Primum est Scipionis; ei statua posita erat Literni, altera ante portam Capenam. Liuius XXXVIII 56: *alii Romae, alii Literni et mortuum et sepultum; utrobique monumenta ostenduntur et statuae: nam et Literni monumentum monumentoque statua superimposita fuit, quam tempestate deiectam nuper uidimus ipsi; et Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, quarum duae Publii et Lucii Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Quinti Ennii.*

13. *publicis:* publice factis et subscriptis in basi statuarum.

14—15. *per quae — ducibus:* dum posteri faciem defunctorum in statua, res gestas in elogio agnoscunt, bonis ducibus, qualis Scipio fuit, uita post mortem in ore et animis hominum redit. Epitheton *bonis* ualet *fortibus;* cf. IIII 5 5 et 37.

15—16. *non celeres fugae — minae:* alterum quo Scipionis res memoriae hominum infigebantur, hoc fuit, quod Hannibal illius consiliis operibusque ex Italia fugere adactus est. Haec fuga, ciuibus Romanis quamuis gratissima, gloriam Scipionis non tam firmiter impressit animis hominum quam uersus Ennii. Numerus multitudinis *fugae* poetici sermonis est et omnis exercitus fugam notat.

16. *reiectaeque — minae:* de dictis minantibus ne cogites: immo ipsa Hannibalis in Italiam expeditio minae fuerant. Vt ille Alpes supergressus in Italiam inuasit, sic Scipio mare medium transgressus in Africam ex Hispania irrupit et infesto exercitu Karthaginiensibus minatus est. Hae sunt reiectae Hannibalis minae; *retrorsum* est 'in terga Hannibalis in Italia bellum gerentis', h. e. in̄ Africam. Italiae homines belli metu laboribusque subito leuati sensere quid posset uirtus Scipionis: uerum haec memoria non tam firma aut diuturna fuit, quam memoria Scipionis Ennii uersibus stabilita. Sic tollendae sunt suspitiones aduersum haec et proxima (15—19 *non celeres — lucratus rediit*) primum a Bentleio suscitatae, mox ab aliis auctae, nominatim a Lachmanno et alibi et in primo Philologi uolumine p. 164.

17. *non incendia — inpiae:* Kar-

lucratus rediit, clarius indicant
laudes quam Calabrae Pierides. neque
si chartae sileant quod bene feceris,
mercedem tuleris. quid foret Iliae
Mauortisque puer, si taciturnitas
obstaret meritis inuida Romuli?
ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
uirtus et fauor et lingua potentium

21. Si cartę *BGHg* (*g scribit* carte), sic hartę (*h. e.* si cartae) *A*. 22. quod *pr B*, quid *corr B*. 25. stigiis *BG*. eacum *BGH*.

thago incendio a Scipione minore deleta memoriam eius Scipionis, qui a deuicta Africa nomen rettulit, renouare potuit et diu seruare, sed non tam bene quam Ennii poemata. Vt Achillis gloria reuixit et effulsit incendio Iliacae urbis, sic incensa Karthagine maioris Scipionis memoria resuscitata est. Inpia Karthago uocatur, quod deos in templis Italiae deiecit (IIII 4 46—48). Bentleius offendit ad *diaeresin* post choriambum primi ordinis omissam: *non incendia Karth-aginis inpiae*. Sed omitti potest diaeresis sine ulla offensione in *commissura uocis compositae*. Sic II 12 25: *dum flagrantia de-torquet ad oscula;* I 18 16: *arcanique fides prodiga per-lucidior uitro*. Atqui *Karthago* quoque nomen est compositum ex Punico uocabulo *qereth*, quod ualet *ciuitas*, et adiectiuo *hadasch*, quod *nouum* denotat. Hoc ipsum Romanis bene cognitum fuisse Liuius nobis testabitur apud Seruium ad Vergil. I 366: *Karthago enim est lingua Poenorum noua ciuitas, ut Liuius docet*. I nunc et uersum innocentem damnare perge.

18—19. *eius qui — rediit:* docta περίφρασις pro *Scipionis Africani*, ut Serm. II 1 65: *qui duxit ab oppressa meritum Karthagine nomen*, quod de altero Scipione dictum est. Monitum est raro dici *is qui*. Raro dicitur, quod *qui* sufficit, sed hoc non cadit in *eius qui*, ubi *eius* abesse nequit. Nec uero illud perrarum. Cf. Serm. I 1 59: *at qui tantuli eget, — is neque limo turbatam haurit aquam;* Epl. I 1 65: *isne tibi melius suadet, qui* cet. Serm. I 4 80: *est auctor quis denique eorum uixi cum quibus?* 88: *praeter eum qui praebet aquam*. Alius generis est Serm. I 9 18: *longe cubat is;* II 3 181: *is intestabilis esto*.

20. *laudes:* gloriam rerum gestarum. *Calabrae Pierides:* dicit Ennium Rudiis in Calabria natum, qui laudes Scipionis in Annalibus cecinit. De alio libro Ennii poeta nunc non cogitauit.

20—22. *neque — tuleris:* ipsius Censorini exemplo rem illustrare pergit; in pedestri sermone diceret *neque — tu quod bene feceris, mercedem tuleris;* cf. ad III 17 5. Caute scripsit *quod bene feceris*, non *quod bene fecisti*, futuras Censorini res benigna spe praecipiens.

22—27. Sententiam adhuc rebus a Scipione gestis, a Censorino gerendis probatam amplius Romuli et Aeaci exemplo declarat; hos nemo nosceret, nisi poetae fuissent.

22—23. *Iliae Mauortisque puer:* de *Ilia* Aeneae filia cf. ad I 2 17, III 3 32.

23—24. *taciturnitas — inuida:* quae inuidet meritis laudibus.

25—27. *ereptum — insulis:* a poesi Romanorum ad Graecam progreditur.

26—27. *uirtus et fauor et lingua potentium uatum: uirtus* siue fortitudo facit, ut uates Stygios fluctus

uatum diuitibus consecrat insulis.
dignum laude uirum Musa uetat mori.
caelo Musa beat. sic Iouis interest
optatis epulis inpiger Hercules,
clarum Tyndaridae sidus ab infimis
quassas eripiunt aequoribus rates,
ornatus uiridi tempora pampino
Liber uota bonos ducit ad exitus.

29. inter ĕ *BG*, inter est *Hg*. 30. inpiger *B*: imp. *GHg*. 34. ducit *BGHω*: duxit *Agς*.

uincant, uirtutem Herculis adaequantes, *fauor*, ut bene merentem iustis praemiis impertiant, *potentia*, ut quod uolunt perficiant.

27. *diuitibus — insulis:* diuites (ὀλβίας) uocauit uariis bonis abundantes; Epod. 16 42: *beata petamus arua, diuites et insulas.* De re cf. Pindari Isthm. VII 23 sqq.

28. *dignum — mori:* est *collectio*, qua sententiam quattuor exemplis (Scipionis, Censorini, Romuli, Aeaci) illustratam comprehendit. Conf. IIII 9 25 sqq., III 4 65 sqq. Lachmanno et fautoribus hic uersus spurius est.

29. *caelo Musa beat:* altius ascendit poeta, dum non modo inmortalitatem nominis, sed ipsum caelum a carminibus donari addit. Oratio pedestris hoc sic efferret: *immo caelo Musa beat.* Quod paucis uerbis *praeparauit* poeta, hoc iterum quattuor exemplis (Herculis, Castoris, Pollucis, Liberi) adprobatur.

30. *Hercules:* post ingentia facta in caelum receptum poetae cecinere, primus Homerus, quamquam in loco post addito, Odyss. λ 601 sqq. Cf. Horatii Epl. II 1 10—12.

31—32. *clarum — rates:* cf. I 12 27 sqq. *lucida sidera* appellantur I 3 2. Epl. II 1 5.

33. *ornatus uiridi tempora pampino:* hoc addere debuit, quod poetae non solum res gestas Bacchi sed etiam *figuram* et *ornatum* inuenerunt. Lachmannus etiam hunc uersum damnauit, quod III 25 20 positum sit *cingentem uiridi tempora pampino,* quodque Horatius sine ratione repetere uersus non soleat. At nulla repetitio nunc adest: immo priore loco de cultu sermo est quem adhibet deus temporibus suis: nunc ornatus describitur quem poetae dederunt Libero patri. Ceterum Horatius in repetitionibus cauendis tam cautus non est, quantum nonnullis uidetur; conf. I 12 3 (*iocosa imago*) et I 20 6, I 1 17 (*rates quassas*) et huius odae u. 32, III 17 4 (*memores fastos*) et IIII 14 4.

VIIII.

Ne forte credas interitura quae
longe sonantem natus ad Aufidum
non ante uulgatas per artes
uerba loquor socianda chordis:

non, si priores Maeonius tenet
sedes Homerus, Pindaricae latent

Consecrari ait carmina sua mereri, quoniam nihil est quod non carminibus illustratur. Metr̄ *cet. A.* ad lollium de immortalitate carminum suorum *BH.*

4. loquar *Hς.* sotianda *G.* cordis *BHg.* 5. moeonius *B,* meonius *AGH.*

Carm. VIIII. Prooemium. *Carmina mea non peribunt. Quae cum plurimum ualeant ad memoriam rerum gestarum posteris tradendam, ego tuos labores et uirtutem tuam delitescere non patiar.* (Metrum Alcaicum)

Marcus Lollius, quem Flaccus alloquitur, consul fuit a. 733 (Dio Cassius LIIII 6. Horat. Epl. I 20 fin.). Idem anno 738 inferiori Germaniae praefectus cum Sygambris, qui Rheno traiecto subito irruperant, infeliciter conflixit, quae causa fuit cur Augustus per idem tempus ad Rhenum et in Galliam proficisceretur. Lollius tamen, antequam Augustus aduenit, exercitu collecto hostes adegit, ut pacem peterent obsidesque darent; Dio LIIII 20—21. Sed quoniam miles Romanus sub Augusti principatu tantum in hoc proelio et in clade Variana male pugnauit, factum est ut pugna Lolliana cum clade Variana multum atrociore componeretur (Tacitus Ann. I 10, Suetonius Aug. 23; adde Vellei II 97). Eadem amissi proelii recordatio cum aequalium Lollii mentes occupasset, iniquo iudicio Horatius hoc carmine obuiam ire decreuit. Id factum est, cum Lollius ex Germanica legatione redisset, sub annum 741 uel 742 (a. Chr. 13 uel 12): nam uersibus 32—44 prouincia a Lollio administrata respicitur. Ad eundem Lollium missa est epistula libri I secunda, etiam duodeuicesima, ut suo loco commonstratum est.

1—12. Ad Homeri laudem quamuis aspirare nemo possit, tamen credere noli interitura esse quae loquor: nam manent eorum quoque poemata, qui secundae classi annumerantur. His tacite Horatius se ipsum aequiparauit.

2. *longe sonantem natus ad Aufidum:* de Aufido non procul a Venusia fluente cf. III 30 10, IIII 3 23 et 14 25; Serm. I 1 58. Plinii NH. III 16 (11). Verba *longe sonantem* praeclare pingunt torrentem ex montibus Hirpinorum in Apuliam delabentem. In ipsa locutione cognomentum Homeri *Μελησιγενής* uidetur spectasse: nam ut Homerus ad Melen riuum Smyrnaeum, sic Horatius ad Aufidum natus est.

3. *artes:* modos arte temperatos.

5—12. Sequitur causa proximae adhortationis.

5—6. *priores sedes:* duas classes poetarum facit, quarum ex altera unum Homerum recitauit, ex altera lyricos praecipuos nominauit.

5. *Maeonius:* aut filius Maeonis aut natus a parentibus Maeoniis, h. e. Lydis.

6—8. *Pindaricae — Camenae:* Pindari carmina et Simonidis Cei

Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichoriue graues Camenae;

nec siquid olim lusit Anacreon,
deleuit aetas; spirat adhuc amor
uiuuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

non sola comptos arsit adulteri
crines, et aurum uestibus illitum
mirata regalisque cultus
et comites, Helene Lacaena;

7. alcei *BGH*. 8. Stesichoriue *AH* (*A scribit* stesichori ue, *H* Stersichoriue) ς (*u. Blandinius*) *Parisinus* 7900 *commentator Cruquii:* Stesichorique ω *Acron,* Stersicorique *B,* Stersichorique *g,* tersicorique *G.* 9. anachreon *G.* 10. spirαt (*h. e.* spirat *ut uulgo*) *A.* 11. comissi *G.* 12. Heoliae *G.* 15. regalisque *AB:* regalesque *GHg.* 16. hélenę *H.* lacena *AGH:* lace na *B.*

nullo epitheto significauit, hoc additurus demum Alcaeo et Stesichoro, ut in duobus adesset, a duobus abesset epitheton, quo et uarietati et concinnitati iuxta consulitur; cf. ad IIII 7 15. Minaces Alcaei Camenas indicauit στασιωτικά eius carmina aduersus tyrannos; cf. I 32 6—8. De Stesichoro Quintilianus X 1 62: *maxima bella et clarissimos cecinit duces et epici carminis onera lyra sustinuit. Reddit personis in agendo simul loquendoque debitam dignitatem. Stesichoriue* ex bonis libris pro *Stesichorique*, ut in aliis legitur, recepi, quod sic Alcaeus et Stesichorus, uterque suo genere insignis, distinguuntur, Stesichorus ad ceteros non adiungitur, quod Horatii uarietati magis uidetur conuenire. In uetere Blandinio fuisse *Stesichoriue* conicere hinc licet, quod haec forma et in commentatore Cruquiano et in ipsius Cruquii commentario posita est.

9. *siquid olim lusit Anacreon:* Anacreontis Musam amatoriam et uino deditam uerbo *lusit* scite designauit; non minus eleganter ardorem amoris in Sapphus poematis notauit. Illa amoris sui calores fidibus, tamquam caris sodalibus, *commisit* (concredidit). Aeolia puella uocatur in Lesbo nata, cuius incolae Aeolenses erant. Spirat amor in uersibus tamquam anima praeditus, uiuunt calores tempore non extincti (*noch athmet die Liebe und es leben die Gluthen des Aeolischen Mädchens*).

13—28. Vt lyrici poetae animi sensa posteris produnt, sic epici res gestas interire non sinunt. Exempla ex Iliade Homeri relata praeparata sunt mentione Homeri facta u. 5 et 6. Quaecumque ante Homerum aut in amore aut in armis gesta sunt, sepulta iacent; poematis res gestae inmortales fiunt.

13—14. *comptos arsit adulteri crines:* nominat crines quibus forma praecipue iuuatur: hi *compti* cum essent, amatorem et *adulterum* Paridem ostentabant. Ardere crines eadem uenia dictum ut a Vergilio Eclog. 2 1: *pastor Corydon ardebat Alexin.*

14—16. *et aurum — et comites:*

primusue Teucer tela Cydonio
direxit arcu; non semel Ilios
uexata; non pugnauit ingens
Idomeneus Sthenelusque solus

dicenda Musis proelia; non ferox
Hector uel acer Deiphobus graues
excepit ictus pro pudicis
coniugibus puerisque primus.

uixere fortes ante Agamemnona
multi: sed omnes inlacrimabiles

17. Primusue *ABgς:* Primusq; *GHς.* theucer *GH.* te lacidoneo *A.* cydoneo *GB.* 18—19. non — uexata *Seruius ad Vergil. Aen.* III 3. 19. uexat *A.* nō *Hgς*, n̄ *AG:* nec *Bς.* 20. Idumeneus *G.* sthenelusq, *Gς Acron*, sthelenusque *Ag*, stelenq; *H:* stelenus ue *B*, sthenelusue *ς Commentator Cruquii.* 21. proelia *BH:* praelia *G*, p̄lia *A.* 22. Haector *H.* deifoebus *A*, d^{e}ii phebus *B*, deiphoebus *pr H*, *corr H* deiphebus. grauis *A.* 26. inlacrimabiles *B* (*in B superp.* 1 *al. m.*) *Gς*, ĩnl. *g*, inlacrymabiles *u. Blandinius:* illacrimabilis *A*, illacrimabiles *Hς.*

ardorem praecessit admiratio opum, cum quibus Paris aduenerat; inde mulieris oculi ad crines hospitis delati sunt et capti. Illitum est *intextum.* Seneca Hippolyto 388: *remouete, famulae, purpura atque auro illitas uestes.*

16. *Helene Lacaena:* patriam addidit Lacedaemonem, quod statim in agrum Troianum legentem deducturus est.

17—18. *primusue Teucer tela Cydonio direxit arcu:* de Teucro exule dixit I 7 21: nunc artem proeliandi celebrat, cuius breuiter mentionem fecit I 15 24. De Cretae urbe Cydonia, quam Minos condidit, cf. Strabo X 4 § 7 et 11. Arcus Cretensium celebres; cf. Vergilii Ecl. 10 59: *torquere Cydonio arcu spicula;* Horat. I 15 17: *calami spicula Gnossii.*

18—19. *non semel Ilios uexata:* Ilios uexata est et expugnata etiam ante id tempus, quod Homerus canendum elegit, ab Hercule et Telamone socio; cf. Strabo XIII 1 § 32.

19—21. *non pugnauit ingens Idomeneus Sthenelusque solus dicenda Musis proelia:* ex Achiuorum ducibus duos recitat, quos ut memoraret, nominum bene sonantium forma uidetur fecisse. Cum *ingens* tam ad Idomeneum pertineat quam ad Sthenelum, itemque *solus* utrique conueniat, forma *Sthenelusque* alteri scripturae *Sthenelusue* praeferenda est.

21—22. *non ferox — acer Deiphobus:* Hector *260ferociter* in hostes inuasit, Deiphobus *acriter* proelium conciuit (Il. *N* 258). Quod Deiphobus caeso Paride Helenam duxit uxorem, Horatius non respexit, neque de ea re Homerus quicquam cecinit. Immo apud Horatium Deiphobus pugnat pro pudicis coniugibus puerisque, non pro adultera.

25—26. *uixere — multi:* colligit dicta u. 17—24, ut quod omnibus acciderit, comprehendere possit. Conf. IIII 8 28.

26—28. *sed omnes — longa nocte:* duces a poetis laudati uiuunt in ore hominum, ignoti longa nocte ur-

urgentur ignotique longa
nocte, carent quia uate sacro.

paulum sepultae distat inertiae
celata uirtus. non ego te meis
chartis inornatum silebo,
totue tuos patiar labores

inpune, Lolli, carpere liuidas
obliuiones. est animus tibi
rerumque prudens et secundis
temporibus dubiisque rectus,

uindex auarae fraudis et abstinens

27. Vrgentur *AGgς:* Vrguentur *BH.* 28. quia] q *A.* 29. saepultae *et mox* caelata *H.* inerciae *H.* 31. cartis *BGHg.* silebo *A pr Gω:* sileri *BHg corr Gς.* 32. tot ue *AB.* 33. Inpune *BG:* Impune *AHg.* 34. obliuione *A.* 35. reř prudens *A.* 37. et abstinens *om A, item uersus* 38—40.

gentur. I 24 6: *Quintilium perpetuus sopor urget.*

28. *uate sacro:* sacer est uates Apollini et Musis.

29. *sepultae distat inertiae:* tertius casus est *inertiae;* cf. ad II 2 18. Inertia sepulta et celata uirtus iuxta ignoratur; hinc illa ab hac paulum distat.

30—34. Ego prouidebo ne tibi eueniat, quod uiris fortibus remotae antiquitatis accidit.

31. *inornatum:* nouum et ἅπαξ λεγόμενον pro *non celebratum.*

32—34. *totue — obliuiones:* ut fere fit, clade Lollii oblitterati sunt ceteri eius labores olim in consulatu, nuper in prouincia suscepti, quibus iniuriis Horatius obuiam ire uoluit. Haec non nisi finita Germanica legatione scribi potuisse in Prooemio dictum est.

35. *rerumque prudens:* h. e. qui res prudenter administrare callet, multis rebus exercitus et expertus. Animum uocat quicquid curat agitque; hinc tamquam de uiro loqui pergit usque ad u. 44. Docte notauit Bentleius componens *animus aestimator, censor, contemptor, corruptor, carnifex, dominus, liberator, proscriptor, rex, rector, speculator.*

35—36. *secundis temporibus dubiisque rectus:* dubia tempora significat cladis anno 738 (a. Chr. 16) acceptae diem, quibus se opprimi non passus est Lollius, *secunda*, quae mox uenere, cum hostes coegit petere pacem et obsides offerre; cf. Prooem.

37. *uindex auarae fraudis:* haec pertinent ad cohortem et comites in prouincia a fautore suo seuere habitos, proxima (*abstinens — pecuniae*) ad ipsius Lollii abstinentiam. Cum haec scripsit Horatius, Lollii integritas florebat: alioqui poeta ueri studiosus numquam haec scripturus fuit. Sed idem Lollius post mortem optimi amici et maioribus admotus, cum rector Gai Caesaris in Orientem profectus est, dona cepit, ingentes diuitias collegit, postremo renuntiata Gai amicitia obiit uenenum sumpsisse creditus a. 755. Cf. Velleius II 102, Plinius NH. VIIII 58 (35). Vel sic tamen iusto atrocior fama in Lollium etiamnum grassari solet: nimirum Tiberio partibusque Tiberianis sub Augusto aduersatus (lege Taciti Ann.

ducentis ad se cuncta pecuniae,
consulque non unius anni,
sed quotiens bonus atque fidus

iudex honestum praetulit ùtili,
reiecit alto dona nocentium
uultu, per obstantes cateruas
explicuit sua uictor arma.

non possidentem multa uocaueris
recte beatum: rectius occupat
nomen beati, qui deorum
muneribus sapienter uti

duramque callet pauperiem pati

40. quotiens *BG,* quociens *Hg.* utili et *pauci.* *u.* 42—45 *om A.* 41. pretulit *G.* utili *ABGHgω:* 42. Reiecitq, *corr G.* nocentum *H.*

III 48, Suetonii Tib. c. 12) dignus Velleio uisus est, quem odio acerrimo persequeretur. Hoc teste, sed admodum infido, Lollius auarus iam erat, cum Germaniam rexit: lege II 97. Ego Horatio quam odii Tiberiani socio credere malim; cf. Prooemium ad I 7.

39. *consulque non unius anni:* qui (animus Lollii) etiam post consulatum a. 733 gestum consul esse non desiit; cf. III 2 19. Haec ut minus insolenter dicta uideantur, memineris plurimis Romanis auctore Accio *consulis* nomen notasse illum *qui recte consulit.* Lege Varronis LL V § 80.

40—41. *quotiens bonus — utili:* quotiens (animus Lollii) honeste (iuste) potius quam utiliter ius dixit; spectant haec ciuilem iurisdictionem Lollii in Germania administratam. Ibi bonitatem suam (*bonus*) probauit in iure uincentibus, fidem cadentibus.

42. *reiecit — nocentium:* haec pertinent ad causarum capitalium quaestiones, in quibus nocentes oblatis donis effugere student.

43—44. *per obstantes — arma:* haec ad militarem administrationem prouinciae referenda sunt. Tertium igitur membrum accedit illis prioribus *quotiens — praetulit* atque *reiecit — uultu,* quae omnia pendent e uerbis *consulque non unius anni,* sed totiens consul, quotiens cet. Sic recte accepit Acron. Porphyrion apodosin fecit uerba *per obstantes cateruas explicuit sua uictor arma*, atque huic Orellius obsecutus est, qui de iurisdictione haec dicta accepit; perinde Mitscherlichius et alii. Immo poeta proprie loquitur, non figurate. Lollius disiectis hostium cateruis arma sua explicuit, ut libere grassari possent (*so oft er seinen Waffen einen Ausweg mitten durch feindliche Schaaren gebahnt hat*).

45—52. Veras diuitias temperantia animi contineri amicum docuit aut certe uoluit docere.

45—46. *non — uocaueris recte beatum: beatum* accipe fortunis praeditum, quae est quotidiani sermonis significatio.

49. *duramque callet pauperiem pati:* callere dicitur qui arte utitur et sollertia; hac opus est ad duram pauperiem patiendam.

peiusque leto flagitium timet,
non ille pro caris amicis
aut patria timidus perire.

X.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
insperata tuae cum ueniet pluma superbiae,
et quaę nunc humeris inuolitant, deciderint comae,
nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,

50. loeto *BH*, lęto *G*. 52. perire *BGHgω u. Blandinius Porphyrion commentator Cruquii:* peribit *Aς duo Blandinii.*

Ad Ligurinum speciosum et arrogantem aduersum maiores. Erotice monocolos. Metr̄ saphicum *cet. A.* ad ligurinum puerum speciosum *BH.* 1. *Terentianus Maurus u.* 2718 *p.* 2443. potes (*pro* potēs) *A.* 3. que *B.* umeris *A, non BGHg.* decider̃ *G.*

50. *peiusque:* tamquam quod peius sit. Epl. I 17 30: *peius — uitabit.*

51—52. *non ille — timidus perire:* pronomen *ille* (*jener Mann*) nunc ualet *ille quem modo descripsi.* Sic *non ille* Serm. II 3 204, *neque ille* Serm. II 6 83; Epl. II 1 65: *ut — nihil illis comparet.*

52. *timidus perire:* cf. ad I 1 18.

Carm. X. Prooemium. *Formae tuae, Ligurine, potentia non semper durabit. Mutata facie mens mutata nihil proficiet.* (Metrum 2)

Vt in nouo Carminum libro Augusti gratia edendo iocosa Musa non plane desideraretur, proximas eclogas (10, 11, 12, 13) Horatius adiecit. Admonitio Ligurini iocosa est, non serio a poeta suscepta. Nam eiusmodi delicias senior Horatius exuerat, tum lex et mos nefas maculosum uicerat (IIII 5 22). Non ante annum 737 (a. Chr. 17) neque post 742 (12) haec chartis illusit.

1. *crudelis:* crudelis et inexorabilis aduersus monitorem. Eundem *dure* alloquitur IIII 1 40. *Veneris muneribus:* forma et uenustate.

2. *ueniet pluma superbiae: superbiae* tertius casus est, *ueniet* ad morem poetici sermonis pro *superueniet; pluma* est lanugo barbae (*χνόος, Flaum, piuma* Italorum), quae si succreuit formoso puero, ex ephebis excedit amarique desinit.

3. *humeris inuolitant:* pueri delicati comam in humeros profluentem alebant; cf. Epod. 11 28; Carm. II 5 21, III 20 14. *deciderint:* decidunt comae a tonsore resectae ut adultum iam non decentes. 'usque ad pubertatem enim pueris comae nutriri consueuerant; ut *crines cui lactea ceruix excipit*' (Verg. Aen. X 137). Acron. Adde Iuuenalis III 186: *ille metit barbam, crinem hic deponit amati* (pueri), *plena domus libis uenalibus.*

4. *puniceae — rosae: puniceus* et *punicus* (nam promiscue dicitur) a *Poenis* ductum idem ualet quod *purpureus*; cf. Lachm. ad Lucret. II 829 p. 123. *prior:* 'priorem pro meliorem posuit'. Acron.

5. *Ligurinum in faciem uerterit hispidam:* Ligurinum, i. e. formosum puerum hoc nomine nunc hominibus notum, composuit cum hispida facie, quae mox erit pro Ligurino. Melius

mutatus Ligurinum in faciem uerterit hispidam,
dices 'heu' quotiens te speculo uideris alterum,
'quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
uel cur his animis incolumes non redeunt genae?'

XI.

Est mihi nonum superantis annum
plenus Albani cadus, est in horto,

5. ligurinum *ABGHgω:* Ligurine ς. uerterit in faciem ς. 6. te *BGHω:* te in *Agς duo Blandinii.* spiculo *pr G.* 8. his *om H in fine lineae.* ĩcolumis *A*, incolomes *G.*

Ad Phyllam de die natalis (*uoluit* natali) sui simul et Męcenatis qui erat idibus aprilibus. Erotice tetracolos *A.* ad phillidem de die natali sui et mecenatis pragmatice *B.* Ad Philidã de die natalis sui et Mecenatis *H.*

1. michi *B.* 2. abbani *B.*

hoc est quam librorum interpolatorum scriptura *Ligurine.*

6. *te speculo:* speculo casus est instrumentalis. In aliquot libris *te in sp.* interpolatum est. Vèrum recte Lachmannus ad Lucretii III 97 p. 219 haec monuit: 'Horatius utrum in carminum IIII 10 cum praepositione *quotiens te in speculo uideris alterum* an *te speculo* sine praepositione scripserit cum non satis constet, Orellius alterum probat, 'ne elidatur te' inquit, idem in libro III 29 non offendens ad illud *Virtute me inuoluo*, neque in epodo quinto ubi est *Quid ut nouerca me intueris.* poterat scire in quarto carminum libro uocales longas non elidi, neque aut in carmine tertio *tui est* ferendum esse aut in nono *Voltu et per*, quorum reliquit alterum, alterum correxit'. Ob hanc causam etiam I 3 37 rectius scribimus *arduist* quam *ardui est:* nam illud carmen non ita diu ante librum quartum factum est; aliter se res habet in epodi 15 uersu duodecimo, ubi *uiri est* non temptandum esse putaui.

7. *quae mens est hodie:* tunc (hodierna mente) optabit ut hominem beneuolum olim sibi conciliauerit.

8. *incolumes — genae: incolumes* uocat barba nondum obsitas. Terent. Hecyr. I 1 17: *eheu me miseram, cur non aut istaec mihi aetas et formast, aut tibi haec sententia?*

Carm. XI. Prooemium. *Assunt, Phylli, quibus opus est ad festum diem rite celebrandum. Gaudia, quibus aduocaris, pertinent ad diem natalem Maecenatis amici carissimi. Tu quidem petis Telephum: sed hunc tenet alia puella, neque ille tuae sortis iuuenis est. Age modos disce, amanda uoce quos reddas.* (Metrum Sapphicum)

Annus compositi poematis certius definiri nequit; inter 737 et 742 (17 et 12) haec lusit.

1 — 12. Haec et cetera ad Phyllidem praesentem loquitur, ut finis orationis ostendit, non ad absentem scribit, ut opinantur interpretes nonnulli.

1 — 2. *est mihi — cadus:* adest et bonum uinum et larga copia. Plinius XIIII 8 (6) § 64: *ad tertiam palmam* (post Caecubum et Falernum) *uarie uenere Albana urbi ui-*

Phylli, nectendis apium coronis,
est hederae uis

multa, qua crines religata fulges;
ridet argento domus; ara castis
uincta uerbenis auet immolato
spargier agno;

cuncta festinat manus, huc et illuc
cursitant mixtae pueris puellae;
sordidum flammae trepidant rotantes
uertice fumum.

3. Philli *GH, non AB.* 4. ederae *Hg.* 5. *stropham tertiam* (*u.* 9—12) *ante hanc secundam* (5—8) *habet A; error notatus est altera m. appositis* b̊ å. crinis *B.* 6. ridet a. domus *Seruius ad Vergil. Eclog.* 4 20. 7. inmolato *B,* imolato *g.*

cina, praedulcia ac raro in austero. Columella III 8: *neque enim dubium est Massici Surrentinique et Albani atque Caecubi agri uites omnium quas terra sustinet in nobilitate uini principes esse.* In praecipuis ab Horatio numeratur Albanum Serm. II 8 16.

2—3. *est in horto — apium:* apium (σέλινον) coronis additur et propter uiridem colorem et odoris suauitatem; cf. ad I 36 16. Hortum intellege domus urbanae Horatii, de qua dictum est ad Serm. II 3 308.

4—5. *est hederae uis multa:* additum *multa* frigere uideatur, sed addi debuit, ut uim esse *copiam,* non innatam hederae potentiam appareret. De Phyllide *multa fulges* dictum esse nequit uel ob hanc causam, quod relatiuum postponi non potest, nisi ubi praecessit adiectiuum eodem casu cum ipso iungendum, ueluti I 2 10: *nota quae sedes fuerat,* III 27 41: *uana quae porta fugiens eburna.*

5. *qua crines religata fulges:* cf. ad II 11 24. Coronis Horatius et conuiuae redimientur, Phyllis hedera fulgebit.

6. *ridet argento domus:* argentum dicit uasa argentea nunc in atrio domus exposita: hinc domus ridet (γελᾷ), h. e. splendet siue renidet. Epl. I 5 7: *iam dudum splendet focus et tibi munda supellex.* Verbum *ridet* ab oculis ad aures scite translatum est.

6—7. *ara castis uincta uerbenis:* 'uerbenae sunt omnes herbae frondesque festae ad aras coronandas, dictae quasi herbenae'. Acron; cf. Plinii NH. XXII 3 (2): *non aliunde* (nisi de gramine) *sagmina in rebus publicis fuere et in sacris legationibus uerbenae.* Aram cogita terrae cumulum caespitibus (*uerbenis*) appositis firmatum et contentum; *uincta uerbenis* est grata earundem litterarum iunctura. Castae uerbenae sunt purae, nullo usu pollutae. Verbum *auet* ab hominum expectatione ad ipsam aram translatum est.

9. *cuncta — manus:* agnosce opulentum hoc tempore poetam, iam non uno (Carm. I 38) uel tribus (Serm. I 6 16) ministris contentum; quae *manus* (= multitudo) intellegatur, proxima ostendunt (*mixtae pueris puellae*).

10. *puellae:* puellas pro ancillis ponere nunc potuit post antegressum nomen *pueros,* quod ut Graecorum παῖδες de seruis uulgo dicitur.

ut tamen noris quibus aduoceris
gaudiis, idus tibi sunt agendae,
qui dies mensem Veneris marinae
findit Aprilem,

iure sollemnis mihi sanctiorque
paene natali proprio, quod ex hac
luce Maecenas meus affluentis
ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupauit
non tuae sortis iuuenem puella
diues et lasciua tenetque grata
compede uinctum.

17. sollempnis *BH*, *non AG*. 18. Pene *AB*, Poene *GH*. 19. mecenas *BGHg*. affluentis *A*: affluentes *BGHg*. 21. Thelephum *BG*. 24. conpede *B*.

11. *flammae trepidant:* flammas in foco subsultantes eximie pinxit; rotant uertice suo sordidum fumum, dum in summis flammis fumus rotatim ascendit. De *uertice* pro *in uertice* cf. ad I 16 5.

13—20. Apparatus causam esse natalem Maecenatis declarat.

13—14. *quibus aduoceris gaudiis:* breuiter pro 'quid gaudia uelint quibus aduocaris'; gaudia dicit festum laetitiis plenum.

15. *mensem Veneris:* Aprilis Veneri dicatus est, quod is mensis terram frigore contractam soluit et *aperit* ferendis fructibus. Varro LL VI 33 de Aprili: *secundus* (mensis), *ut Fuluius scribit et Iunius, a Venere, quod ea sit Aphrodite. Cuius nomen ego antiquis litteris quod nusquam inueni, magis puto dictum, quod uer omnia aperit.* Macrob. Sat. I 12: *hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret.* De Venere marina cf. ad III 26 5.

16. *findit:* poetice pro *diuidit,* qua in re ipsum nomen *iduum* ab *iduare* dictum uidetur respexisse. Monuit Landinus.

17—20. Paulo celerius Maecenatis laudes peregit, fortasse ipsius amici gratia fortiores animi spiritus coercendo. Nimirum Augusti amicitia erga Maecenatem frigescere tunc coeperat. Cf. Dio LIIII 19. Taciti Ann. III 30.

17—18. *sanctiorque paene natali proprio:* '*paene* pro adulatione uitanda posuit'. Acron. Ego aliam causam modo attuli. Conferas cum his II 17 5 sqq. Ibi certe huiusmodi *paene* non est.

19—20. *affluentis ordinat annos:* large iam affluxisse annos amico significauit.

21—30. Haec addit prouidens ne puella alio abeat, sed secum maneat.

22. *non tuae sortis iuuenem:* censu et genere Telephus te melior est. Telephus qui nunc memoratur non est ille, quem in Prooemio carminis III 19 inuenimus: is enim anno urbis 717 cum Horatio iter fecit, hic admodum iuuenis est post annum 737. *Telephi* nomine *Maximum* Paulum, quem primo carmine huius libri cecinit, significari coniecerim. Ille saltem et genere et diuitiis *dispar* Phyllidi fuit. Tum syllabarum ratio in utroque nomine concinit.

terret ambustus Phaethon auaras
spes, et exemplum graue praebet ales
Pegasus terrenum equitem grauatus
Bellerophontem,

semper ut te digna sequare et ultra
quam licet sperare nefas putando
disparem uites. age iam meorum
finis amorum

(non enim posthac alia calebo
femina), condisce modos, amanda
uoce quos reddas: minuentur atrae
carmine curae.

25. phoeton *ABHg*, pheton *G*. 28. Bellorofontem *AHg*, Belloro fontem *B*, Bellorophontem *G*. 29. digna te *G*. 33. post hac *B*. 34. *hoc uersu desinit codex G in pagina* 118.

25—28. Puella quae spernitur ab amatore, *excuti* dicitur (III 9. 19), quod idem equitantibus aut curru uehentibus aliquando solet euenire. Apte igitur cum puella nimis alta petente audacem equitem (Bellerophontem) et aurigam (Phaethonta) composuit, qui excussi sunt in alta nitentes.

25—26. *terret ambustus Phaethon auaras spes: terret* est absterret, dissuadet tamquam spes periculi plenas. Auarae sunt quae nimium auent; cf. Epl. I 2 56.

27. *grauatus:* qui ferre dedignatus est. Lusus in uerbis *grauatus* et exemplum *graue* in his iocis conceditur. Bellerophon uicta Chimaera ad solem cum in Pegaso tenderet, excussus est. Scholiasta ad Aristoph. Ran. 75. Hyginus Poet. Astron. II 18.

31—32. *meorum finis amorum:* postrema omnium quas amaui. Vt usu Catulliano (cf. 6 16, 40 7, 45 1, 64 27) *amores* h. l. pro puellis amatis accipiamus, numerus multitudinis suadet. Alii interpretantur 'in qua amores mei desinent'.

33—34. *non — alia calebo femina:* cf. I 4 19.

34. *condisce modos:* modi sunt *μέλη*, *carmina;* quae discit, ei doctore opus est; is autem nemo nunc est nisi Horatius, qui dat modos a Phyllide reddendos, quibus celebretur festus dies tunc agendus. Cf. IIII 6 43: *reddidi carmen docilis modorum*. Itaque *condisce* est 'me docente disce'. Occupat puellam ita, ut negare alioue abire uix possit.

35—36. *minuentur — curae:* tuae, quae alium petis, meae, qui hoc metuo.

XII.

Iam ueris comites, quae mare temperant,
impellunt animae lintea Thraciae;
iam nec prata rigent, nec fluuii strepunt
Hiberna niue turgidi.

Veris asscriptio (de) ∻ (= est). Ad uirgilium. quod tempus in mortalibus sit gratissimum. Paraentice (*pro* paraenetice) tetracolos. Metr̄ tribus uersibus asclipiadeum, quartus glyconius *A*. Veris descriptio ad Virgilium *S* (= *Sangallensis oppidanus*). Ad uirgilium loquitur quendam unguentarium (*B* ungatarium) *BH*.

2. *Seruius ad Vergil. Aen.* VIII 403. inpellunt *B*. traciae *AH*. 3. fluui *A*.

Carm. XII. Prooemium. *Ver aduenit, sitim adduxere tempora. Calenum, Vergili, si bibere gestis, onyx nardi tui cadum mei uini eliciet. Memor mortis, dum licet, consiliis misce breuem stultitiam.* (Metrum 18)

Nobiles iuuenes, quorum cliens Vergilius aliunde nobis non cognitus u. 15 uocatur, haud dubie Tiberius Nero et Drusus Claudius fuere, quos ille coluit et secutus est, ut lucellum sibi pararet (u. 25), id quod Catullus quoque spectauit, ubi Memmium Bithyniae propraetorem comitatus est. Vergilius ille Drusum et Tiberium ad expeditionem Raeticam, ut mihi uidetur, secutus erat (739), unde regressum et magno fauore florentem proximo uere (740 = 14) iocoso hoc carmine ab Horatio celebratum esse crediderim. Quod si sic euenit, Vergilius nardum Gallicum ex illo itinere in urbem secum tulisse uideatur: nam in Gallia nardum bonum ex nardi Gallicae siue Celticae radice parabatur. Plinius NH. XII 26 (12): *in nostro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum.* Idem XV 7: *fit et* (oleum) — *nardo Gallico*, ubi *Gallica* corrigendum est. Quippe in montibus Galliae et Italiae superioris, Heluetiae Raetiaeque, etiam in iugis Germaniae meridionalis sponte nascitur planta cum radice fortiter olente, crassitudine digitali, quam noui botanices periti auctore Linnaeo *Valerianam alpinam* siue *montanam* uocant, ueteres *nardum Gallicam* siue *Celticam* appellauerunt. Oleum inde expressum in urbe noua res fuit ac rara post Raetos nuper subactos. Quod cum ex Raetica expeditione domum reportasset Vergilius ac magnis laudibus ut rem pretiosam efferret, hoc poemate, opinor, Flaccus iuuenem ex bello reducem excepit, quo Drusi Tiberiique clientem celebraret, de merce eiusdem innoxias facetias admisceret. Ex coniectura admodum incerta glossa quaedam codicis Parisiensis non boni (V) Vergilium negotiatorem et (!) medicum Neronum uocat, quam noui interpretes parum circumspecte secuti sunt. Simile est iocus Catulli in carmine 13.

2. *animae — Thraciae: animae* pro uentis leniter spirantibus (*Thracische Hauche*). Dicit autem τοὺς ὀρνιθίας. Pseudo-Aristoteles de Mundo c. 4: *οἱ δὲ ὀρνιθίαι καλούμενοι, ἐαρινοί τινες ὄντες ἄνεμοι, βορέαι εἰσὶ τῷ γένει.* Columella XI 2 21: *X. Kalendas Martii leo desinit occidere; uenti septentrionales qui uocantur ornithiae per dies triginta esse solent, tum et hirundo aduenit.* Hoc carmen igitur exeunte mense Februario uel ineunte Martio factum est.

3—4. *iam nec — turgidi:* conf. I 4 et IIII 7.

nidum ponit Ityn flebiliter gemens
infelix auis et Cecropiae domus
aeternum obprobrium, quod male barbaras
regum est ulta libidines.

dicunt in tenero gramine pinguium
custodes ouium carmina fistula
delectantque deum cui pecus et nigri
colles Arcadiae placent:

adduxere sitim tempora, Vergili.
sed pressum Calibus ducere Liberum
si gestis, iuuenum nobilium cliens,
nardo uina mereberis.

5. ytin *B,* itin *H*, bithin *S*. 6. caecropiae *H*. 7. obprobrium *ABHS:* oppr. *g*. 8. regnũ *Ag*. 11. Delectantque *ABHSς:* Delectante *corr a. m. Hς*, Delectant *g*. 12. archadiae *BSH*. 13. uergili *A Parisiensis* 7900: uirgili *BHSgω*. 16. bina *A*. mereberis *Hς:* merebere *ABg pr Sς*.

5—8. A rerum natura transit ad studia animalium uerno tempore excitata, ex quibus hirundinem, ueris nuntiam, memorauit. Infelix auis et Cecropiae domus aeternum obprobrium (ὄνειδος) est Procne in hirundinem conuersa. Cf. Epl. I 7 13: *cum Zephyris — et hirundine prima*. Hesiodi Ἔργα 566: *τόνδε μετ' ὀρθρογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδὼν ἐς φάος ἀνθρώποις, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο.* De Procne eandem famam secutus est quam Ouidius Metam. VI 424 sqq., Pausanias I 5 4. Alia fama *Philomelam* Terei coniugem et filii sui interfectricem habet; Homeri Odyss. τ 518, Sophocl. Oedip. Col. 671, Catull. 65 13 cet. Quod hirundo non canit neque uoce liquida utitur, sed tantum fritinnit, Ityn *flebiliter gemere* dicitur.

7—8. *quod male barbaras regum est ulta libidines:* libidines dicit, quales barbarorum regum esse solent, ut Tereus Thraciae rex Philomelae sorori coniugis suae uim intulit. Sed has libidines *male* uel *praue* ulta est Procne coniux occiso filio suo, ut epulandum daret marito.

9—12. Ab animalibus ad homines transgressus gaudia pastorum Arcadiae refert. In magna uarietate admirabilem simul simplicitatem secutus est.

11—12. *nigri colles Arcadiae:* consiti quercu et arboribus piniferis nigrum colorem referunt. Cf. I 21 7, IIII 4 58.

13—16. Ad propositum accessit: 'tempora sitim adduxerunt, quam tu sedare apud me dulci uino potes, sed non sine aliquo munere tuo'.

14. *pressum Calibus:* cf. I 20 9. *ducere:* non solum gratissimus erit Liber a me apponendus, sed etiam *largus;* illud *pressum Calibus* significat, hoc inest uerbo *ducere*.

15. *iuuenum nobilium cliens:* 'utrum haec ad Tiberium et Drusum, Augusti priuignos, an ad Agrippae filios, Augusti nepotes, qui postea C. et L. Iulii Caesares, an, ut mauolt Bentleius, ad quoscunque tandem nobiles iuuenes pertineant, nos ignoramus'. Orellius. Equidem aliter sentio. Agrippae filii tunc infantes ante Horatii obitum pueritiam non egressi sunt ac propter hanc causam in eius carminibus non memorantur. Iuuenes nobiles certi quidam sunt et eiusmodi,

nardi paruus onyx eliciet cadum,
qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
spes donare nouas largus amaraque
curarum eluere efficax.

ad quae si properas gaudia, cum tua
uelox merce ueni: non ego te meis
inmunem meditor tinguere poculis,
plena diues ut in domo.

uerum pone moras et studium lucri,
nigrorumque memor dum licet ignium

17. pard^{u}us (*corr ead. m.*) *A.* onix *HS.* 18. sulpiceis *H.* 19. dona renouas *A.* 21. Adque *B pr H.* ꝓparas *pr H.* 23. Inmunem *B*, Imm. *AHSg.* tinguere *BH u. Blandinius:* tingere *ASg.* 24. plen^{a}e (*corr ead. m.*) *A.* 26. *Seruius ad Vergil. Aen.* IIII 384.

quorum gratiam meruisse in laude ponitur. Huiusmodi iuuenes illa aetate praeter Tiberium et Drusum nulli erant.

17—20. Nardi uasculo cadum uini admodum potentis elicies.

17. *nardi paruus onyx eliciet cadum:* suae mercis pretium auget cadi copiam memorando, Vergilianam extenuat, eo quod paruo onyche nardum inclusum significat. De nardo cf. ad II 11 16. Adde Ioannis Euang. XII 3. De onyche uase Plinius XXXVI 12 (8) § 60: *hunc aliqui lapidem alabastriten uocant, quem cauant ad uasa unguentaria, quoniam optime seruare incorrupta* (unguenta) *dicitur.*

18. *qui nunc Sulpiciis accubat horreis:* non de uino emendo ex Sulpiciis horreis dicit, ut interpretatus est Orellius, sed de cadis ab Horatio ad seruandum in horreis illuc delatis, qui domini iussu ad ipsum referebantur. Nimirum poeta iam opulentus pretiosis uinis minime caret. Ex antiquiore interprete Porphyrion ad h. l. seruauit haec: 'Sulpicii Galbae horrea dicit; hodieque etiam Galbae horrea uino et oleo similibusque aliis referta sunt'.

19. *spes donare nouas largus:* cf. Epl. I 5 17 sqq.

19—20. *amaraque curarum:* poetice pro *amaras curas*, *τὰ πικρὰ τῶν μεριμνῶν*, ut alibi *acuta belli*, de quo u. ad IIII 4 76. De iunctura *eluere efficax* cf. ad I 1 18. *Mala uino lauere* legimus III 12 2.

21—22. *cum tua — merce* (*mit deiner Waare*): hoc cum aliquo nardi contemptu dictum. Hinc antiqui interpretes suum unguentarium, alii negotiatorem, alii medicum incaute lucrati sunt: longius aberrant qui de poeta Vergilio cogitant, qui ante mortuus est quam ullum carmen libri quarti scribi coepit.

23. *inmunem: ἀσύμβολον*, nihil muneris ferentem; conf. ad III 23 17.

24. *plena diues ut in domo:* cf. II 12 24: *plenas Arabum domos.*

25. *pone moras et studium lucri:* lucrum captabat inseruiens iuuenibus nobilibus, quod paulo alacrius uidetur egisse. Conf. ad III 29 5.

26. *nigrorumque — ignium:* dicit ignes rogi, unde *nigri* cineres re-

misce stultitiam consiliis breuem:
dulce est desipere in loco.

XIIII.

Audiuere, Lyce, di mea uota, di
audiuere, Lyce: fis anus, et tamen
uis formosa uideri,
ludisque et bibis inpudens,

27. stulticiam *AHS*. 28. dissipere (*alt. m. corr.* e) *B*. inloco *ABHS*.

Compotem se uoti sui factum esse dicit quod Lyce (Lice *S*) anus facta sit *AS*. ad licen vetulam meretricem iacit euctice *B*, *item H omissis* iacit euctice.

1. *abest ab A*. lice *HS hic et u*. 2. dii *utrobique BHS Diomedes l. c.* 4. ĩpudens *g*, impudens *ABHS*.

linquuntur. Quintiliani Declam. 10 c. 5: *nec fauilla funebri nigra facies*.

27. *consiliis:* h. e. prudenti rationi, qua iuuenes nobiles colis ac tuis rebus consulis.

28. *desipere in loco:* ubi locus suadet et permittit. Epl. I 7 57: *et properare loco* (= in loco) *et cessare*.

Carm. XIII. Prooemium. *Anus fis, Lyce, id quod ego deos precatus sum, et tamen uis formosa uideri et cupidinem tui in iuuenibus excitare. Nihil restat illius, quae post Cinaram et facie et artibus me mihi surripuit. Diu uiuis, ut adulescentuli formae ruinam ridere possint.* (Metrum 19)

Vt in fine carminis undecimi huius libri, sic etiam nunc, sed alia ratione inita, finem amoris sui significauit. De Lyce cf. ad III 10, item ad epodum quintumdecimum.

1—2. *audiuere — Lyce:* quae uota conceperit Horatius, indicant uerba *fis anus*. Hoc uouerat pertaesus superbiae Lyces, de qua queritur III 10.

4. *ludisque — inpudens:* hoc pertinet ad conuiuia meretricia, quibus Lyce etiam tum adesse solebat; ludum accipe cottabi et similes.

5—6. *cantu tremulo — sollicitas:* cantus tremulus est potae et cupidinem citantis, non ut uetulae: nam adeo senem esse Lycen, ut sine uocis tremore canere non posset, ne nunc quidem significatum est.

6. *lentum:* qui obsequi non uult, non excitatur in iuuenibus, quibuscum ludis et bibis.

6—8. *ille uirentis — in genis:* Chia uiret, Lyce arida est, illa docta est *psallere*, h. e. citharam pulsare, Lyce ludit inpudens, illius genae pulchrae sunt et Cupidinem excubantem in se habent, huius dentes luridi sunt et os rugis occupatum est. *Chia* a Chio patria nominatur, ut Lesbia, Delia, Perinthia, Andria, siue Chio Romam aduecta erat, siue Horatius nomen in libertinis et peregrinis uul-

et cantu tremulo pota Cupidinem
lentum sollicitas. ille uirentis et
doctae psallere Chiae
pulchris excubat in genis.

inportunus enim transuolat aridas
quercus et refugit, te quia luridi
dentes, te quia rugae
turpant et capitis niues.

nec Coae referunt iam tibi purpurae
nec cari lapides tempora quae semel
notis condita fastis
inclusit uolucris dies.

8. ī geņıs *A*, ingenis *HS*. 9. inoportunus *BS:* imp. *AHg*. 10. quia] ꝗ *A*, *item u.* 11. 13. choae *BHS*, choe *g*. iam tibi referunt purp. *S*. 14. cari *u. Blandinius BSς Acronis interpretatio et commentatoris Cruquiani:* clari *AHgω duo Blandinii Porphyrion.* 16. *Priscianus* V 3 18.

gatum secutus est. Respexit Sophoclis Antig. 728: Ἔρως —, ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς νεάνιδος ἐννυχεύεις.

excubat: excubias agit, eoque minime lentus est.

9—12. Lyces formam euanuisse exequitur.

9—10. *inportunus enim transuolat aridas quercus et refugit:* rem comparatam et comparationi seruientem iungit pro *te transuolat et refugit tamquam aridas quercus;* cf. I 25 17—20. Quercus arbor longaeua apta uisa est, quae cum anu comparetur. *inportunus* (*rücksichtslos*): h. e. nihil curans offensam.

10—12. *te quia luridi dentes — turpant:* haec iungi debere et proximum ostendit membrum a uocibus *te quia* perinde inchoatum et diaeresis uersus Asclepiadei comprobat. Alii iungunt *et refugit te*, *quia* cet., mox aut *dentes te*, *quia* cet. aut *dentes*, *te quia*. *luridi* (*fahl*): pallido flauoque colore tincti; III 4 74: *luridum missos ad Orcum.*

11—12. *te quia rugae turpant: turpant* est turpem faciunt, uerbum poetis proprium. Cf. I 13 10; Serm. I 5 61. Vergilius Aen. X 832, XII 611.

12. *capitis niues:* non recte reprehendit Quintilianus VIII 6 17: *sunt et durae, id est a longinqua similitudine ductae translationes, ut capitis niues.* Nimirum post *rugas* quid sint *capitis niues* fallere neminem potest.

13—16. Cultus non referunt florem aetatis semel praeteruectum.

13. *Coae — purpurae:* uestes Coae purpura infectae. Hae uestes bombycinae, tenues et pellucidae, a meretricibus potissimum petebantur. Serm. I 2 101: *Cois tibi paene uidere est ut nudam.*

14. *cari lapides:* ut Coae uestes purpurae splendore, sic lapides pretio mouere uolunt, quo utroque inanis labor meretricis indicatur. Diuersa scriptura *clari* testes non aeque bonos habet.

15. *notis condita fastis:* cum fasti publici sint et noti hominibus, facile tempora tua computantur nec latere possunt.

quo fugit Venus, heu, quoue color? decens
quo motus? quid habes illius, illius,
quae spirabat amores,
quae me surpuerat mihi,

felix post Cinaram, notaque et artium
gratarum facies? sed Cinarae breuis
annos fata dederunt;
seruatura diu parem

cornicis uetulae temporibus Lycen,
possent ut iuuenes uisere feruidi

17. uenus *om A*. 20—21. quae — Cinaram *Priscianus* X 2 7, quae — mihi *idem* XVII 1 5. 20. usurpuerat *A*. michi *B*. 21. cinaram *AH:* cynaram *Bg corr S,* cyranam *pr S*. arcium *S*. 22. cynarae *BS*, cynare *g*. breuis *A:* breues *BHSg*. 25. licen *H*.

17—20. Pristinam Lyces formam opponit praesenti deformitati. In illa laudat Venerem, h. e. gratiam, colorem (iuuenilem), tum decentem motum. Quintilianus I 10 26: *corporis quoque decens et aptus motus, qui dicitur εὐρυθμία, est necessarius*.

18. *illius, illius:* anadiplosis admirationem mutatae formae depingit.

19. *quae spirabat amores* (*Liebesgluthen*): quocumque spirabat, iuuenes alliciebat.

20. *quae — mihi:* qua uisa ego mei plane oblitus eram; *surpuerat* rarum est in lyricis; magis conuenit Sermonibus (II 3 283: *surpite*).

21—25. Hic locus grauissimus est ad cognoscendas militias amoris, quas Horatius per uitam obiit. Quippe iuuenis Cinaram amauit libertinam, quam dum uixit, *Glycerae* nomine significauit (cf. ad I 19). Haec cum post annum 725 uita excessisset, aliam (Lycen) uero suo nomine nobis non cognitam dilexit, non puellam, sed mulierem *Lupo* marito non fideli nuptam; hanc diu secutus est, superbiam et fastidium, ut potuit, tolerando (Carm. III 10), tum neglegere coepit circa annum 733. Conf. annot. ad III 19 22—24, Prooem. Epod. 15. Quas praeter hasce amore suo prosecutus est, eas data occasione neque certae consuetudinis commercio coluit.

21. *felix post Cinaram:* felix quod post Cinaram, id est post mortem Cinarae, me amatorem nacta es.

21—22. *notaque et artium gratarum:* pro uulgari *et nota et artium gratarum,* 'ein ebenso bekanntes Gesicht als lieblicher Fertigkeiten mächtig'. Conf. IIII 14 46: *Nilusque et Ister;* IIII 15 31: *Troiamque et Anchisen*. Bentleius *et* pro *etiam* accepit, ut sit *notaque etiam artium gratarum*, ut Carm. II 2 6: *notus in fratres animi paterni*, sed particula *et* sic plane otiosa est. 'artium gratarum facies illa dicitur, quae oculis, nutu superciliorum, ceruicis uolubilitate, capitis gratia, totius denique corporis motu placet'. COMMENT. CRVQVII.

24—25. *parem cornicis uetulae temporibus: annosa cornix* est III 17 13, ubi cf. annotat.

26. *iuuenes — feruidi:* feruidi qui calent annis et amore. Sic uocauit secutus contrarium facis in cineres delapsae, quae friget.

28. *delapsam in cineres facem:* facem intellege erectam siue positam in aliquo loco, mox *delapsam* humi siue collapsam. Sic comparatio recto

multo non sine risu
delapsam in cineres facem.

XIIII.

Quae cura patrum quaeue Quiritium
plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, uirtutes in aeuum
per titulos memoresque fastus

28. Delapsam *ABSωΣ:* Dilapsam *Hgς u. Blandinius a Nannio collatus.* faciem *pr H.*

De salute Aug̃. ait esse sollicitos patres ad (*ac*) plebem. Encomiastice tetracolos. Metrum *cet. A.* Laudes augusti *BHS.*

1. Que cura *A pr B* (quae cura *A in notatione metrica*). que ue *pr B*, q̄ue *A* (*idem* quaeue *in notatione metr.*). quiritũ *Ag*, quiricium *HS.* 2. tuis *A.* 3. euum *H.* 4. fastus *ABg pr H corr Sω:* fastos *corr H pr Sς.* *post u.* 4 *A:* rł. Q̄ Horatii Flacci Carminum lib ·IIII· explicit. Incipit Epodon. Feliciter. Ad Maecenatem.

stat talo: nam Lyce non euanuit, sed restat, non tamen incolumis sed tamquam delapsa in humum. Sed altera quoque scriptura (*dilapsam*) bonos testes habet, in his adeo ueterem Blandinium non a Cruquio memoratum, dum formam *dilapsam* tacitus sequitur, sed a Petro Nannio in Miscellan. III 17 (u. Gruteri Lampas t. I p. 1268) laudatum, ut primus docte obseruauit Bentleius: nam Nannii ueterem librum Blandinium a Cruquiano illo non diuersum fuisse contra recentes dubitationes strenue obtinuit Mützell in Diario schol. Berol. a. 1855.

Carm. XIIII. Prooemium. *Quibus honoribus Augusti uirtutes in omne aeuum senatus populusque Romanus propagabit? Qui maximus principum Genaunos Breunosque per Drusum, mox Raetos graui proelio per Tiberium, insignem ac fortem belli ducem, deuicit. Tiberius uirtute, Augustus copiis consiliisque et deorum fauore hostes superauit. Iam longinquae nationes et feroces Augustum mirantur atque armis compositis uenerantur.* (Metrum Alcaicum)

De fratrum Claudiorum rebus anno 739 gestis, tum de carminibus in laudem illorum post Augusti e Gallia reditum (a. 741 = 13) ab Horatio factis ad quartam huius libri oden disputatum est.

1—5. *quae cura — aeternet:* quibus decretis senatus, quibus scitis populus tuas uirtutes, Auguste, aeternitati tradat? Respexit senatus consulta a Dione LIIII 24 relata, h. e. diuinos honores a. 741 Augusto decretos, sed ab illo non receptos. Verbis *quae cura patrum quaeue Quiritium* eximia breuitate et consulta senatus et plebiscita complexus est. Insolitae uirtutes curam iniciunt patribus et populo quibus praemiis eas decorent.

2. *plenis honorum muneribus*: plenis siue iustis honoribus in te collatis.

3. *in aeuum:* h. e. quamdiu homines aeuum agent, idem quod III 11 36 *omne in aeuum.*

4. *per titulos memoresque fastus:* hoc loco meliores codices secutus *fastus* dedi: nam proxime post *titulos* prudens eandem terminationem (*fastos*) uidetur uitasse; cf. ad III 17 4.

aeternet, o qua sol habitabiles
illustrat oras maxime principum?
quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

quid Marte posses. milite nam tuo
Drusus Genaunos, inplacidum genus,
Breunosque ueloces et arces
Alpibus impositas tremendis

deiecit acer plus uice simplici.

5. o *om H.* 6. horas *H.* 10. inplacidum *B*, ipl. *g:* impl. *HS.* 11. Breunosque ς *Blandinii:* Brennosque *BHSgωΣ.* 12. inpositas *S.* 13—14. deiecit — Neronum *Priscianus* XVIII 24 205.

5. *aeternet:* h. e. *aeternare potest.* Verbum *aeternare* poeticum est, ut IIII 13 12 *turpant*, IIII 3 4 *clarare.* Magis analogiam sequuntur *indecorare* IIII 4 36, *inimicare* IIII 15 20.

5—6. *qua sol — oras:* Vergil. Aen. VII 99: *nepotes* (Aeneae) *omnia sub pedibus*, *qua sol utrumque recurrens aspicit Oceanum*, *uertique regique uidebunt.*

6. *maxime principum:* periti uel ex hoc nomine cognoscent, hoc carmen ad Augustum Romae morantem scriptum esse, non in Galliam missum, ut carmen huius libri quintum: nam Romae Augustus *princeps* est, in Gallia *dux* fuit aut *imperator*, quode cf. ad IIII 5 5. Idem hoc patebit considerantibus dicta in uersibus 41—52, quae omnia principem Romae moderantem demonstrant.

7. *legis expertes Latinae:* in prouinciam nondum redacti. Nimirum prouinciae forma *lege* constituebatur, lex plerumque de consilio decem legatorum ferebatur.

8. *Vindelici didicere nuper:* dicit populos a Druso nuper subactos. Hos quarto carmine *Raetos Vindelicos* uocauit, in hoc Vindelicos, mox accuratius nationum uocabulis *Breunos* et *Genaunos* nominat; cf. ad IIII 4 17.

9. *milite nam tuo:* exercitu a te cum Druso duce siue legato tuo ex Italia aduersum Raetos Vindelicos misso; cf. annot. ad IIII 4 24.

10—11. *Genaunos, inplacidum genus, Breunosque ueloces:* non alii sunt quam quos modo *Vindelicos* et in quarto carmine *Raetos Vindelicos* dicit. Res igitur ad Horatii mentem sic constituenda est: *Breuni et Genauni* nationes erant *Vindelicorum*, hi ipsi pars *Raetorum.* Aliter Strabo IIII 6 § 8: *οἱ δὲ Οὐινδολικοὶ καὶ Νωρικοὶ τὴν ἐκτὸς παρώρειαν κατέχουσι τὸ πλέον μετὰ Βρεύνων καὶ Γεναύνων, ἤδη τούτων Ἰλλυριῶν.* Vt Horatius, sic etiam ceteri Romani, cum Raeti et Vindelici primum cogniti sunt, uidentur iudicasse, mox Raetos et Vindelicos discernere et duabus prouinciis assignare coeperunt. Hinc Dio tantum de Raetis loquitur, item Liuius Epitoma libri 136: *Raetia a Tiberio Nerone et Druso, Caesaris priuignis, domita.* Genaunos *inplacidum genus* et Breunos *ueloces* uocauit ob incursiones, quibus finitimas Gallorum et Italiae fines saeue deuastabant. Strabo l. c. *ἅπαντες δ' οὗτοι καὶ τῆς Ἰταλίας τὰ γειτονεύοντα μέρη κατέτρεχον ἀεὶ καὶ τῆς Ἐλουηττίων καὶ Σηκοανῶν καὶ Βοΐων καὶ Γερμανῶν.* Adde Dionis LIIII 22. Adiectiuum *inplacidum* primus ausus est Horatius.

13. *plus uice simplici:* plus quam

maior Neronum mox graue proelium
commisit inmanesque Raetos
auspiciis pepulit secundis,

spectandus in certamine Martio
deuota morti pectora liberae
quantis fatigaret ruinis,
indomitas prope qualis undas

exercet auster, Pleiadum choro

14. proelium *BH:* prelium *S.* 15. inmanesque *B:* immanesque *HS.* raetos *Hς:* rhetos *BSς,* rhethos *g.* 16. reppulit *S correctus ead. m.* pepulit. 19. fatigaret *gωΣ:* fatigarat *BHSς* (*S sine correctione*). 21. pliadum *HS.*

simplicem uicem exoluens. Nam *uicem exoluere* atque *uicem reddere* est *paria paribus referre.* Raeti in Italiam superiorem praedabundi inuaserant, ut tradunt Dio et Strabo; hoc Drusus plus uice simplici ultus est. Porphyrion: 'uult intellegi in uastandis his non tantam illis cladem intulisse, quantam ipsi dederant, sed duplam'.

14—16. *maior — secundis:* Tiberius cum Augusto in Galliam profectus a. 738, missu Caesaris ex Gallia fratri cum exercitu auxilio uenit a. 739; dein uterque Raetos (Raetos et Vindelicos) aggressi uicerunt. Dio et Strabo locis indic. Tiberius natus a. 712 (42 a. Chr.) tunc annos 27 numerabat, Drusus 23. Horatio sufficiebat praecipuam belli pugnam memorasse (*graue proelium*): re uera et Drusus et Tiberius Raetos pluribus cladibus pacauerant, ut Dio rettulit l. c.

15. *inmanesque Raetos:* saeuos in hostes et captiuos, ut Strabo tradidit IIII 6 8, crudeles in liberos suos ad desperationem redacti, ut narrat Florus IIII 12 § 5 (II 23): *quae fuerit Alpinarum gentium feritas, facile est uel per mulieres ostendere, quae deficientibus telis infantes suos adflictos humi in ora militum aduersa miserunt.*

17—32. Vt in quarto carmine Drusi laudes cecinit, sic nunc Tiberii fortitudinem extulit.

17—19. *spectandus — ruinis:* ut emineat Tiberii fortitudo, hostes laudantur, ut qui cum libertate mori uellent (*deuota morti pectora liberae*).

20—24. Tiberius cum rapido austro confertur, celeritatis habita ratione.

20. *indomitas prope qualis undas: prope* iunge cum *indomitas,* non, ut uulgo fit, cum *qualis — exercet.* Simpliciter *indomitas* nominare non uoluit, quod undarum imagine fortes Raetorum cateruas repraesentauit a Tiberio uictas. *Indomitas* ualet *non domabiles.* Peerlkampius falsam secutus illam iuncturam imaginis auctorem crimine insectatur, cuius diluendi causa Meinekius attulit Catonianum (Gell. XI 2): *uita humana prope uti ferrum est.*

21—22. *Pleiadum choro scindente nubes:* Hyginus Astron. poet. II 21: *chorum ducere Pleiades existimantur stellis.* 'Pleiades dictae sunt quae et Vergiliae; harum ortus tempestuosus est'. Acron. Columella XI 2 34: *decimo kalendas Maias Vergiliae cum sole oriuntur; Africus uel auster, dies humidus.* Ibid. § 74: *sexto idus Octobris Vergiliae exoriuntur uespere; fauonius et interdum Africus cum pluuia.* Nubes

scindente nubes, inpiger hostium
uexare turmas et frementem
mittere equum medios per ignes.

sic tauriformis uoluitur Aufidus,
qui regna Dauni praefluit Apuli,
cum saeuit horrendamque cultis
diluuiem meditatur agris,

ut barbarorum Claudius agmina
ferrata uasto diruit impetu
primosque et extremos metendo
strauit humum, sine clade uictor,

22. inpiger *B*, ĭpiger *g:* impiger *HS.* 26. praefluit *ω u. Blandinius Nannii*, p̄fluit *g*, prefluit *HS*, p̄fuit *B:* perfluit *Aldus.* 27—28. horrendamque — agris *Seruius ad Vergil. Georg.* III 153, *Aen.* IIII 171, *Nonius p.* 203 29. 27. seuit *BHS.* et horridam *Seruius altero loco; idem priore* horrendamque. 28. meditatur *BHςΣ Cruquii commentator Seruius:* minitatur *S* (*sine correctione*) *gω* '*tres codices*' (*Blandinii*) *Cruquii Nonius.*

scissae cum apparent, certum tempestatis signum est. De uiolentia austri cf. I 3 15, III 3 4, Serm. I 1 6.

22—23. *inpiger — turmas:* suppressit *ita* uel *sic.* De structura *inpiger uexare* cf. ad I 1 18.

24. *medios per ignes:* per flagrantissimam hostium aciem.

25—32. Noua imagine, quae a torrente sumpta est, impetum Tiberii illustrat.

25. *sic — Aufidus:* tauriformis est ταυρόμορφος, qua figura Archilochus, dein Sophocles in Trachiniis Acheloum, Euripides in Ione Cephisum, in Iphigenia Aulidensi Alpheum produxerunt, adducti quod torrentes mugiunt ut tauri. Homerus Il. Φ 237 de Scamandro flumine dicit μεμυκὼς ἠΰτε ταῦρος. Horatius idem epitheton patrio fluuio uindicauit, acri scilicet et longe sonanti (IIII 9 2; Serm. I 1 58). Conf. Festus s. u. TAVRORVM *specie simulacra fluminum, i. e. cum cornibus formantur, quod sunt atrocia ut tauri.* O. Müller Enchirid. artis antiq. § 403 1 et 2.

27—28. *horrendamque cultis diluuiem meditatur agris:* aquis saeuiens in montibus Hirpinorum collectis ripas egredi cogitat (*meditatur diluuiem*), ubi ad cultos agros peruenit. Nam epitheton *tauriformis* torrentem montibus decurrentem pingit. Non uidit Porphyrion scribens: 'male dixit *meditatur*, quia in ipso actu est, nec debet cogitare aut condiscere id quod iam facit'. Altera lectio (*minitatur*), cuius testes non minus boni sunt, uetus glossa uidetur esse.

30. *ferrata:* ferro tecta. Cogitare uidetur de cataphractariis, de quibus conf. Tacit. Hist. I 79 et ibi interpretes. *diruit impetu:* perrupta hostium acie et extremos et primos metere (ἀμᾶν) potuit. Vergil. Aen. X 513: *proxima quaeque metit gladio.*

32. *strauit humum:* constrauit humum *cadaueribus:* nam huiusmodi ablatiuus ex prioribus sponte se offert; cf. III 17 9—12. *sine clade:* citra sanguinem Romanum. Velleius II 95: *uterque diuisis partibus Raetos Vindelicosque aggressi — maiore cum periculo quam damno Romani*

te copias, te consilium et tuos
praebente diuos: nam tibi quo die
portus Alexandrea supplex
et uacuam patefecit aulam,

Fortuna lustro prospera tertio
belli secundos reddidit exitus,
laudemque et optatum peractis
imperiis decus adrogauit.

te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae.

34. Prebente *BS.* 34—36. nam — aulam *Priscianus* II 9 47. 35. alexandrea *pr Bg Priscianus:* alexandria *HS corr B.* 37. tercio *B.* 40. adrogauit (r *superscr. litterae* d *m. rc.*) *B:* arrog. *HSg.* 42. scites *HS.* 43. presens *S.*

exercitus, plurimo cum earum (gentium) *sanguine perdomuerunt.*

33. Reuersus ad Augustum hunc ut uictoriae auctorem ueneratur.

33—34. *te copias — diuos:* Tiberio legato suo Augustus imperator exercitum (*copias*), praecepta belli gerendi (*consilium*), auspicia (*deos*) dedit.

34—38. *nam tibi — exitus:* quod eodem die, quo quindecim annis ante capta est Alexandrea, Tiberius Raetos uicit, hanc uictoriam singulari deorum erga Augustum fauore contigisse colligit. Pendent haec ex proximis: *tuos praebente diuos.* Verbum *reddidit* est *iterum dedit.* 'ita euenit ut post annos quindecim Drusus' (immo Tiberius) 'eo die Raetos Vindelicos uinceret, quo die Augustus Alexandriam uicerat'. PORPHYRION.

39—40. *laudemque — adrogauit:* Raeticam uictoriam cumulum esse rerum ab Augusto prioribus (*peractis*) imperiis gestarum profitetur; *adrogauit* est *acquisiuit* siue *adiunxit.*

41—52. Ex imperiis tam feliciter peractis summa externorum populorum erga Augustum reuerentia consecuta est.

41. *te Cantaber non ante domabilis:* domitus ab Augusto a. 728—729, perdomitus ab Agrippa a. 735. Lege Epl. I 12 26. In proximis uersibus pronomen (*te*) praeter morem saepe recurrit, ut ingens nationum numerus, quae uerentur Augustum, magis appareat. Eadem ratio particulam *non* in proxima oda a uersu 17 usque ad 24 sexies prodire noluit.

42. *Medusque:* Parthi Armeniam uindicanti cesserant et Crassi signa reddiderant a. 734. Cf. Epl. I 18 56, annot. ad Carm. II 9. *Indus, te profugus Scythes:* Suetonius Aug. c. 21: *Indos etiam ac Scythas audito modo cognitos pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam.*

43—44. *tutela praesens — Romae:* praesens Italiam et Romam tuetur, quem externi legatis tantum ambire et uenerari possunt. Roma nunc *domina* audit, ut IIII 3 13 *princeps urbium.*

te fontium qui celat origines
Nilusque et Hister, te rapidus Tigris,
te beluosus qui remotis
obstrepit Oceanus Britannis,

te non pauentis funera Galliae
duraeque tellus audit Hiberiae,
te caede gaudentes Sygambri
compositis uenerantur armis.

46. hister *BHSg*. tygris *B*. 47. beluosus *BHSg*. 49. pauentes *nonnulli*. 50. yberiae *S*, hyberiae *H*. 51. cede *BHS*. sygambri *Bgς*, sicambri *HSς*. *u*. IIII 2 36.

46. *Nilusque et Hister: Nilus* pertinet ad Aegyptum imperio additam a. 724, *Hister* ad Coloniam Augustam Vindelicorum conditam ad Licum (Lech), qui Danubium influit. Cum Horatius haec cecinit, Danubii (Histri) fontes nondum a Romanis inuenti erant; mox cogniti sunt: cf. Strabo IIII 6 § 9 p. 207, Taciti Germ. c. 1. *Tigris* Parthorum uenerationem indicare posse uideatur, sed hi cum iam significati sint (*Medus*), Armeniam potius, unde oritur Tigris, respici credendum est. Huic ui Romana rex impositus est Tigranes; cf. ad Carm. II 9.

47—48. *beluosus — Britannis:* Strabo IIII 5 § 3: *νυνὶ μέντοι τῶν δυναστῶν τινες τῶν αὐτόθι πρεσβεύσεσι καὶ θεραπείαις κατασκευασάμενοι τὴν πρὸς Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν φιλίαν, ἀναθήματά τε ἀνέθηκαν ἐν τῷ Καπετωλίῳ, καὶ οἰκείαν σχεδόν τι παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον.* Etiam qui saeuo mari et scatente beluis defenduntur, extremi mortalium iussa tua audiunt. Obserua assonantes litteras in *obstrepit Oceanus*.

49—50. *non pauentis funera Galliae — tellus:* Gallos non pauor mortis, sed Augusti maiestas in obsequio retinet. Nam aduersus mortem prae ceteris securi fuere; Lucan. I 460 sqq., Aelianus VH. XII 23. 'non pauentes autem Gallos funera ait, quia uel ferocia uel uera persuasione rursus renascendi mortem non timebant'. Porphyrion.

50. *duraeque — Hiberiae:* dura Hiberia uocatur, quod multas difficultates uincentibus Romanis obiecit, belli laborum patientissima.

51. *caede gaudentes Sygambri:* cf. ad IIII 9.

52. *compositis — armis:* noue dixit componere arma, h. e. domi condere arma. De re cf. Dio LIIII 20 extr. Male Orellius huc aduocauit illud, quod Suetonius Aug. 21 rettulit, *Germanos ultra Albim fluuium summouit; ex quibus Vbios et Sygambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocauit.* Nimirum Sygambri demum post Drusi expeditiones Germanicas, annis 742—745 susceptas, a Tiberio trans Rhenum collocati sunt, ac quartus carminum liber ante Drusi bellum Germanicum perfectus est et editus.

XV.

Phoebus uolentem proelia me loqui
uictas et urbes increpuit lyra,
ne parua Tyrrhenum per aequor
uela darem. tua, Caesar, aetas

fruges et agris rettulit uberes,

Ad diuum Augustum *BHS*. '*Haec ode inuenitur in codic. manuscrip. adhaerere praecedenti indiuisa*'. CRVQVIVS. *Parisinus* V: *de eadem oda est.*

1. prelia *B*, p̃lia *H*, praelia *S*. 3. tyrrenum *HS*. equor *H*. 5. retulit *BHSg*.

Carm. XV. Prooemium. *Non proelia et uictas urbes dicere possum, sed bona ab Augusto nobis parta praedicabo. Ille fruges agris rettulit, contumeliam ab exteris illatam emouit, pacem restituit, licentiam repressit, ueteres artes reuocauit. Custode Caesare neque bellum ciuile neque arma exterorum timemus. Felice laeti saeculo iucundam uitam agimus, et more maiorum duces uirtute functos et auctores urbis canemus.* (Metrum Alcaicum)

Est carmen ab Horatio IIII 2 45 his uerbis promissum: *tum meae, si quid loquar audiendum, uocis accedet bona pars*, et *o sol pulcher, o laudande' canam recepto Caesare felix.* Haec ubi scripsit ante aestatem anni 741, Iulo Antonio epopoeiam in honorem Caesaris faciendam delegauit, ipse lyrae carmen scribere se uelle pollicitus est. Itaque hoc poema adulto anno 741 (a. Chr. 13) editum esse dicemus. Ne ingenti Caesaris maiestati et gloriae paene diuinae, quae tunc inualuerat, quid detraheretur, Horatius non solum magnam partem laudis in priuignos illius Drusum et Tiberium binis carminibus (4 et 14) collatae Augusto uindicauit, sed etiam prospexit, ut post utramque oden propriis carminibus (5 et 15) princeps imperii laudaretur.

1—2. *proelia me loqui — lyra:* recte Acron et Porphyrion iungunt *proelia me et uictas urbes lyra loqui:* nam Phoebus, ut proxima ostendunt, id ipsum improbabat, quod Flaccus lyra tantas res executurus erat, i. e. quod lyra epici carminis onera sustinere uoluit. Mitscherlichius et hunc secutus Orellius iunxit *lyra increpuit.* Similes admonitiones lege apud Vergilium Ecl. 6 3, Propertium III 3 13 sqq., Ouidium AA. II 493 sqq. *Loqui* est *narrare;* cf. IIII 4 67. De collocatione *uictas et urbes* cf. ad Epod. 9 13.

3—4. *ne parua — uela darem:* haec causam addunt cur Phoebus coeptum improbet. Res quae comparatur quaeque inseruit comparationi, iuncta est: monuit Phoebus, ne tam inepte ac periculose agerem, quam qui parua uela per Tyrrhenum aequor daturus est. Cf. III 3 72.

4. *tua, Caesar, aetas:* poeta statim transit ad illud, cui parem se credit. Legentibus igitur haec supplenda relinquit: 'at pacis bona quae Caesari debemus, cantare possum'. *Tua aetas*, non *tu*, dixit, ut complecti posset quae longo labore et multis curis Augustus effecerit.

5—16. Augustus populum domi frugibus alit, ab hostibus defendit, bonis moribus ornat.

5. *rettulit uberes:* hoc effecit prouidens, ne possessores agrorum pellantur, sed securi labores exequantur. Conf. IIII 5 17 sq.

6. *signa nostro restituit Ioui:* Crassi signa Ioui restituta esse iure

et signa nostro restituit Ioui
direpta Parthorum superbis
postibus, et uacuum duellis

Ianum Quirini clausit, et ordinem
rectum euaganti frena licentiae
iniecit emouitque culpas,
et ueteres reuocauit artes,

per quas Latinum nomen et Italae
creuere uires famaque et imperi

7. Direpta *BHSgω:* 'derepta. *sic habent duo codices*' (*Blandinii*), '*tertius autem* direpta, *sed per lituram*'. Crvqvivs. 10. euaganti ς *Blandinii Porphyrion commentator Cruquii:* et uaganti *BHgω*, uaganti *cum rasura duarum fere litterarum S.* 11. emouitque *Bgω commentator Cruquii:* dimouitque *HS*ς, amouitque *pauci.* 'emouitque. *duo codices*' (*Blandinii*) '*sic scriptum habent, in tertio legitur* dimouit' (*uoluit* dimouitque). Crvqvivs. 13. italiae *S.* 14. imperii *HSg, in B alterum* i *rc. m. ascriptum.*

dicere potuit, quod aquilae Ioui sacratae sunt. Lege IIII 4 1—4. 'quae interfecto cum exercitu Crasso (adde *capta*) a Parthis Augustus receperat'. Acron. De re cf. annot. ad Epist. I 18 56 et Carm. II 9.

7—8. *direpta — postibus:* Crassi signa postibus templorum apud Parthos suspensa et inde rapta uolente Augusto significat. De scriptura *direpta* conf. ad Carm. III 5 21.

9. *Ianum Quirini clausit:* cum haec scribebantur, bis Ianum clauserat Augustus, anno 725 et 729. Dio LI 20. Liu. I 19. Velleius II 38. — Dio LIII 26 extr. Orosius VI 21. Tertium clausit a. 752, h. e. sex annis post mortem Horatii: Orosius VI 22: *anno ab urbe condita DCCLII Caesar Augustus, ab oriente in occidentem, a septentrione in meridiem ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertio ipse clausit.* Ianum Quirini nominauit deum quem ceteri scriptores Ianum Quirinum appellant; cf. Forcellinii lexicon s. u. *Ianus.*

9—11. *ordinem — iniecit:* accusatiuus *ordinem rectum* pendet ab *euaganti*, non a uerbo *iniecit.* Perinde *uerum egredi*, modum *excedere* dicimus. In his uerbis et proximis *emouitque culpas* respicit *legem Iuliam de adulteriis et de pudicitia*, fortasse etiam *legem sumptuariam*, utramque latam a. 736. De illa cf. ad IIII 5 21—24, de hac Sueton. Aug. 34 et 40, Dio LIIII 16.

12. *ueteres reuocauit artes:* easdem quas Horatius olim desiderauit et carminibus libri tertii 1, 2, 3, 4 commendauit, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, sapientiam; *artes* igitur nunc ualet ἀρετάς.

15—16. *ad ortus solis:* numerus multitudinis ui concreta praeditus loca et terras, ubi sol oritur, indicat. Huic tritum *ad ortum* in aliis libris substitutum est.

17—20. Caesar concordiam et pacem domi tuetur.

17 — 18. *non furor ciuilis aut uis eximet otium:* ciues aut furore (*caecum furorem* dicit Epod. 7 13) in discordiam secedentes aut *ui* urgentes pacem turbare solent; utroque *otium eximunt*, h. e. de loco mouent.

porrecta maiestas ad ortus
solis ab Hesperio cubili.

custode rerum Caesare non furor
ciuilis aut uis eximet otium,
non ira, quae procudit enses
et miseras inimicat urbes.

non qui profundum Danubium bibunt
edicta rumpent Iulia, non Getae,
non Seres infidiue Persae,
non Tanain prope flumen orti.

nosque et profestis lucibus et sacris
inter iocosi munera Liberi,

15. ortus *BHgω*, '*unus cod.*' (*Blandinius*) '*habet* ad ortus' Cruquius: ortum *Sς*. 17. cesare *S*. 18. eximet *BHSgω duo Blandinii comm. Cruquii:* exegit *tertius Blandinius*, exiget ς *Porphyrion*. ocium *HS*. 23. infidiue *Sς commentator Cruquii:* infidique *BHgς Acron*.

Quod Bentleius monuit aduersus *eximere*, plerumque dici de re molesta, ut *eximere curam*, *metum*, *famem*, *spinas*, *fastum*, hoc neque perpetuum est (cf. Cic. Lael. c. 7), et furentibus ipsa pax molesta est.

20. *miseras inimicat urbes: inimicare* (h. e. inimicas reddere) Horatius uidetur primus formasse. Cf. ad IIII 14 5. '*inimicat* fictum uerbum est'. Porphyrion. *Miseras* urbes proleptice dixit.

21—24. Ne exteri quidem nobis haud subiecti edictis Augusti resistere audent.

21. *qui profundum Danubium bibunt:* Germani, in his prae ceteris Hermunduri, uicini Vindelicorum imperio Romano subiectorum. Hos enim potius quam ipsos Vindelicos significari hinc colligas, quod in sequentibus non prouinciae Romanae, sed externae gentes nominantur. De Hermundurorum cum Romanis amicitia et commercio cf. Taciti Germ. 41.

22. *edicta — Iulia:* ad analogiam *legum Iuliarum* pro eo quod edixit siue iussit Augustus. *non Getae:* ad pontum Euxinum habitantes, contermini Dacis et Bastarnis; cf. III 24 11. Strabo VII 3 § 12: *γέγονε δὲ καὶ ἄλλος τῆς χώρας μερισμὸς συμμένων ἐκ παλαιοῦ. τοὺς μὲν γὰρ Δακοὺς προσαγορεύουσι, τοὺς δὲ Γέτας. Γέτας μὲν τοὺς πρὸς τὸν πόντον κεκλιμένους καὶ πρὸς τὴν ἕω, Δακοὺς δὲ τοὺς εἰς τἀναντία πρὸς τὴν Γερμανίαν καὶ τὰς τοῦ Ἴστρου πηγάς.*

23. *non Seres infidiue Persae:* duabus gentibus ad septentrionem habitantibus duo populi orientem uersus siti medii interponuntur. Hinc rectius *infidiue* scribitur quam *infidique*. Seres uicini Indorum; de quorum ueneratione Augusti cf. ad Carm. IIII 14 42. *infidiue Persae:* Parthi saepe promissis non stantes (*infidi*) nunc Augusti praeceptis obsequuntur.

24. *Tanain prope flumen orti:* de Scythis cf. ad Carm. IIII 14 42.

25—32. Augustus fecit, ut iucundam uitam transigamus (*inter iocosi munera Liberi*), ut ipsi cum familia deos pie ueneremur (27—28), ut grata memoria et uiros fortes populi Romani uita functos et conditores urbis Romae prosequamur (29—32).

cum prole matronisque nostris
rite deos prius adprecati,

uirtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
progeniem Veneris canemus.

28. adp̄cati *H:* a^{d}pprecati *S*, apprecati *Bg*. 30. Lidis *S*, Lidiis *BH*. tybiis *S*. 32. pieniem *H*.
Q. ORATII. FLACCI. CARMINVM LIBER. IIII: EXPLICIT. INCIPIT DE ARTE POETICA. HEROICO. METRO CŌPOSITV̄. *B*. QVINTI ORATII FLACCI CARMINV̄ LIB̄ ·IIII· EXPLIC̄. INCIP̄ DE ARTE POETICA *H*. ORATIVS ·P· *S*. *In S sequuntur Epodi sine titulo.* Explicit IIII. Incipit V Carminum. Mecenatem alloquitur *g*.

28. *rite deos prius adprecati:* noue pro 'ad deos precati'.

29. *uirtute functos — duces: uirtute functos* breuiter dictum pro 'uita per uirtutes acta functos'; cf. II 9 13 *ter aeuo functus*. De hoc more patrum cf. Cic. Tuscul. IIII 2: *grauissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum uirorum laudes atque uirtutes.* Varro Nonii s. *assa uoce* p. 76: (aderant) *in conuiuiis pueri modesti, ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, assa uoce, et cum tibicine.* Adde Cic. Brut. c. 18.

30. *Lydis:* in Lydia repertis et frequentatis.

31—32. *almae progeniem Veneris:* Aeneam dicit. Perperam Porphyrion: 'id est gentem Iuliam, quae a Iulio' (l. Iulo) 'nepote Veneris oriunda existimatur'. *Patres* illi non gentes, sed claros uiros canere instituerunt.

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SAECVLARE.

Phoebe siluarumque potens Diana,

Carmen Sęculare feliciter. Quod patrimi et matrimae cantauerunt ad chorum puerorum puellarumque saphc. ***A.*** **Incipit Carmen seculare quod patrimae (*patrimi*) et matrimae cantauerunt ad chorum puerorum puellarumque ad Apollinem et Dianam. Proseutice tetracolos *B.* Incip̄ carmen sclare. Quod patrimi et matrimae cantauerunt ad chorum puellarum et puerorum in Apollinem et Dianam. Proseutice . tetracolos *H post epodos. Libro S non inest.* Incipit carmen seculare quod patri meo (*patrimi*) et matri mee (*matrimae*) cantauerant (*cantauerunt*) ad chorum puerorum puellarumque ad apollinem et dyanam proseutice tetracolos *g. Codex habet* cantauēra (*uoluit debuitque* cantauerūt, *h. e.* cantauerunt).**

1. *Diomedes* III 39.

Carm. saec. Prooemium. ***Nos pueri puellaeque Phoebum et Dianam ludorum saecularium tempore precamur*** **(1—8),** ***illum ut nihil possit urbe Roma uisere maius*****,** ***hanc ut matrum partus tueatur*** **(9—16).** ***Diana subolem accrescere uelit*****,** ***ut post saeculi decursum hi ludi pari frequentia celebrentur, Parcae peractis fatis bona iungant, Tellus populum frugibus alat*****,** ***Phoebus cum sorore pestem auertat*** **(17—36).** ***Amplius Apollinem et Dianam rogamus illa*****,** ***quibus rei Romanae robur et decus paratur*****,** ***iuuentuti bonos mores, senibus placidam quietem, ciuitati prolem opesque*****,** ***principi prosperos successus, quales adhuc euenerunt*** **(37—60).** ***Qui felicissimus rerum status ut duret meliorque euadat, Apollini et Dianae cura est*****,** ***atque idem Iuppiter et cuncta numina sentiunt*** **(61—76). (Metrum Sapphicum)**

De ludis saecularibus ab Augusto a. 737 (a. Chr. 17) editis copiose expositum est a Zosimo II 4—6, a Censorino de Die natali c. 17, breuiter relatum a Cassio Dione LIIII 18, Suetonio in Aug. c. 31. Carmen sollemne, tertio ludorum die in aede Apollinis Palatini a choro puerorum et puellarum cantandum (Zosimus II 5), Caesar Horatio componendum iniunxit, ut tradidit Suetonius in uita Horatii: ***scripta quidem eius usque adeo probauit*** **(Augustus)** ***mansuraque perpetuo opinatus est*****,** ***ut non modo saeculare carmen componendum iniunxerit*** **cet. Flaccus principis mandato perite obsecutus carmen condidit, quo praecipua saecularis religionis numina, Apollo et Diana, iustis precibus adorarentur et ceteri caelestes ex praescripto carminis Sibyllini (hoc ipsum a Zosimo II 6 traditum est) rite colerentur, tum bona ab inmortalibus populo Romano adhuc data grato animo celebrarentur**

lucidum caeli decus, o colendi
semper et culti, date quae precamur
tempore sacro,

quo Sibyllini monuere uersus
uirgines lectas puerosque castos
dis, quibus septem placuere colles,
dicere carmen.

2. celi *B.* 3. q; *pr B*, *corr a. m.* q̄. 5. Quo *Hς commentator Cruquii:* Quod (*in A est* ꝗ) *ABς Blandinii*, Quos *g.* sibyllini *A:* sybillini *Hg,* sibillini *B.* 6. laetas *Bς*, *non AHg.* 7. dis *A:* Diis *BH.*

et fausta futuri temporis omina ederentur. Versus Sibyllini carmen a pueris puellisque canendum praecipientes apud Zosimum (II 6) sic leguntur:

ἀειδόμενοί τε Λατῖνοι
παιᾶνας κούροις κούραισί τε νηὸν ἔχοιεν
ἀθανάτων· χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν
καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς, ἀλλὰ γονήων
πάντων ζωόντων, οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη.

Quod praescriptum respiciens poeta carmen per uices a choro puerorum et puellarum referendum conscripsit, de cuius ingenio et ordine expositum est a I. W. Steinero in commentatione a. 1841 Crucenaci edita. Steineri dispositionem carminis nostra sequitur usque ad uersum 32, in ceteris discedit, ut suo loco indicabitur. De loco Apollinis in hoc carmine docte disputatum est a C. Fr. Hermanno in programmate Gottingae publicato a. 1843.

1—8. Est introitus siue exordium carminis, unde docemur tum qui sint qui preces fundunt, tum quae numina rogentur. Quo loco carmen cantatum sit, poeta non addidit: ex Zosimo (II 5 et 6) accepimus in aede Apollinis Palatini, quae dedicata est a. 726, recitatum esse. Hoc principium a pueris puellisque simul referri per se liquet et uersu 6 significatum est.

1. *Phoebe siluarumque potens Diana:* Dianam quam chorus alloquitur, numen Graecum esse (non uetus illud Latinum, quod Iano sociatum a *siluis* alienum erat) Apollinisque sororem inuocari ut appareret, statim in principio poeta prospexit. In Phoebo epitheton minus necessarium erat.

2. *lucidum caeli decus:* IIII 8 31: *clarum Tyndaridae sidus.* Multitudinis formam dedit I 3 2: *fratres Helenae, lucida sidera.*

2—3. *colendi semper et culti:* *semper et* pro uulgari *et semper;* cf. ad Epod. 9 13. Vniuerse haec dicta sunt de ueneratione numinum solis et lunae cursum moderantium late sparsa. Romam Apollinis et *Ἀρτέμιδος* sacra sub rege Tarquinio cum uersibus Sibyllinis aduecta sunt, ut liquet ex iis quae tradidit Gellius I 19, Plinius NH. XIII 27 (13). Vetus Latinorum religio Ianum pro Phoebo siue Apolline uenerabatur.

5. *Sibyllini — uersus:* hi proprii Apollinis erant, item collegium quindecimuirum, qui Graecos ritus callebant et exequebantur.

6. *uirgines lectas:* *τρὶς ἐννέα* Zosimus tradit II 5. Consentit hoc cum more libris Sibyllinis commendari solito. Liuius XXXI 12: *decemuiri ex libris* (Sibyllinis) — *carmen ab ter nouenis uirginibus cani per urbem iusserunt.* Idem XXVII 37:

alme Sol', curru nitido diem qui
promis et celas aliusque et idem
nasceris, possis nihil urbe Roma
uisere maius.

rite maturos aperire partus
lenis, Ilithyia, tuere matres,
siue tu Lucina probas uocari
seu Genitalis.

10. *celas A.* 11. poscis *H.* nichil *B.* 14. ilethya *A,* ilethia *B,* elithya *H,* ylithia *g.*

decreuere pontifices, ut uirgines ter nouenae per urbem euntes carmen canerent. Nunc in eo nouatum uidetur esse, ut ter nouenis uirginibus ter noueni pueri iungerentur. Narrante Zosimo pueri puellaeque nobiles erant (ἐπιφανεῖς), matrimae patrimique (ἀμφιθαλεῖς), h. e., quorum parentes superstites essent, atque hoc uersus Sibyllini postulabant.

7. *quibus septem placuere colles:* cum ipsi sedem suam in septem collibus sumpserint, Apollo in Palatio, Diana in Auentino monte, urbis colles illis placere colligitur.

9—24. Preces inchoant pueri Phoebum rogantes (9—12), continuant uirgines suam deam inuocantes (13—16), excipiunt iterum pueri (17—20), concludunt uirgines (21—24).

9. *alme Sol:* alit genus humanum, dum fruges suo calore ad maturitatem adducit.

9—11. *curru nitido — idem nasceris:* deus quamuis uarius tamen constantiam tenet. Id conuenit subsequentibus uerbis, ubi constans urbis Romanae magnitudo postulatur.

10. *celas:* diem celat nitido curru subtracto hominum oculis.

11—12. *possis — maius:* antiqua simplicitate petunt eam potentiam, quae ceteras urbes praemineat omnes.

13—16. Cur a magnitudine urbis ad Dianam parturientibus lenem transitur? Nempe ut imperium seruetur, prae ceteris opus est prole numquam deficiente, quae ut feliciter proueniat, curabit Ilithyia (Ἄρτεμις λοχεία). Haec precari puellas mox matrum munere functuras, non pueros, liquet.

13. *rite — aperire: rite* est *ut conuenit,* ὡς πρέπει. Dea callet lenem artem qua maturi partus *rite* aperiantur, ideo ipsa *lenis* uocatur. De structura *lenis aperire* cf. ad I 1 18.

14. *Ilithyia* (Εἰλείθυια)*:* Dianae potentiam qua iuuat parturientes, tribus nominibus significant puellae, uno Graeco, Latinis altero et tertio; εἰλείθυιαι proprie sunt dolores parturienti aduenientes (*die Wehen*), quae uis in ipsum numen puerperis propitium collata est.

15—16. *siue tu Lucina — Genitalis: Lucinam* Horatius sumpsit a prioribus, quibus est *Iuno Lucina,* u. c. Terentio in Andr. III 1 15, Catullo 34 13: *tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis. Genitalem,* h. e. rei genitali praesidentem, ipse primus inuenit. De πολυωνυμίας gloria cf. Serm. II 6 20: *Matutine pater, seu Iane libentius audis.* Nimirum nomina uirtutes deorum celebrant. Iam qui deus multis nominibus decoratur, idem multis artibus excellit. Hinc chorus in Sophoclis Antigona u. 1102 Bacchum honorifico nomine πολυώνυμε alloquitur.

diua, producas subolem, patrumque
prosperes decreta super iugandis
feminis prolisque nouae feraci
lege marita,

certus undenos decies per annos
orbis ut cantus referatque ludos
ter die claro totiensque grata
nocte frequentes.

uosque ueraces cecinisse, Parcae,

17. subolem *AHg:* sobulem *B.* 18. secreta *H.* 21—24. *Censorinus de die n. c.* 17. 21. certe (*superp.* uel o) st denos *A*, certus ut denos *pauci.* 23. grata toties *g.* totiensque *Hω*, tociensque *B:* totidemque *Aς.* 25. parce *H.*

17—20. Sententiam a puellis inchoatam excipiunt pueri, memorantes quid proli augendae nuper a patribus et principe prouisum sit. Haec senatus decreta et leges memorare et numini genitali commendare pueris conuenit, non uirginibus.

17. *subolem:* nouam prolem. *producas:* crescere facias ut χουροτρόφος.

17—19. *patrum — decreta super iugandis feminis:* dicit *legem Iuliam de adulteriis et de pudicitia* anno ante (736) latam; cf. ad IIII 5 21. Patrum decreta nominat ad morem nouum, quo leges a senatu principe moderante, non a populo, ferebantur. Alii haec referunt ad legem de maritandis ordinibus, sed de hac demum in proximis poeta locutus est. *Iugandae* feminae sunt iusto iugo adiungendae, quo arceantur ab adulteriis.

19—20. *prolisque — marita:* legem maritam (*Ehegesetz*), i. e. maritalem, uocauit legem de maritandis ordinibus (equestri et senatorio), anno 736 sancitam, quae nouam prolem pollicetur. De hac cf. Suetonius Aug. c. 34, Dio LIIII 16.

21—24. Puellae sententiam sic concludunt: 'date quae precamur, ut proximo saeculari festo ludi non minus frequentes in uestrum honorem celebrari possint'.

21—22. *certus — orbis:* orbis annorum 110, undenos decies per annos. Alii saeculum centum annis, alii centum ac decem numerabant, nominatim uersus Sibyllini (Zosimus II 6), quos secutus est Horatius. Censorinus de Die nat. c. 17: *Titus Liuius libro CXXXVI: 'eodem anno ludos saeculares Caesar ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoque anno (is enim terminus saeculi) fieri mos est'. At contra ut decimo centesimoque anno repetantur, tam commentarii quindecimuirorum quam diui Augusti edicta testari uidentur.*

22. *ut cantus referatque ludos:* libere pro *ut cantus referat referatque ludos;* cf. ad Serm. I 2 63. Vis sententiae inest uoci *frequentes*, h. e. a frequente populo celebrandos. Nam frequentes ludi esse non possunt, nisi ferace prole ciuitas gaudebit.

23—24. *die claro — grata nocte:* ludi maiore hominum copia celebrantur, si die solis fulgore claro et grata nocte, h. e. grata frigoris aestusque temperie, fiunt. Hinc clarus dies et grata nox futuris ludis simul optatur. Alii uoc. *grata* referre malunt ad lumina per noctes illorum ludorum accensa (Zosimus II 5) et laetitiam ciuium.

quod semel dictum est stabilisque rerum
terminus seruet, bona iam peractis
iungite fata.

fertilis frugum pecorisque Tellus
spicea donet Cererem corona;
nutriant fetus et aquae salubres
et Iouis aurae.

condito mitis placidusque telo

26—27. quod — seruet *Seruius ad Vergil. Ecl.* 4 47. 26. est *om* ς. 27. seruet *ABHgωΣ Blandinii Seruius:* seruat *perpauci.* 31. fetus *Ag:* foetus *BH.* 33—34. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 5 66, *Aen.* III 138.

25—28. Adhuc de *salute* populi Romani preces factae sunt. Iam secundos uitae successus petunt. Incipiunt pueri (25—28), sequuntur puellae (29—32), eodem ordine quo ante.

25. *uosque — Parcae:* cur ad Parcas transiit? Sunt numina auguri Apollini cognata atque diebus saecularium ludorum hostiis colebantur. Cf. Zosimus II 5. *ueraces cecinisse* pro ueraces in canendo; cf. ad I 1 18.

26—27. *quod semel — seruet:* hoc pendet ex proximis *bona iam peractis iungite fata.* Libri Sibyllini bona tempora promiserant, si saeculares ludi rite fierent. Oraculo felici suum uotum addidit chorus promissumque accipit his uerbis: *stabilisque rerum terminus seruet.* Quippe Parcas obligare quodammodo studet, dum memorat sic in libris Sibyllinis Parcarum consensu scriptis dictum esse. Rerum terminus est idem qui *rerum finis* (*das unverrückbare Ziel der Dinge*). Laudant interpretes Attii Hecub. Prisciani VI 15 80: *ueter fatorum terminus sic iusserat.* Lucret. I 78: *atque alte terminus haerens.* Vergilius IIII 614: *et sic fata Iouis poscunt, hic terminus haeret;* Eclog. 4 47: *concordes stabili fatorum numine Parcae.*

29—32. Bona fata a pueris petita certius definiunt puellae respondentes. Antiqua simplicitate frugum et pecoris fertilitatem orant.

30. *spicea — corona:* hoc fieri a Tellure erga Cererem grata in larga et laeta frugum messe poeta cogitauit. Tibullus I 1 15: *flaua Ceres, tibi sit nostro de rure corona spicea.*

31. *nutriant fetus: fetus* et pecoris et frugum accipe; 'fetus generaliter omnium rerum accipe animaliumque' (sic corrige uulgatum *animalium*) 'quae ad utilitatem nostram pertinent'. Porphyrion. Nimirum ubi fetus editi sunt, ut augescant, amplius optatur. *Salubres aquas* cogita pluuias neque nimis calidas neque frigidas, h. e. frugibus et pascenti pecori utiles.

32. *Iouis aurae:* ἀπὸ κοινοῦ assumendum *salubres*, quod quo facilius fieri possit, repetito *et — et* prospectum est.

33—36. Iuncto carmine ad primaria festi numina uterque chorus redit. Hoc patet ex duplice inuocatione *audi pueros, Apollo*, mox *audi, Luna, puellas.* Steiner primum uersum et secundum pueris, reliquos puellis assignauit, quam unius strophae diuisionem ut nimis artificiosam non admittendam esse putaui.

33. *condito mitis placidusque telo:* non iratum, qualis progreditur

**supplices audi pueros, Apollo;
siderum regina bicornis audi
Luna puellas.**

**Roma si uestrum est opus, Iliaeque
litus Etruscum tenuere turmae,
iussa pars mutare lares et urbem
sospite cursu,**

**cui per ardentem sine fraude Troiam
castus Aeneas patriae superstes**

39. urbes *A, non BHg.* 41. ardentem — Troiam *Seruius ad Vergil. Aen.* I 242. 42. eneas *B.*

apud Homerum in Iliadis principio, sed sagittis pharetra conditis mitem placidumque inuocat chorus. *Mitis* spectat ad animum clementem, *placidus* ad uultum compositum et affectu non turbatum.

35. *siderum regina bicornis: bicornis* (δίκερως), quod plerumque duo cornua refert, *siderum regina*, quod maiore lumine quam ceterae stellae terram collustrat; cf. I 12 47.

37—48. Haec longo tractu carminis pueri ab Apolline et Diana supplicant, iuuentuti bonos mores, senectuti quietam uitam, cunctis ciuibus opes, prolem, omne decus. Ipsa conexio sententiae docet haec sine interuallo ab altera parte totius chori recitata esse. Pueros prodit etiam mascula uis uersuum. Apte succedit uirginum carmen (49—60) totidem uersibus decurrens. Steiner singulas strophas alternatim a pueris et puellis relatas esse statuit. Sententia puerorum haec est: si Roma uestrum est opus, id quod nemo dubitat, date quicquid ad florem et gloriam urbis requiritur.

37. *si uestrum est opus:* quamquam in condenda Roma praecipuae partes Apollinis fuere, qui protexit Aeneam, Achillem inimicum inplacabilem sustulit, iter Aeneae (cf. IIII 6) praecepit, nunc tamen pro consilio huius carminis communes partes etiam sorori assignantur: namque et ipsa Troianos secuta est et pro illis proelia sustinuit. In hac secunda parte carminis Apollo et Diana simul inuocantur, ante mesodum (33—36) et post primordium (1—8) singula numina chorus ueneratur. In illa populi salutem, in hac rei Romanae decus et florem precatur.

38. *litus Etruscum:* Tusci maris litus; nomen *turmae* (*Geschwader*) designat heroicae aetatis militiam equestrem curru proeliantem.

39—40. *iussa pars — sospite cursu:* his Iliae turmae certius definiuntur. Quas cum iussit Apollo mutare domos (*lares*) et urbem, simul sospitem cursum promisit. Iussas abisse dicit, ut fugae exiliique obprobrium deuitetur.

41—44. *cui per ardentem — plura relictis:* cur haec adduntur? Vt diuino consilio et praesidio Romam conditam esse probetur. Egregie iunguntur *per ardentem Troiam* et *sine fraude* (sine *damno* suo, ut pars iussa incolumis euaderet, ut II 19 20). In uetere iuris formula est *se fraude.* Mire Seruius ad Aen. I 242 iungit *ar-*

liberum muniuit iter daturus
plura relictis,

di, probos mores docili iuuentae,
di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
et decus omne.

quaeque uos bobus ueneratur albis
clarus Anchisae Venerisque sanguis,
impetret, bellante prior, iacentem
lenis in hostem.

45. Dii *hic et u.* 46 *BHg*, *non A.* iuuente *H.* 46. senectuti *ABgω:* senectutis *Hς.* 47. Romulaeae *B.* rē *B.* 49. *Priscianus* VII 17 82. Q̄q, (= Quaeque) *Aω Priscianus*, Queque *BHg:* Quique *ς.* 51. Impetret *ABSgω:* Imperet *Hς.* bellando *H.* 52. Lenis *HSgω:* Leuis *B*, Letus *A.*

dentem sine fraude Troiam, idemque sine fraude accepit 'sine proditione' (h. e. sine proditione Aeneae uel Troiani cuiusdam), scilicet inutili *πολυμαθίᾳ* seductus a uero et caecutiens. Idem error scholiastas uexat, quamquam Acron simul ueram memorat loci sententiam.

42. *castus* (*der fleckenlose*) *Aeneas:* castus, h. e. a flagitio et scelere purus, non incestus adulter ut Paris, non periurus ut Priamus (cf. III 3 26), ideoque Apollinis et Dianae opem nactus. His praeparatur proximum: *probos mores docili iuuentae date*, h. e. mores auctore gentis dignos.

43. *liberum:* liberum iter munire noue et ardenti urbi conuenienter positum, cum uulgo dicatur *firmum iter munire.*

45. *di:* sunt Apollo et Diana, non alii. *probos mores:* temperantiam, fortitudinem, prudentiam, iustitiam.

46. *senectuti placidae quietem:* deprecatur turbas ciuiles, ut senectus domi placide quiescere possit.

47. *Romulae:* cf. IIII 5 1. Vltima syllaba uoc. *prolemque* eliditur ante proximum epodum.

48. *decus omne:* quicquid decori est, ueluti urbs speciosa, florentes coloniae, diuites prouinciae. De gloria belli ne accipias; ad hanc demum u. 53 sqq. transitur.

49—60. Quemadmodum iuuenes Apollinem et Dianam pro ciuibus suis precati sunt, sic totidem uersibus Augusto ciuitatis moderatori fausta adprecantur puellae et uotis suis magnam partem satisfactum iam esse gratae profitentur (53—60). In hoc cantu puellari sexies redit mollis caesura trochaica, apta teneris uocibus et pacati orbis descriptioni.

49. *quaeque — albis:* 'quaeque precibus uos rogat boues albos immolando'. Cf. Serm. II 2 124: *uenerata Ceres*, h. e. precibus rogata; II 6 8: *si ueneror* (precibus expeto) *stultus nihil horum*. Vergilius Aen. III 460: *cursusque dabit uenerata* (precibus rogata) *secundos*. Aliorum exempla dat Forcellinius.

50. *clarus — sanguis:* Augustus per matrem suam et patrem adoptiuum originem a Venere et Anchise duxit. *impetret:* in pedestri sermone foret: *haec ille impetret.*

51—52. *bellante prior, — hostem:* *prior* antique et simpliciter pro *superior*. Chorus simul felicem et clementem principem optat.

iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures;
iam Scythae responsa petunt, superbi
nuper, et Indi.

iam Fides et Pax et Honos Pudorque
priscus et neglecta redire Virtus
audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.

augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque nouem Camenis,
qui salutari leuat arte fessos
corporis artus,

55. scithae *A*, sithae *H*. 57. *hic uersus iterum post u.* 54 *in A, sed ibi linea inductus.* honos *Hς:* honor *ABgω*. 60. Corpia *pr B*. 62. Phebus *H*. 63. salutare *A*.

53—60. Amplius persequitur chorus, quae sub principe Augusto bona iam euenerint Romanis, quo probet mereri Augustum, ut preces eius audiantur.

53. *mari terraque:* classibus legionibusque; *manus potentes* sunt uires militares, *Albanae secures* duces consulares uel praetorii a Caesare missi.

54. *Medus:* Parthorum natio et rex. Timoris argumentum erant signa tribus annis ante (734) a Prahate remissa; cf. ad II 9.

55—56. *iam Scythae — Indi:* cf. annot. ad IIII 14 42; *superbi nuper:* hoc nonnisi ad Scythas pertinet. Superbi fuerant, antequam a Crasso domiti sunt; cf. ad III 8 23—24.

57—60. Post auctoritatem aduersus exteros partam domestica fortuna praedicatur, mores emendati, fertilitas agrorum.

57. *Fides et Pax:* ciues fidem in negotiis praestant, pace domi fruuntur. *Honos:* est studium honesti. Honori et Virtuti aedes nota est a M. Marcello ad Clastidium in bello Gallico, dedicata bello Punico secundo: Liu. XXVII 25.

57—58. *Pudorque priscus et neglecta Virtus:* Pudor priscus est prisci temporis Pudor, cognatus Honori siue honesti studio. Virtus est bellandi fortitudo, desiderata ab ipso decem annis ante in secundo libri tertii carmine.

59—60. *beata pleno Copia cornu* (*reiche Segenspende mit vollem Horne*)*:* cf. Epl. 1 12 extr. Carm. IIII 15 5.

61—76. Sequitur tertia pars carminis, per quam bona omina concipiuntur, quae sic edita esse puto, ut pueri priorem stropham (61—64) incipiant, alteram pueri puellaeque recitent eoque sententiam inchoatam absoluant. Mox in uicem puellae initium faciunt (69—72), tum iuncti pueri puellaeque clausulam carminis (73—76) peragunt. Steiner haec iunctis pueris et puellis tribuit. Ordinem in clausula mihi probatum habet Düntzer t. V p. 202.

61—64. *augur — artus:* quattuor praecipuas Phoebi artes compo-

si Palatinas uidet aequus arces,
remque Romanam Latiumque felix
alterum in lustrum meliusque semper
prorogat aeuum.

quaeque Auentinum tenet Algidumque,
quindecim Diana preces uirorum
curat et uotis puerorum amicas
applicat auris.

haec Iouem sentire deosque cunctos

65. arces *ABHω:* aras *gς* '*aras habent codices Blandinii*' Cruquius. equus *BH.* 66. felix] *ascriptum a. m.* uel latũ (*sic*) *A.* 67. in lustrum] illustrum *H.* 68. prorogat *Aς Blandinii*, prerogat *Parisinus* 7900: proroget *BHgωΣ.* 70. quindecẽ *A.* pręces *H.* 71. curat *AHgωΣ Blandinii:* Curet *Bς.* 72. Applicat *AgςΣ Blandinii,* Aplicat *H:* Applicet *Bς.* auris *A:* aures *BH.*

nit et praedicat, ut faciunt qui deum propitium sibi reddere uolunt. Augur perinde est I 2 32. *decorus arcu:* cf. *numquam humeris positurus arcum* III 4 60.

63. *leuat:* qui ante decubuere in lectis, hos inde excitat et erigit.

65—68. Ipsum omen a iuncto choro proferri, hoc et per se aptum uidetur esse et hinc comprobatur, quod sic decora clausula cantico paratur. Nam cum in duabus strophis extremis (69—76) priorem puellae (69—72), alteram (73—76) pueri et puellae canant, ut ipsi uersus ostendunt, ordinem huic conuenientem etiam in uersibus (61—68) obtinuisse credendum est, ne partium aequalitas periret.

65. *si Palatinas uidet aequus arces:* dicit domum principis et templum Apollinis Palatinum ab Augusto annis undecim ante dedicatum, grata nimirum principi suggerendo.

66. *remque Romanam Latiumque felix: felix* iunge nomini *Latium*, non uocabulo *lustrum:* nam *remque Romanam* et *Latium felix* παραλλήλως posuit; illud pertinet ad imperium populi Romani, hoc ad salutem et florem ciuium Romanorum, quorum praecipua sedes in Latio sita est.

68. *prorogat:* sic legimus secuti bonos libros magno consensu et hoc loco et bis in proximis indicatiuum suppeditantes, dum plerique editores *proroget* amplectuntur. Quippe chorum *precari*, non omina proferre, opinati sunt. Verum preces ante usque ad u. 52 absolutae sunt.

69—72. Sua omina chorus puellarum prioribus adiungit.

69. *quaeque — Algidumque:* ut pueri Apolline Palatini montis praeside, sic puellae Diana in Auentino et in Algido Latii monte culta confidunt.

70. *quindecim — preces uirorum:* quicquid quindecimuiri saecularis festi curatores precantur; cf. Taciti Ann. XI 11. Zosimus II 4 et 5.

71—72. *amicas applicat auris:* noua et grata deae propitiae imago; *uota puerorum* dicit quae uotis suis locuti sunt pueri.

73—76. Clausula iunctis uiribus totius chori profertur. Hoc res ipsa

spem bonam certamque domum reporto,
doctus et Phoebi chorus et Dianae
dicere laudes.

75. phębi *BH*, phebi *A*.
Q. HORATII FLACCI. CARMEN SCŁARE EXPLIC̃. INCIP̃ EPISTOLARṼ LIBER PRIM'. EIVSDEM *H*. Explicit carmen seculare Horatii Flacci *g*, *qui deinceps carmen* 7 *libri IIII iterum alia manu scriptum exhibet et sic desinit p.* 206 *A*.

postulabat et sic euenisse uerba *doctus et Phoebi chorus et Dianae dicere laudes* commonstrant.

73. *haec louem sentire deosque cunctos:* haec sententia louis est et omnium deorum, ut praesidium et incrementa rei Romanae Apollini et Dianae cordi sint.

Q. HORATII FLACCI

E P O D O N

LIBER.

I.

Ibis Liburnis inter alta nauium,
amice, propugnacula,

Incipit Epodon. Feliciter. Ad Maecenatem *A ad* IIII 14 4, *idem in fine Carm.* IIII 13 *habet:* Q. HORATII FLACCI CARM̄ LIB̄ ·IIII· EXPL̄I INCIP̄ LIB̄ ·V· EPODON AD MECENATEM. *In H est:* Q. HORATII. FLACCI. DE ARTE POETICA EXPL̄. INCIP̄ EIVSDEM EPODON.
Post u. 2 *A habet:* metrum iambicum. primus uersus est exameter siue trimeter, secundus tetrameter siue dimeter, qui et epodos dicitur, idem uno pede minor. INCIPIT LIB̄ QVINTVS. *Tum in A duo primi uersus iterum sequuntur; idem uersus* 1—8 *habet in folio* 167, *uersus* 1—4 *et* 9—34 *in folio* 177.
1—2. *Terentianus Maurus u.* 2454 *p.* 2438. 1. *Mar. Victorinus* III 11 7, *Isidorus Orig.* XVIIII 1 12. *Diomedes* III 39 *et huius epodi et ceterorum primos cuiusque uersus apposuit omisso epodo quarto.*

Epod. I. Prooemium. *Te, Maecenas, proficiscentem ad bellum comitabor, tui cura et amore ductus, nullo lucri studio incitatus.* (Metrum 12)

Hunc epodon scripsit primis anni 723 mensibus, cum Caesar Octauianus Maecenatem aduersus Cleopatram et Antonium mittere uellet, etiam tum, ut uidetur, cogitans de pacis conditionibus. Mox mutato consilio Caesar ipse ad classem et exercitum abiit, Maecenatem urbi et Italiae praeposuit. Rerum scriptores de Maecenate ad hostes mittendo nihil memoriae prodiderunt: uerum huiusmodi consilium captum et aliquamdiu actitatum esse ex hoc epodo luculente cognoscimus.

De dimetro post trimetrum subiecto Terentianus Maurus p. 2437:

tales trimetris subdidit Flaccus suis,
ut carmina ostendunt decem.
ibis Liburnis inter alta nauium,
amice, propugnacula.
Archilochus isto saeuit iratus metro
contra Lycambem et filias.

1—2. *ibis — propugnacula:* ut magnos paratus belli maritumi describeret, et Liburnas memorauit, h. e. leues naues, et ampla nauigia turribus constrata (*alta nauium propugnacula*). Huiusmodi naues Caesar Octauianus primus a. 718 aduersus Sextum Pompeium aedificauerat. Dio XLVIIII 1: καὶ γὰρ πύργους ἔφερον (Octauiani naues), ὅπως ὥσπερ ἀπὸ

paratus omne Caesaris periculum
subire, Maecenas, tuo.

quid nos? quibus te uita si est superstite,
iucunda, si contra, grauis.

utrumne iussi persequemur otium,
non dulce, ni tecum simul,

an hunc laborem mente laturi, decet
qua ferre non molles uiros?

4. maecenas *A:* mecenas *BHSg.* 5. uita si est *editor*: uita si *Agς Porphyrionis interpretatio*, uita sit *ω*, uita *BHS.* 6. Iocunda *Hgς.* 7. ocium *BH.* 8. *post hunc uersum* rla (= reliqua) *A in folio* 167. 9. an hunc] adbuc *A.* 10. qua *Aς commentator Cruquii:* Quem *BHSωΣ.*

τείχους ἐξ ὑπερδεξίων ἀγωνίζωνται. Idem L 23: *ἐπειδὴ γὰρ τῷ τε μεγέθει τῶν τοῦ Καίσαρος νεῶν καὶ τῷ πλήθει τῶν ἐπιβατῶν αὐτοῦ ὁ Σέξστος οὐχ ἥκιστα ἥττητο, τά τε σκάφη κατεσκεύασε* (*Ἀντώνιος*) *πολὺ τῶν ἐναντίων ὑπερέχοντα.* In pugnam aduersus Antonium Octauianus et magnas naues paucis annis ante aedificatas et leues (Liburnas) misit. Maecenas ut uir pacis peritus, belli inexpertus, Liburnis ibit, quibus iussa et nauigantibus et bellantibus celerrime afferre possit. Conferantur haec Dionis L 31 de pugna Actiaca: *παμπόλλους δὲ καὶ αὐτὸς* (Caesar Octauianus) *πεζοὺς ἐπὶ τὰς ναῦς ἐπιβιβάσας καὶ πάντας τοὺς ἑταίρους ἔς ὑπηρετικὰ* (in Liburnas) *ἐμβαλών, ὅπως ἐν τάχει περιπλέοντες τοῖς τε ναυμαχοῦσι τὰ δέοντα παραινέσωσι καὶ ἑαυτῷ τὰ προσήκοντα διαγγέλλωσι, τὸν ἔκπλουν σφῶν* (Antonii partium) *ἐπετήρει.* Alii *Liburnas* dici Caesaris classem, *alta nauium propugnacula* ingentes Antonii naues affirmant. Sane Antonii naues aduersam classem mole et multitudine propugnatorum superabant, ut testatur Dio L 18 et 23 et 29 et 32, Plutarchus Ant. c. 61 sqq. Cf. Vegetius de re militari IIII 33 (V 3): *Augusto dimicante Actiaco proelio cum Liburnorum auxiliis praecipue uictus fuisset Antonius, experimento tanti certaminis patuit, Liburnorum naues ceteris aptiores. Ergo similitudine et nomine usurpato, ad earundem instar classem Romani principes texuerunt. Liburnia namque Dalmatiae pars est, Iaderinae subiacens ciuitati, cuius exemplo nunc naues bellicae fabricantur et appellantur Liburnae.* Verum nunc hic noster loquitur de *itinere* a Maecenate suscipiendo, non de *proelio* committendo; nonnisi de Caesaris apparatu bellico in his uersiculis loquitur, nulla aduersarum partium facta mentione: has demum significauit u. 3 et 4.

3—4. *paratus — tuo:* quamdiu Octauianus et Maecenas hoc agitabant, ut Maecenas aduersus Antonium iret, Octauianus manere in urbe uidetur uoluisse. Nam omne Caesaris periculum suo subire uelle dicitur Maecenas, non partiri uel simul ferre uelle.

5. *quid nos?:* ellipsis uerbi *agemus, faciemus* facilius admittitur post pronomina, u. c. *quid tu, quid ego, quid ille, quid uos?*

5—6. *quibus te uita si est superstite, iucunda, si contra, grauis:* hoc dicit, *quibus si est uita te su-*

feremus et te uel per Alpium iuga,
  inhospitalem et Caucasum,
uel occidentis usque ad ultimum sinum
  forti sequemur pectore.
roges tuum labore quid iuuem meo
  inbellis ac firmus parum?
comes minore sum futurus in metu,
  qui maior absentis habet;
ut assidens inplumibus pullis auis
  serpentium allapsus timet

11. et *om S.* 15. labore *Glareanus:* laborẽ *ABSg,* laborem *Hω.* iuues *A.* 16. Inbellis *BHS,* ĩbellis *A,* Imb. *g.* 17. sum *om B.* 18. absentis *AS*: absentes *BHg.* 19. assidens *ABHSg, non* adsidens. inplumibus *BS,* ĩpl. *Ag:* impl. *H.* 20. allapsus *ABSg:* ad lapsus *H.*

perstite, iucunda est, si contra est (si te non superstite uita est), *grauis est.* Sed uerbum *est* totiens supplendum ceteris locis facile cogitatur, si primo ipsum compareret, si contra, structura loci difficilis euadit et obscura, h. e. minime Horatiana. Quapropter *est* inserui, quod proximo *si* iunctum cum *sist* recitaretur, a scriptoribus librorum ad uocem praelegentis attendentibus aut *si* redditum est aut *sit;* rursus ab aliis ante uocem ab eadem littera (*s*) incipientem plane omissum est.

6. *si contra:* 'posterius *si* pro *sin* ponitur, ut alii scriptores loqui amant, numquam Horatius'. Bentleivs.

7. *iussi:* ut abs te mihi praescriptum est. Quippe Maecenas in bellum iturus et prospiciens amico uillam Sabinam donauerat, ut in otium tutum recedere Flaccus posset (cf. ad u. 31), ne inopia premeretur, siquid sibimet in bello accidisset.

10. *non molles:* deliciis non deditos, fortes et tolerantes.

11—14. Ad quaestionem respondet ac uirile consilium suum fortiter eloquitur.

11. *per Alpium iuga:* transcendenda ex Italia in Galliam iter facientibus.

12. *inhospitalem et Caucasum:* Caucasus inhospitalis est propter niues et frigora, quibus Scythae muniuntur. Phaedrus IIII 7 10: *inhospitalis prima quae Ponti sinus patefecit* (Argo). De *et* interiecto conf. annot. ad Epod. 9 13.

13. *occidentis — sinum:* dicit sinum Gaditanum et Herculis columnas.

15—22. Non quo multum auxilii periclitanti tibi feram, sed cura et sollicitudine motus tecum ibo.

16. *inbellis ac firmus parum:* prius ad animum pertinet, alterum ad corporis ualetudinem non satis firmam; *inbellis* est ut Musarum amicus et iocis aptus; cf. ad II 7 10.

17. *comes minore sum futurus in metu:* constanter haec et sine ulla dubitatione proferuntur. Errauit et Flaccum deteriorem fecit Bentleius scribens: 'lege ex emendatione praestantissimi Nic. Heinsii *Comes minore sim* —, ut respondeat τῷ *iuuem*'.

18. *qui maior absentis habet:* quo magis uerum haberetur, quod dixit, hanc omnium hominum, qui diligunt amicos, naturam esse pronuntiauit.

19. *inplumibus:* plumis carentes de loco abire nondum possunt, feris expositi.

20. *serpentium allapsus:* breui-

magis relictis, non, ut adsit, auxili
latura plus praesentibus.

libenter hoc et omne militabitur
bellum in tuae spem gratiae,

non ut iuuencis illigata pluribus
aratra nitantur meis,

21. ut adsit ς *tres Blandinii commentator Cruquii*, ut assit *ASg*: uti sit *unus Blandinius cum aliis*, ut sit *Hς et superscripto eadem m.* as *B*. auxilii *AH*. 22. presentibus *H*. 25. illigata *ABHSg*, *non* inligata. 26. meis *ABHωg*: mea ς.

ter pro eo quod est 'serpentes in terra ad nidum allabentes'. Aliud est illud Silii XII 56: *tacito si ad culmina nisu euasit serpens*.

21. *ut adsit:* licet adsit in nido. Rarior haec particulae uis lectionis discrepantias in notis criticis relatas procreauit. Bentleius *uti sit auxili* non bene amplexus est.

22. *praesentibus:* quibus adest mater. Notionem praesentiae bis (*adsit*, *praesentibus*) exprimi uoluit, quod in hac inest uis sententiae declarandae et ad se applicandae.

24. *in tuae spem gratiae:* quo magis gratiam tuam sperare possim. Sed hoc cum praue accipi posset ita, ut noua et maiora praemia a Maecenatis gratia speraret poeta, hanc dicti sui mentem continuo et grauiter deprecatur, lucri studium et cogitationem quaestus a se alienam esse obtestatus. Sic certe in exitu epodos ad proprium et suum argumentum, quo uitia exagitantur, peruenit. Nam sic lucri parum honesti studia acriter improbantur.

26. *meis:* libri recentiores *mea* offerunt, quod placuit Bentleio: meliores in *meis* conspirant. Pronomen *meis* in fine epodi non sine pondere est, neque attinet utrum ampliores agri possessiones *iuuencis meis* an per *aratra mea* significentur. Cf. Epod. 2 3: *paterna rura bobus exercet suis*.

27. Ab agris ad alterum diuitiarum genus transit, ad greges et pascua. *ante sidus feruidum:* ante ortum Caniculae, de quo uide annot. ad I 17 17, III 29 18.

27—28. *Calabris — Lucana mutet pascuis:* non ut greges pro Calabris pascuis Lucana adeant, quippe aestiuo tempore, quo montes et saltus Lucaniae aestus pecori defendunt. Horat. Epl. II 2 177: *Calabris saltibus adiecti Lucani*, scilicet ut pecus ex Calabris in Lucanos aestiuis diebus ire possit. De structura u. *mutare* cf. ad I 17 2. Varro RR. II 1: *greges ouium omnes abiguntur ex Apulia in Samnium aestiuatum*; II 2: *mihi greges in Apulia hibernabant*, *qui in Reatinis montibus aestiuabant*.

27. *ante sidus feruidum:* legem a iambographis Graecis semper, a tragicis plerumque in trimetro iambico obseruatam, ne ante quintam arsin uox ex pluribus syllabis in longam desineret, Horatius in epodo 6 et 7 et 9 et 17 perinde secutus est, in epodo 16 puris iambis epodicis composito egredi non potuit, in ceteris, ut in hoc uersu et 29 uidere licet, neglexit. Adde Epod. 2 13 et 33 et 47, 3 13, 4 13, 5 17 et 19 et 93, 8 15, 10 7 et 21, 11 3 et 27. Cautionem illam tragicorum Graecorum deprehendit Porsonus in praefatione ad Hecubam p. 30 et ad uersum Hecubae

pecusue Calabris ante sidus feruidum
Lucana mutet pascuis,

neque ut superni uilla candens Tusculi
Circaea tangat moenia.

satis superque me benignitas tua
ditauit: haud parauero

quod aut auarus ut Chremes terra premam,
discinctus aut perdam ut nepos.

27. incalabris *H.* 28. lucanã ut > pascula (*h. e.* lucana mutet pascula) *A.* pascuis *BSgω Blandinii:* pascua *HςΣ commentator Cruquii.* 29. Neque *ASg:* Nec *BH.* 30. Circea *ABH.* 32. haut *ABH.* 33—34. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 210. 34. ut nepos *BHgω Seruius Porphyrion:* nepos *ASς.*

347, amplius persecutus est G. Hermannus Element. d. m. pag. 113—117, ad ueteres iambographos quoque pertinere uidit Meinekius Fragment. com. Graec. t. IIII p. 713—717. Quicquid est offensionis, tollitur id elisione subsequente longam uocalem, ut Epod. 4 1: *lupis et agnis quanta sortito obtigit;* 17 12: *alitibus atque canibus homicidam Hectorem.* Conf. Sophoclis Phil. 22: *ἅ μοι προσελθὼν σῖγα σήμαιν᾽, εἴτ᾽ ἔχει.*

29—30. Neque tertium diuitiarum genus, uillam artificiose structam et amoenam, ego requiro.

29. *uilla candens:* quae candido marmore facta est. Tusculi in monte positi (*superni*) solum uillis praecipue expetebatur tum ob gratum situm, tum ob urbis uicinitatem.

30. *Circaea:* a Circes filio Telegono condita. Conf. ad III 29 8.

31—32. *satis — ditauit:* haec quin de praedio rustico dicta sint, si proxime superiora comparaueris, non dubitabis. Significat igitur uillam Sabinam a Maecenate sibi dono datam, et haec prima Sabini praedii mentio est. Secunda est Serm. II 6 1—4, quae satira scripta est initio anni 725, tertia in carmine II 18 14, quod compositum post annum 725. Obiter memorauit Serm. III 3 10, quae facta est anno 725, diligenter descripsit Epl. I 16. Hinc donatum esse Sabinum Horatio puto a. 722 uel anni 723 principio, hoc est eo tempore, quo Maecenas belli curas meditans amico in futurum consulere uoluit.

32. *haud parauero:* est paulo fortius quam *haud parabo.*

33. *auarus ut Chremes: Euclio* Aulularíae Plautinae in mente haerebat hoc scribenti, sed cum *Chremes* quoque in Menandri Thesauro pecuniam occultasset in monumento, quamquam nulla auaritia ductus, sed filio prodigo patrimonii partem seruaturus, hunc non satis memor substituit.

34. *discinctus aut perdam ut nepos: ut* non sine ui repetitur. Cf. Ep. 5 9: *quid ut nouerca me intueris aut uti petita ferro belua?* Discinctus proprie dicitur qui tunica uel toga non cincta utitur, sed soluta: inde transfertur ad mores eorum qui prodigi et soluti sunt.

II.

'Beatus ille qui procul negotiis,
ut prisca gens mortalium,
paterna rura bobus exercet suis
solutus omni fenore,

Vitam agricolarum summa tranquillitate rerum exornatam prosequitur *A*. Laudacio uitae rusticae *H*.

1. *Atilius Fortunatianus* II 10, *Terentianus Maurus u.* 2360 *p.* 2435, *Priscianus* VII 16 81. 1—2. *Isidorus Orig.* I 38 24. 1. negociis *BH*. *A hunc uersum iterum habet p.* 177, *uersus* 1—36 *auersa p.* 167. 2. *Diomedes* III 34 *p.* 511. 3. *Priscianus l. c.* bubus *S*. 4. foenore *HS*, *non ABg*.

Epod. II. Prooemium. *Beata est uita rusticorum, qui non solum molestiis uacant ceterorum hominum* (1—8), *sed etiam iucundis curis per uaria anni tempora tam in agris* (9—36) *quam domi suae* (39—66) *detinentur. Quae postquam descripsit fenerator Alfius atque pecuniam suam idibus redegit iam iam futurus rusticus, idem hanc kalendis ponere quaerit.* (Metrum 12)

De Alfio feneratore Columella I 7 haec tradidit: *uel optima nomina non appellando fieri mala fenerator Alfius dixisse uerissime fertur.* Hinc peculiares huius epodi facetiae intellegi possunt. Nimirum Alfius fenori deditus ac timens, ne optima nomina non appellando mala fierent, huiusmodi laudes uitae rusticae praetexere solitus est, ut appellandi iustam occasionem haberet. Itaque Horatius sub illustri exemplo ostendit et oblique exagitauit, quid sit *aliud ore promptum gerere, aliud pectore clausum tenere.* Idem secutus uidetur esse Archilochus in iambo, cuius initium fuit *οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει, οὐδ' εἷλέ πώ με ζῆλος,* quem cum Aristoteles Charonis fabri ore prolatum refert et ut *ψόγον ἄνευ ἀγροικίας* (Rhet. III 17) laudat, praedicare uidetur lepidum ironiae genus, quo homo quamuis auarus subito tamquam egregius diuitiarum contemptor prodire non erubescit. Lege fragm. 24 apud Bergkium p. 541. Lachmannus in epistula ad C. Frankium statuit, illum Archilochi iambum Horatio ante oculos fuisse, ad cuius exemplum hunc suum componeret. Si respexit Archilochum Horatius, aemulus potius quam imitator suum epodum perfecit; hoc probant quae de Alfio tradita sunt. Quem hominem notum fuisse et in litteris uersatum ostendit Plinius, qui Flauium Alfium libro primo recenset in auctoribus noni libri NH.; item VIIII 8 § 25 Flauium Alfium et Maecenatem memorat. Illum Archilochi iambum significauit Marius Victorinus III 17 7 (p. 188 ed. Gaisf.) scribens: *ex trimetro uersu iambico epodum octosyllabum Archilochus commentus est, ut 'beatus ille qui procul negotiis'.* Quo anno editus sit hic epodus, certius definiri nequit: hoc tamen pronuntiare licet non ante annum 717 (a. Chr. 37) natum esse. Conf. ad Epod. 14 7.

1. *qui procul negotiis:* ut *negotiator* uocatur qui quaestuosa negotia sequitur, sic *negotia* nunc accipe quae lucri causa suscipiuntur.

neque excitatur classico miles truci,
neque horret iratum mare,

forumque uitat et superba ciuium
potentiorum limina.

ergo aut adulta uitium propagine
altas maritat populos,

aut in reducta ualle mugientium
prospectat errantis greges,

6. Neque *ASgς Blandinii:* Nec *BHς.* 7. sr̄bia *A,* superbia *g.*
9. g̊ (= ergo) *A.* uicium *BH.* 10. *Eutychius* II 15. altos *A.*
11. mugientũ *H.* 12. errantis *AS:* errantes *BHg.*

2. *ut prisca gens mortalium:* primi mortales simplicem ac nullis curis exercitam uitam agentes unice agro colendo operam dederunt.

3. *paterna — suis:* rura a patre accepit, boues alii non debet rusticus *αὐτάρκης,* qualem laudat Alfius.

4. *solutus omni fenore:* qui feneratori non obstrictus est. Hoc unum inest uerbis, non illud, rusticum non dare fenori pecuniam: nam primo loco ingratae molestiae, quibus agricola non obnoxius sit, enumerantur.

5. *neque — truci:* non subditus militaribus imperiis tuba ex somno non citatur. *Classicum* est quo classis, h. e. exercitus, conuocatur. Additum *truci* ad proelium citari militem indicat.

6. *neque horret iratum mare:* haec spectant ad nautam uel mercatorem trans mare proficiscentem.

7. *forumque uitat:* litibus non implicitus forum urbis adeundum non habet.

7—8. *superba — limina:* quia non desunt quibus opus est, ciues potentes cliens obseruare et mane salutare non adigitur. Horum limina *superba* uocantur, quod clientes plerumque in limine a fastidioso dispensatore, accipiuntur neque ad ipsum dominum admittuntur.

9—36. Postquam enumerauit quibus incommodis careat rusticus, ad gratos labores eius in agris obeundos et dulces somnos transgreditur.

9—10. *adulta — populos: adulta* respondet proximis *altas populos:* nam ad *altas populos* nonnisi *adultae* uites duci in coniugium possunt.

10. *maritat:* maritis donat; cf. IIII 5 30: *uitem uiduas ducit ad arbores,* et annot. ad II 15 4. Columella V 6: *uitem maxime populus uidetur alere, deinde ulmus.* Idem XI 2: per hos dies (Octobris) *ulmi uitibus recte maritantur, ipsaeque in arbustis ac uineis recte propagantur.* Varro RR. I 8: *ubi natura humida, ibi altius uitis tollenda, quod in partu et alimonio uinum non ut in calice quaerit aquam, sed solem.* Hoc de uitando humore Horatius non spectauit, sed imaginem decoram secutus est, altas coniuges maritis adultis iunctas.

11—12. Alterum spectaculum sunt greges in reducta (= sinuosa) ualle, quae umbram spargit et aestum excludit (I 17 17). Vt uites in apricis et apertis uallium locis crescunt, sic greges umbrosa et reducta petunt.

inutilisque falce ramos amputans
feliciores inserit,
aut pressa puris mella condit amphoris
aut tondet infirmas oues:
uel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
ut gaudet insitiua decerpens pira,
certantem et uuam purpurae,
qua muneretur te, Priape, et te, pater
Siluane, tutor finium.
libet iacere modo sub antiqua ilice,

13. inutilisque *A:* Inutilesque *BHg* (*sic g*). amputantes *A.* 16. ouis *g.* 17. militibus *A.* capud *B.* 18. autūnus (*h. e.* autumnus) *AS:* Autu^{n}nus (n *est ab ead. m.*) *B*, Aut ūn' (*linea a sec. m.*) *H.* agris *AHSg quattuor* (*Blandinii*) *Cruquiani:* aruis *Bς commentator Cruquii.* 19. pira *ABSg:* pyra *Hς.* 20. purpurae *ABHω*, purpure *g:* purpura *quattuor* (*Blandinii*) *apud Cruquium.* 21. *Diomedes* I *p.* 377: munero, sed Horatius muneretur te, Priape. 23. *noui epodi principium Bgς duo Blandinii.*

13. *inutilisque falce ramos amputans:* dicit *ramos* uitium, ad quas particula adiunctiua *inutilisque* (h. e. inutiles quoque) reuertitur, non etiam ramos ceterarum arborum. Scilicet primum descripsit quae gratum aspectum praeberent, uites in apertis locis ad altas populos adductas, greges in reductis errantes, tum ad ea perueuit quae utilitatis causa procurantur. Hinc intellegas non recte uersum 13 et 14 post decimum a G. Fabricio et H. Stephano collocatum esse, neque uere Bentleium suo iudicio reposuisse *inutilesue.*

14. *feliciores inserit:* inserit uitibus. De uitium insitione exponit Columella IIII 29, adde III 9; *feliciores* sunt qui meliores bacas ferunt. Fronto ad Amic. 2 6 p. 304 ed. Rom.: *leges pleraeque poena sanciunt, ne quis felicem arborem succidat. Quaenam est arborum felicitas? Rami fecundi et frugiferi, bacis et pomis onusti.*

15. *pressa — mella:* liquati mellis materiam e fauis pressam. Columella VIIII 15 sub finem: *ubi liquatum mel in subiectum alueum defluxit, transfertur in uasa fictilia* (amphoras).

16. *infirmas oues:* ad resistendum infirmae tonsorem patiuntur. Alii de infirma ualetudine cogitant.

17—20. *uel cum:* his particulis ad nouam rem transitus paratur; cf. Epod. 12 13, Serm. II 7 95.

17—18. *caput — extulit:* ex agris efferre caput dicitur Autumnus, quod uites uuis, arbores pomis onustae prae ceteris agri frugibus uisuntur.

19—22. Haec scite adiecta sunt. Nimirum ut omnem lucri cogitationem remoueat callidus homo, rusticum id gaudere addit, quod *pira insitiua*, h. e. suo labore et cura emendata, decerpat et purpureo uuarum colore delectetur. Magis autem quaestus obliuioni prospicit in proximis: *qua muneretur* sqq. Scilicet hoc maximum rustici gaudium est, quod deos suos

modo in tenaci gramine.

labuntur altis interim riuis aquae,
  queruntur in siluis aues,

fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
  somnos quod inuitet leues.

at cum tonantis annus hibernus Iouis
  imbres niuesque comparat,

aut trudit acris hinc et hinc multa cane
  apros in obstantis plagas,

aut amite leui rara tendit retia,
  turdis edacibus dolos,

25. riuis *A* (*ibi* riuis *correctum est* ripis *et superpositum* pis) *Hω u. Blandinius:* ripis *BSgς*. 26. auis *A*. 27. mantibus *A*. 28. inuitet quod *H*. 29. aut *A*. hiberꝗ (*uoluit* hibernꝫ, *i. e.* hibernus) *A*, hybernus *S*. 30. imbresꝗ, (*h. e.* imbresque *correctum ead. m.* imbres) *A*. 31—32. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 378. 31. acris *AHSg pr B Seruius:* acres *ς*. 32. obstantis *ASg:* obstantes *BH*.

honorare potest. *Priapum* remuneratur ut horti custodem, Siluanum quod fines possessionis tuetur.

23—36. Otium aestiui temporis (23—28) componit cum hibernis rusticorum hominum curis minime molestis, sed multam uoluptatem praebentibus.

23. *sub antiqua ilice:* quae adulta late umbram iaciat.

24. *in tenaci gramine:* quo tenemur et implicamur, ubi consedimus. Alii firmiter inhaerescentem terrae cogitant.

25—26. *labuntur — aues:* iacenti gratum murmur riui, querulas uoces aues siluestres edunt. Alti riui sunt alta aqua fluentes (*tiefe Bäche*) ideoque lenem aut nullum sonum edentes. Statim opponitur fortior fontium strepitus. Altera lectionis forma (*altis ripis*) per se non inprobanda testibus non aeque bonis munita est.

27. *fontesque — manantibus:* lymphis manantibus est sextus casus, datiuus *rustico iacenti* ad uerbum *obstrepunt* supplendus est.

29—36. Ex ceteris anni temporibus hiems nondum memorata est. Quapropter pergit referre ad quas curas hiberno tempore rusticus animum attendat.

29. *annus hibernus:* noue pro hibernum anni tempus. Vergilius Aen. VI 311: *frigidus annus.*

31. *multa cane:* ui collectiua pro multis canibus, ut *multa rosa*, *multa myrtus* cet.

32. *in obstantis plagas:* obstant ad capiendum: nam praepositio hostilem intentionem significat, qua positae sunt plagae.

33. *amite:* ames est furca aucupalis (*Gaffel*) qua retia tenduntur. Haec ubi tenta sunt, rara dilucidaque comparent, h. e. maculis texta (*maschig*).

34. *turdis — dolos:* ut sint (parentur) turdis doli; quia *edaces* sunt, inprouidi in retia ruunt.

pauidumque leporem et aduenam laqueo gruem
iucunda captat praemia.

quis non malarum, quas amor curas habet,
haec inter obliuiscitur?

quod si pudica mulier in partem iuuet
domum atque dulces liberos,

Sabina qualis aut perusta solibus
pernicis uxor Apuli,

sacrum uetustis extruat lignis focum
lassi sub aduentum uiri,

35. *Atilius Fortunatianus* II 11 *extr.* 36. Iocunda *HS corr B*, *non Ag*. premia *BS*. *Post hunc uersum A addit* > rl (= et reliqua), *quod cetera omisit*. 37. malorum *pr B*. 39. Quod si *mei*, *non* Quodsi. 42. apuli uxor *S*. 43. extruat *BSg*: estruat *H*. 44. Lassum *H*.

35. *pauidumque leporem:* particula *que* postremum uenationis praedam adiunxit. Bentleius separantem uoculam (*ue*) ex ingenio non bene dedit. Leporis pauorem numeris concitatis imitatus est. Anapaestus uno uocabulo contentus primo pede toleratur ad morem tragicorum Graecorum (idem in quinta huius uersus sede *laqueo* pronuntiando remoueri debet); cf. u. 65: *positosque*. In aliis sedibus siquis comparet anapaestus, pronuntiatione obscuratur, ut Epod. 5 79: *priusque caelum sidet inferius mari*; 11 23: *nunc gloriantis quamlibet mulierculam*. Graeci iambographi ueteres anapaestum nullo loco tolerauere. Grus *aduena* facilius irretitur, quod moris in noua terra ignarus est. *Grus*, quae nunc non editur, ne ab Italis quidem, ueteribus expetebatur. Conf. Serm. II 8 87. Plinius X 30 (23): *Cornelius Nepos — cum scriberet turdos paulo ante coeptos saginari, addidit ciconias magis placere quam grues, cum haec nunc ales inter primas expetatur, illam nemo uelit attigisse*.

37—38. *quis non — obliuiscitur?:* his uerbis felicis matrimonii descriptio (u. 39—48) praeparatur. Amorem intellege meretricium siue libertinarum, cui mox opponit iustum et pudicum matrimonium. In urbe amorem multi sequuntur homines et sollicitantur curis inde natis, ruri fere pudicam uxorem ducunt. Ridiculum his uerbis inesse Lachmannus cum aliis existimauit: equidem non agnosco.

39—66. Iam ab agris digressus domestica rusticorum gaudia describere pergit.

39—48. Beatior ruri uita fit, si non solum careas aerumnis amantium, sed pudicam mulierem uitae sociam habebis.

39. *quod si pudica mulier:* quia amores ignorantur, facilius pudicae mulieri locus fit; hinc pergit orator *quod si*. Hauptius *quid si* ex ingenio suo scripsit interrogandi signo post u. 48 posito.

41. *Sabina qualis:* casta et labori intenta; cf. ad III 6 38.

41—42. *perusta solibus pernicis uxor Apuli:* Apulia calori solis obnoxia (cf. Epod. 1 27) est et *siticulosa* (Epod. 3 16); *pernix* Apulus est ut montanus. Sedula mulier et laboriosa sub diuo et in agris ardore solis perusta est.

43. *sacrum — focum:* sacer est ut septus Laribus uetere more focum in atrio circumstantibus.

claudensque textis cratibus laetum pecus
distenta siccet ubera,

et horna dulci uina promens dolio
dapes inemptas apparet,

non me Lucrina iuuerint conchylia
magisue rhombus aut scari,

si quos Eois intonata fluctibus
hiems ad hoc uertat mare;

non Afra auis descendat in uentrem meum,
non attagen Ionicus

45. Claudens *B.* loetum *H.* 47. orna *Hg corr B pr S.* 49—52. *Priscianus* VIIII 7 37 *et* XI 8 34. 49. iuuent *H.* conchilia *BHSg.* 50. rombus (*g* rhombus) aut scauri *Hg.* 52. Hiemps *BHS Prisciani plures.* uertit *plures codices Prisciani.* 53. affra *B.*

45. *textis cratibus:* cratibus uimine textis; uxor lasso uiro, ubi domum uenit, omnem curam demit, pecus ad crates adducit, ubera mulget.

47. *horna — uina:* ruri hornotinum uinum bibunt, non in horreis uel apothecis diu repositum; *dulci — dolio:* in quo dulce uinum primis temporibus seruatur, mox in amphoras uel cados conditur.

48. *dapes inemptas:* dapes non emptae plus gratiae habent.

49—60. In hac apodosi luxuriam urbis frugalitati ruris opponit.

49. *Lucrina — conchylia:* ostrea de lacu Lucrino capta praestantissimi saporis. Plinius NH. VIIII 79 (54). Serm. II 4 32.

50. *rhombus aut scari:* de rhombo (*Butte*, *Tarbot*), qui nunc *pleuronectes* audit, pisce ex planorum genere, Plinius NH. VIIII 36 (20), de scaro (*Meer-Brasse*), quem nunc *scarum Cretensem* uocant, idem VIIII 29 (17), Macrobius Saturn. II 12, Columella VIII 16, Gellius VII 16. Martialis XIII 84: *hic scarus, aequoreis qui uenit adesus ab undis, uisceribus bonus est, cetera uile sapit.*

51—52. *si quos — uertat mare:* Plinius l. c.: *nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare herbisque uesci, non aliis piscibus, mari Carpathio maxime frequens. Promontorium Troadis Lecton sponte numquam transit.* Quippe Horatii aetate mari Italico non inerat scarus, aduectus demum et Italico mari disseminatus sub Claudio principe, ut narrat Plinius; nonnulli tamen tempestate territi pellebantur in mare Tuscum. *Intonata hiems* (χειμών) est tempestas tonitru saeuiens. De rara hac uerbi forma Priscianus VIIII 7 t. I p. 455 et XI 8 p. 536 ed. Krehl: 'Horatius tamen in Epodo *intonata* protulit secundum analogiam pro *intonita.*'

53. *non Afra auis:* post nobiles pisces etiam aues quasdam pretiosas et in urbanas mensas longe petitas enumerat. *Afra auis* est Gallina Numidica (*Perlhuhn*). Columella VIII 2: *Africana* (Gallina) *est quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam et cristam capite gerit, quae utraque sunt in meleagride caerulea.* Insolitam auem isdem litteris concurrentibus (*Afra auis*) nuntiauit.

54. *attagen Ionicus:* Plinius X 68 (48): *attagen* (Haselhuhn) *maxime Ionicus celebratur, uocalis alias, captus uero obmutescens, quondam*

iucundior quam lecta de pinguissimis
   oliua ramis arborum,
aut herba lapathi prata amantis et graui
   maluae salubres corpori,
uel agna festis caesa Terminalibus,
   uel haedus ereptus lupo.
has inter epulas ut iuuat pastas oues
   uidere properantes domum,

55. Iocundior *BHS, non g.* 57. Haut *B.* 60. hedus *BHSg.* 61. ępulas *B.*

existimatus inter raras aues. Adde Martialis XIII 61: *inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum.* Magni pretii autem totam ab uno homine deuorari uix licere significat uerbis *non descendat in uentrem meum — iucundior.*

55. *quam lecta:* mensis urbanis opponit simplices et salubres cibos qui ruri eduntur. Oliua lecta de pinguissimis ramis ad iustam maturitatem peruenit. Oliuarum pinguedo ad ramos translata est.

57. *herba lapathi:* lapathum (*Sauerampfer*) Graeco uocabulo etiam Serm. II 4 27 recensuit. Latine *rumex* audit, sed sic plerumque *siluestre lapathum* uocabant. Cf. Plin. XX 85 (21).

57 — 58. *graui maluae salubres corpori:* aluum astrictum soluunt. I 31 16: *leues maluae*, h. l. graue siue astrictum corpus alleuantes.

59. *festis caesa Terminalibus:* hoc festum rusticis sanctum, quod Terminus priuatos agros et firmam possessionem agri dedit et tuetur. Celebrantur Terminalia septimo kalendas Martias. Ouidius Fast. II 639—684. Tum carne uesci agricolis licet, qua simul Terminum uenerentur.

60. *haedus ereptus lupo:* cogita haedum a lupo iam occisum ideoque, ne pereat, edendum, quamquam festus dies non agitur.

61—66. Epulae rusticae gratiores fiunt aspectu pecoris ex pascuis redeuntis, armentorum ex agro uenientium, uernarum in atrio circum Lares accubantium.

61. *pastas oues:* quod oues pastae et satiatae sunt, domino gaudium auget.

63. *uomerem inuersum:* inuersum et curriculo impositum ad uillam trahunt boues: nam ueterum uomeres rotas plerumque non habebant.

64. *collo — languido:* languet collum post diuturnum laborem. Etiam boues officio suo functi sunt in commodum possessoris.

65. *positosque uernas:* de anapaesto primi pedis cf. ad u. 35. Positi sunt circa focum cibo uescentes. Cf. Colum. XI 1 19: *consuescatque* (uilicus) *rusticos circa Larem domini focumque familiarem semper epulari; — nec nisi sacris diebus accubans cenet.* Silius VII 175: *ritu pauperis aeui ante focos mensae.*
ditis examen domus: ut apes circa reginam, sic serui circa dominum congregantur.

66. *circum renidentes Lares:* in medio atrio focus, circa hunc Lares, circa hos serui. Cur Lares *renidere* dicemus? Scilicet clara flamma in foco lucente splendent. Orellius explicuit 'qui tersi sunt et politi', secutus Vossium qui uertit *reingebohnte:*

uidere fessos uomerem inuersum boues
  collo trahentes languido,
positosque uernas, ditis examen domus,
  circum renidentes Lares'.
haec ubi locutus fenerator Alfius,
  iam iam futurus rusticus,
omnem redegit idibus pecuniam,
  quaerit kalendis ponere.

63—64. *Seruius ad Vergilii Ecl.* 2 66. 63. uersum *Seruius*. 64. thrahentes (*punctum est ab ead. m.*) *B*. 65. diuitis *H*. 66. renidentes *B*. 67. fenarator *H*. alfius *Sgς*: alphius *BHω*. 69. redegit *HSgω Blandinii*: relegit *Bς*. pecunia *S*. 70. kalendis *BHSg*, *non* calendis.

sed tales non *renident* (μειδιῶσι). Martialis III 58 22: *cingunt serenum lactei focum uernae et larga festos lucet ad Lares silua*. Nauckius accepit *renidentes* (seruos) *circum Lares*, quo symmetria perit.

67—70. Sequitur in clausula τὸ παρὰ προσδοκίαν, quod necessarium erat, ne aculeus in hoc epodo deesset. Facunda uerba laudantis uitam rusticam et post primum impetum alia omnia agentis egregie pingunt inconstantiam animi ad quaestum intenti.

67. *fenerator Alfius:* cf. Prooem. Romanum nomen per litteram f, non *Alphius* scribi debet. Qui Alphium ab ἀλφαίνειν quasi *lucratorem* dictum esse putant, falluntur: nam in epodis nulla nisi uera nomina uerique homines locum habent. Lege dicta ad Epod. 4 2.

69. *redegit:* appellando debentium nomina redegit pecuniam creditam, tamquam empturus propediem uillam rusticam et agrum. Kalendis aut idibus redigere pecuniam aut ponere solitum Romanis; cf. Serm. I 3 87. Cicero Catil. I 6 et quos laudat Forcellinius s. u. Idus.

70. *quaerit kalendis ponere:* ponere nummos nouis nominibus usuras numerantium. Cf. Epl. II 1 105: *nominibus rectis expendere nummos*. Districtus fenerator tantum perbreue interuallum inter redactos nummos et positos patitur.

III.

Parentis olim siquis inpia manu
  senile guttur fregerit,
edit cicutis alium nocentius.
  o dura messorum ilia!
quid hoc ueneni saeuit in praecordiis?
  num uiperinus his cruor
incoctus herbis me fefellit, an malas
  Canidia tractauit dapes?

Execratur quod apud Maecenatem alium ederat et aestu torquebatur *A*. De allio herba nocentiore cicutis *A a manu secunda*. Ad Mecenatem *H*. 1. inpia *B:* imp. *AHSg*. 2. gutur *B*. 3. Edit *ABHSgς quattuor' (Blandinii) 'codices' Cruquii:* Edat *corr Bς*. a^{l}lium *A,* alium *Hς:* allium *BSgς*. 4. O *om B*. 5. seuit *BH*. precordiis *B*. 6. Non *B*. 7. an malas *om A*. 8. Can^{n}didia *S*. *post* dapes *A* rl, *cui desunt reliqua*.

Epod. III. Prooemium. *Alium cibi genus est perniciosum et omni dignum execratione, id quod nuper expertus sum, cum a te positum cenaui. Tu, Maecenas, si quid umquam tale concupiueris, tenera coniux te auersetur et osculum tuum declinet.* (Metrum 12)

Ipsius Flacci ex alii cibo in domo Maecenatis gustato molestiae, fortasse etiam querellae Terentiae Maecenatis uxoris occasionem iocosi poematis conscribendi dederunt.

Hunc epodum fecit paulo post Terentiam Maecenati anno 725 (a. Chr. 29) matrimonio iunctam. Conf. Prooem. Carm. II 12.

1—3. Nocentem alii naturam primum sic indicauit, ut cibum esse parricidis edendum et his dignum dicat.

2. *senile — fregerit:* ut scelus percussoris maius appareat, senem esse cogitat parentem a filio strangulatum. Cf. II 13 6.

3. *edit:* antique ab *edim* pro *edat*. Serm. II 8 90: *quam si cum lumbis quis edit* (= edat). Ex uetere Blandinio Petri Nannii: '*edit* potius dicendum quam *edat:* antiqui enim dicebant *utinam edim*, *edis, edit, edimus*, *editis*, *edint*'. Commentator Cruquii: 'sic loquebantur antiqui, *utinam edim, edis*, *edit*'. *cicutis alium nocentius:* nocentius cicutis, quibus noxii apud Athenienses ad mortem adiguntur. Vocabulum *alium* una littera *l* scripsi meliores libros secutus (cf. N. Heinsius ad Vergil. Ecl. 2 11, Wagner ad Vergil. t. V p. 416) et Probum I 17 3 p. 1435: *alia cum intellexerimus nomen esse, primam syllabam longam esse existimamus*, cet.

4. *o dura — ilia!:* dura, quod edere messores alium solent et concoquere possunt. Cf. Vergilii Ecl. 2 10 et Moretum Vergilii u. 88.

ut Argonautas praeter omnis candidum
Medea mirata est ducem,

ignota tauris illigaturum iuga
perunxit hoc Iasonem;

hoc delibutis ulta donis paelicem
serpente fugit alite.

nec tantus umquam siderum insedit uapor
siticulosae Apuliae,

nec munus humeris efficacis Herculis
inarsit aestuosius.

at siquid umquam tale concupiueris,
iocose Maecenas, precor

9. argo nautas *BH.* pret̄ *H.* om̄is *H:* om̄s *BS*, om̄es *g.* 11. illigaturum *BHSg, non* inl. 13. pelicem *BHSg; cf. ad* III 10 15. 15. tant^{v}is (v *est ab ead. m.*) *H.* unquam *S* (*idem u.* 19 umquam, *ut solet*) *g.* syderum *S, om B.* 18. estuosius *HS.* 19. At siquid *BHg* (*g scribit* At si quid) *ω:* Quod siquid *S.* 20. mecenas *BHSg.*

5. *quid — praecordiis?:* pro 'quid hoc ueneni est, quod saeuit in praecordiis', i. e. in uisceribus?

6—8. *num uiperinus — dapes?:* cum credere uix possit tantum esse ipsius oleris ardorem, alias uenenati cibi causas circumspicit.

7. *incoctus herbis:* haec uerba sponte ducunt ad ueneficam, et talem Canidiam designat, de qua cf. Epod. 5 et 17 et Carm. I 16.

8. *tractauit:* cf. II 13 8: *uenena Colcha — tractauit.*

9 — 14. Pergit alii uim denotare, dum uenena quae accepimus esse praesentissima, alium fuisse contendit.

9. *Argonautas praeter omnis:* haec apta sunt ex subiecto epitheto *candidum*, non ex uerbo *mirata est.* Particula *ut* h. l. temporalis est. Conf. ad IIII 4 42.

11. *tauris:* igniuomis Colchicis. *ignota:* ignota et insolita tauris, quae adhuc nemo imponere ausus est.

12. *perunxit hoc Iasonem:* perunxit, ut corpus firmum redderet aduersus ignem taurorum.

13—14. Vt alii ueneno corpus Iasonis firmauit Medea, sic eodem Creusam, regis Corinthi filiam, cremauit. *serpente — alite:* curru a draconibus alatis uecto; cf. Epod. 5 63—65. IIII 11 26: *Pegasus ales.*

15—18. Postremo cum solis aestu et medicato Nessi sanguine ardorem alio excitatum confert.

15. *siderum insedit uapor:* non tantus uapor e calidis sideribus demissus insedit (h. e. incubuit) Apuliae aquis carenti et solibus expositae. Cf. ad Epod. 2 41 et Serm. I 5 78 et 91.

17 — 18. *nec munus — aestuosius:* munus datum Deianirae a Nesso centauro, ab illa marito Herculi. Humeri *efficacis* (δραστηρίου) Herculis nominantur, quod his uir robustus praecipue ualebat, sed tamen aestuanti ueneno resistere illi non poterant.

20. *iocose Maecenas:* qui ioci causa hunc cibum mihi dedisti. Conf. annot. ad Serm. I 5 27.

manum puella sauio opponat tuo,
extrema et in sponda cubet.

IIII.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,

21. sauio *BHSgω:* suauio ς. 22. insponda *B*, insponsa *S*.

Ad Sextum Menam libertinum (.) Vedium Rufum ex seruitute miratur usurpasse equestrem dignitatem usque ad tribunatum militum *A*. *Eadem in Parisino A* (*n.* 7900) *leguntur, cui deest* Menam, *mox* militum. In Sextum Pompeium libertum *H*. In Sextum Menam libertinum Vedium Rufum *Parisinus H*. Libertum alloquitur *g*.

1. sortitio obtegit *A*. optigit *S*.

21—22. *manum — cubet:* cum de cibo sermo sit, sponda alia esse nequit nisi lectus coniugalis. Longe igitur remoueatur Orellii sententia: 'de uenere a puella negata accipio'. Puella in lecto coniuuali cum Maecenate accubans et quidem quotidie accubans (nam de tali loquitur), quae erit? Eritne amica uel libertina, ut plures interpretes crediderunt, inprimis Orellius? Di inmortales, qualem illi Maecenatem cogitant! Hominem grauissimis curis siue praepositum siue adhibitum non singulari quadam occasione sed quotidie tales delicias consectatum esse, et hanc amici luxuriam nota censoria dignam carissimum amicum euulgasse! credat qui poterit. Immo Terentia est (de hac Acron iam cogitauit, sed male *concubinam* uocauit), coniux Maecenatis, et coniux quidem nuper in domum deducta. Nam uxor recens nupta *puella* esse non desinit. Conf. ad III 14 10. Haec epulatur cum marito suo, haec in eadem sponda ad mensam iacet, haec recens iuncta oscula coniugis aut accipit aut negat, haec prope maritum sedet aut in extremam spondam recedit odoremque uiri alium spirantis auersatur.

Epod. IIII. Prooemium. *Summa tecum mihi discordia est, qui seruiles poenas olim tolerasti, nunc opibus elatus ambulas et hominum ora aduertis de tua superbia et militari tribunatu liberrime indignantium.* (Metrum 12)

'Hic quem alloquitur libertus fuit Cn. Pompei Magni' (Cn. Pompeius Mena). 'Postea mortuo Pompeio, Sexto Pompeio filio eius exercente piraticam, ad Augustum relicto Sexto confugit. Iterum ad Sextum reuersus est; rursus illo relicto ad Augustum rediit et ab eo tribunus militum factus est'. Acron. Eadem mutatis tantum uerbis refert Porphyrion et Cruquii commentator. De rebus huius Pompei Menae cf. Dio XLVIII 45 et 54, XLVIIII 1. Verum enim uero graues causae me mouerunt, cur ab hac fama satis antiqua discederem, ac potius Vedium Rufum, quem altera inscriptio antiqui codicis Bernensis nominat (similis est in aliis nonnullis), increpari cum Orellio existimem. Praecipua causa cur Menam omitterem, haec fuit, quod epodus factus est inter paratus belli anno 717 (a. Chr. 37) et principio anni 718 aduersus Sextum Pompeium suscepti, quod declarant uersus 17—20. Tunc uero Pompeius Mena neque in partibus Octauiani Caesaris erat, neque in urbe luxuriose uiuebat, qualem hoc carmen inducit, sed praefectus classis in partibus Sexti Pompei, ad quem a Caesare anno 717 exeunte redierat, stipendia fecit. Neque ante hoc tempus Romam Mena uenerat, sed in classe, Caluisio Sabino Caesaris praefecto subditus, egerat (Dio XLVIII 54). Porro inimicus Horatii tribunus legionariis praefuit, Mena pedestris militiae haud peritus et apud Sextum et sub Caesare classiarios duxit. Si umquam tribunus mi-

tecum mihi discordia est,
Hibericis peruste funibus latus
et crura dura compede.
licet superbus ambules pecunia,
fortuna nón mutat genus.
uidesne, Sacram metiente te uiam
cum bis trium ulnarum toga,

4. conpede *B.* 7. uides ne *AB*, Vides ne te *S.* te meciente *H*, mestiente (s *ead. m. deletum*) te *A.* 8. trium] ͳ̄ *A*, ter *BHSgω*. *In H al. m. superscriptum* triũ, *ut coniecit Barthius Aduers.* LIIII 26 *et Bentleius.* ųnar̄ *A.*

litum factus est, quod narrant scholiastae, hoc munus ante belli Siculi finem Mena non accepit, ante quod tempus hunc epodum factum esse uidimus. Tenemus igitur Vedium Rufum. Hunc ipsum non alium affirmo fuisse ac Vedium Pollionem, equitem Romanum, olim *libertum*, opibus ac luxuria infamem, amicum Augusti, de quo lege Senecam de Ira III 40, de Clementia I 18, Plinium NH. VIIII 39 (23) et 78 (53), Tertullianum de Pallio c. 5, Tacitum Ann. I 10. Vita functus est a. 739. Dio LIIII 23: *κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει Οὐήδιος Πωλίων ἀπέθανεν, ἀνὴρ ἄλλως μὲν οὐδὲν μνήμης ἄξιον παρασχόμενος (καὶ γὰρ ἐξ ἀπελευθέρων ἐγεγόνει καὶ ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἐξητάζετο καὶ λαμπρὸν οὐδὲν εἰργάσατο), ἐπὶ δὲ δὴ τῷ πλούτῳ τῇ τε ὠμότητι ὀνομαστότατος γενόμενος, ὥστε καὶ ἐς ἱστορίας λόγον ἐσελθεῖν.* *Rufus* uetus ac seruile huius nomen uidetur fuisse.

1. *sortito:* naturae sorte. '*Sortito* autem aduerbium est qualitatis, id est, *quod ex sorte*, hoc est *naturaliter*, euenit'. Acron. Discordia naturalis luporum et agnorum iam ab Homero memorata Il. X 263. De hoc spondeo quinti pedis offensioni non obnoxio cf. ad Epod. 1 27.

2. *tecum mihi discordia est:* incessit Vedium Rufum (cf. Prooem.), quem cum ut uirum magno fauore gaudentem nomine uocare non auderet, signis indicasse contentus fuit. Idem fecit in epodo 6 et 8 et 12. Ficto nomine uti noluit: immo ficta nomina non magis in epodis quam in satiris ponuntur. Nimirum Flaccus in iambis morem ab Archilocho traditum tenuit, in satiris libertatem Lucilii aemulatus est. Ab hac consuetudine semel tantum et iustam ob causam deflexit Epod. 15.

3. *Hibericis — latus: peruste* poetice pro *uerberate*, quod uerbera urunt in tergo. Epl. I 16 47: *loris non ureris.* Catull. 25 11: *inusta turpiter tibi flagella.* Nos dicimus *brennende Schmerzen, Wunden, Striemen.* In Hispania *linum* et *spartum* nascebatur lentis loris idoneum. Cf. Strabo III 4 § 9. Plinius XVIIII 1 et 7 (2). *Latus* est casus relatiuus; cf. ad I 1 21.

4. *dura compede:* ferrea compede, non lignea.

5. *licet — pecunia:* Catullus 29 6: *et ille nunc superbus et superfluens perambulabit omnium cubilia* cet. De opibus Vedii Rufi conferatur Prooem.

7. *Sacram metiente te uiam:* in Sacra uia (sic uocari solet, non *uia Sacra*, quod Horatio poetae licuit Serm. I 9 1), ampla praeter ceteras et pulchra, ambulationes fieri solitum, praecipue ab iis, qui se hominibus ostendi uolebant: ceteri in Campum ibant, aut Circum aut Capitolium aut Pompei ambulationem. Conf. Catulli carmen 55.

8. *cum bis trium ulnarum toga:* de uitio sermonis *ter ulnarum* a

ut ora uertat huc et huc euntium
liberrima indignatio?
'sectus flagellis hic triumuiralibus
praeconis ad fastidium
arat Falerni mille fundi iugera,
et Appiam mannis terit,
sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.
quid attinet tot ora nauium graui
rostrata duci pondere

12. Preconis *H.* 14. teret *A.* 15. Sedibusque *BH*, *non Sg.* inprimis *BH.*

Barthio correcto satis dixit Bentleius. Sex ulnarum togam ut longam et in talos demissam signauit Horatius: Porphyrion ad h. l., scholiasta Persii V 14, Isidorus Orig. XVIIII 24 § 4 iustae togae mensuram sex ulnis definiunt, his uerbis, ut uidetur, non recte intellectis decepti.

9. *ora uertat:* h. e. uultum et oculos aduertat, delecto uerbo simplici pro composito. Aliter Porphyrion: 'signat autem populum ex indignatione, quod ille oblitus conditionis tam magnificus incedat, detorquere ab illo aspectum'. Sed qui loqui de pristino genere ambulantis et de noua fortuna sustinent, cur illi superbientis aspectum declinent? *huc et huc* pro uulgari *huc et illuc;* cf. ad Epod. 5 97.

10. *liberrima indignatio:* quae liberrime prorumpit.

11—20. Haec ipsa est indignatio praetereuntium; id uel pronomen *hic* u. 11, *hoc*, *hoc* u. 20 monstrat: Horatius suo ore priore loco *tu*, altero *te, te* dicturus fuit.

11—12. *sectus — fastidium:* homines reminiscuntur, ut Rufus seruus olim a triumuiris nocturnis correptus et ad columnam Maeniam uirgis caesus sit. Conf. Plauti Amphitr. I 1 3—7.

12. *praeconis ad fastidium:* praeco triumuirorum iussu tot plagas pronuntiauit, ut ipsum fastidiret. Cum hac conditione praesentem eius fortunam conferunt u. 13—16. Illic tria diuitiarum signa memorantur, quod fundi nobilibus uinis fecundi (Falerni) mille iugera aret, in Appia uia (quippe saepe commeans ab urbe ad praedium Falernum) curru mannis uecto iter faciat, in quattuordecim ordinibus sedeat. Othonem, h. e. legem theatralem anno 687 latam a Roscio Othone tribuno plebei, contemnit diues ille, nimirum bene sibi conscius, huic se sufficere plus satis posse, si res ad iudicem adducatur. Cf. Bentlei annot. Peculiare et alibi non proditum *Porphyrion* refert: 'ex quattuordecim' (sic corrige traditum *quattuor*) 'autem ordinibus, quos lege Roscius Otho tribunus plebei in theatro equestri ordini dedit, duo primi uersus' (lege *uiris*) tribuniciis uacabant'. Similia habet Acron. Hoc fortasse compositum est ex ipsis Horatii uerbis, qui nihil nisi hoc dixit, tribunum illum ex cetero equitum numero eminere (*magnus in primis eques*).

17—18. *tot ora nauium graui rostrata — pondere:* *ora nauium* sunt *prorae*, illud quod hosti obuertitur. Sic *frontem* Tacitus proram dixit in Germ. c. 44. Noue et poetice dicit naues grauibus rostris instructas et firmatas. Tales enim naues Octauianus anno 717 et ineunte 718 ad-

contra latrones atque seruilem manum,
hoc, hoc tribuno militum?'

V.

'At o deorum quicquid in caelo regit
terras et humanum genus,

Puerum praetextatum defossum inducit a Canidia, quo negato (necato) Alpḫo (*h. e.* Alphio) Varo daret potionem delinimentorum. Metrum quod superius *A*. In Canidiam conuerso nomine *H*. In Canidiam mutato nomine *Parisinus* 7900, *in quo reliqua ut in A usque ad* delinimentorum.

1—2. *Priscianus* XVII 23 171, *Donatus ad Terentii Andr*. IIII 1 43, *Seruius ad Vergil. Aen*. VII 363, VIIII 144, *Diomedes p*. 527.

1. quicquid — regit *AHSgς Blandinii Seruius Priscianus:* quicquid — regis *B alii,* quisquis — regis *codices nonnulli Horatii Diomedis Donati.*

uersus Sextum ad Baias parauit. Lege Cassium Dionem XLVIIII 1.

18. *duci:* uerbi forma docet tunc ipsum bellum susceptum esse, nondum gestum et finitum.

19. *contra — manum:* dicit classem et exercitum Sexti Pompei, magnam partem ex fugitiuis paratum. Cf. ad Epod. 9 7—10.

20. *hoc, hoc tr. militum:* hic imperitia sua et ignauia exercitum proditurus est. Tribunus militaris in legione, non in classe militabat. Caesar et classem et exercitum pedestrem a. 718 aduersus Sextum duxit. Cf. Dio XLVIIII 1—12.

Epod. V. Prooemium. *Nouum facinus Canidia nuper ausa est. Hanc et tres socias mulieres cum puer ab illis raptus et noctis tempore in abditam domus partem protractus intimis precibus obsecraret, ne quid grauius in se meditari uelint, nihil mouit* (1—10). *Humus exhauritur, ut pueri infodiendi et fame necandi medulla et iocinore Canidia potiretur ad parandum inuictum amoris poculum. Interim uenenorum ante datorum uim exploratura Canidia Noctem et Dianam inuocat, ut Varus senex amoris inpatiens ad se in Suburam ueniat* (11—60). *Haec autem uenena cum nihil ualerent, ad extremum illud consilium interficiendi pueri se promptam esse prodidit. Puer ubi nullam spem salutis adesse uidit, diris execrationibus Canidiam et socias prosecutus est.* (Metrum 12)

Canidiam Flaccus hoc carmine primum incessiuit, dein alio laesit (Epod. 17), tum iocose utrumque recantauit (Carm. I 16). Eandem in octaua satira primi libri risit, obiter perstrinxit Epod. 3 8, Serm. II 1 48, II 8 95. Porphyrion ad hunc epodum quintum, idem et Acron ad satiram libri primi octauam uero nomine Gratidiam uocatam esse et unguentariam Neapolitanam fuisse memoriae prodiderunt. Sed unguentariam illi ex uersu 59 et 60 huius epodi, Neapolitanam ex eiusdem uersu 43 perperam acceperunt. Horatius Canidiam Romae in Subura habitantem in hoc epodo monstrauit (u. 58), Esquilias adeuntem in satira modo indicata ostendit, ut Romanam in epodo 17 et in Carm. I 16 allocutus est. Neapoli natam esse Canidiam ex huius epodi uersu 43 temere collectum esse nos suo loco commonstrabimus. Praeterea

quid iste fert tumultus? et quid omnium
uultus in unum me truces?
per liberos te, si uocata partubus
Lucina ueris adfuit,
per hoc inane purpurae decus precor,
per inprobaturum haec Iouem,
quid ut nouerca me intueris aut uti
petita ferro belua?'
ut haec trementi questus ore constitit
insignibus raptis puer,

3. et quid *BHω Blandinii:* ā quid *A,* aut quid *Sgς.* 5. uocat *A.* 6. adfuit *ABH* (*in B a. m. superscriptum* f): affuit *Sg.* 8. improbaturum *ABHSg.* 11. trementi *ABHSgω:* tremente *Bentleius.*

etiam hoc a scholiastis falso traditum est, Canidiae nomen pro Gratidiae positum esse. Nam in epodis ficta nomina, more ab Archilocho et ceteris iamborum scriptoribus tradito, uitantur, quae causa fuit cur Horatius, si quando nominibus hominum exagitatorum parcere uellet, notis quibusdam se contineret et ab ipsis nominibus plane abstineret. Conf. annot. ad Epod. 4 2. Idem Canidiae nomen in satiris recurrit, in quibus ficta nomina ad exemplum Lucilii a Flacco item cauentur. Eo accedit quod cum Canidia aliae mulieres, suis quaeque nominibus (*Folia Ariminensis*, *Sagana*, *Veia*), iunctae sunt, quod Canidiorum gens plebeia Romae satis nota fuit. Ipsa criminum in Canidiam iactorum atrocitas commentum nominis ficti uidetur procreasse: sed ueteres interpretes obliti sunt, hos iocos primo nonnisi perpaucis lectoribus traditos esse, tum recantatione aculeum nimis acutum inde demptum esse. Natalem huius epodi annum urbis 720 (a. Chr. 34) uel tempus paulo prius definire licet. Nam uetus Esquiliarum forma, quae fuit ante opera Maecenatis ibi excitata, in u. 99 et 100 cogitatur. Atqui hortos Esquilinos Maecenatis coeptos esse anno urbis 721 in Prooemio Serm. I 8 relatum est. Itaque ante id tempus hos iambos natos esse liquet.

1—10. Haec precatur puer, dum in abditam aedium partem abducitur.

1—3. *at o deorum — fert tumultus:* particula *at* affectum subito prorumpentem exprimit. Aduersus scripturam *quicquid — regis*, ut est in libris non paucis, haec monet Bentleius: 'non puer ille, quicumque erat, deos hic precatur sed Canidiam et socias alloquitur, ut ex ipso carmine patet. Alioqui, si deos hic precaretur, tum uersu quarto *omnium uultus truces* de deorum uultibus accipiendum foret; quod ab omni sensu alienum'. Addit idem: 'Neque uero inuocatio deorum est, sed exclamatio duntaxat et obtestatio: qualia ista, *di boni, di magni, proh Iuppiter, pro deum atque hominum fidem.* Per omnes, ait, deos, per quicquid deorum in caelo est, quid tumultus iste sibi uult?'

5—6. *si uocata — adfuit:* simulati partus oblique Canidia accusatur. Hoc crimen ingeniose poeta recantauit in epodo 17 50.

7. *per hoc — precor:* puer nobilis togam praetextam gestat purpura tinctam. Hanc *inane decus* uocat, quod nihil sibi prodesse uidet. Quintil. Declam. 340 extr.: *ego uobis adlego etiam illud sacrum praetex-*

inpube corpus, quale posset inpia
mollire Thracum pectora,

Canidia breuibus implicata uiperis
crines et incomptum caput

iubet sepulcris caprificos erutas,
iubet cupressos funebris

et uncta turpis oua ranae sanguine
plumamque nocturnae strigis

13. *Priscianus* VI 12 65: neutrum impube Horatius protulit in epodo: ut haec trementi questus ore constitit puer, impube corpus. ĩpube *A:* Imp. *BHSg, mox ABHSg* impia. solet *pro* posset *A.* 15. implicata *BHωΣ:* illigata *ASgς.* 16. capud *B.* 17. sepulchris *ABHSg.* erutos *S.* 18. cupressos *ABSς:* cupressus *Hgς.* funebris *A:* funebres *BHSg.* 19. cuncta — rana *A.* 20. strigis nocturnae *AS.*

tarum, quo sacerdotes uelantur, quo magistratus, quo infirmitatem pueritiae sacram facimus ac uenerabilem.

11. *ut — constitit:* constitit ad locum ductus, ubi terrae infodiendum mulieres destinauerant. Re uera infossum esse poeta haud narrauit.

12. *insignibus raptis:* insignia nobilium puerorum aut diuitum bulla aurea et toga praetexta. Plutarch. quaest. Rom. 101, Romulo 25. Macrob. Saturn. I 6. Cic. Verr. lib. I 58. Liuius XXVI 36.

13—14. *quale posset — pectora:* si minus deorum metus, at miserabilis aspectus pueri inpuberis Thracum pectora mouisset, non Canidiam et ceteras ueneficas.

15—16. *breuibus — caput:* est habitus Furiarum. Cf. Carm. III 11 17, Serm. I 8 45. *implicata crines:* ut Carm. IIII 11 5 *crines religata.* Aut ex hoc postremo loco aut ex I 27 23, ubi est *inligatum*, diuersa scriptura *illigata* nata uidetur.

16. *incomptum:* passis crinibus.

17—24. *iubet sepulcris caprificos erutas — flammis aduri Colchicis:* cur has res aduri iussit? admiscere uelle uidetur amoris poculo ex medulla pueri et iocinore coquendo.

17. *Caprificus* est ficus sterilis siue fera, quae in monumentis aut in tumulis mortuorum nascitur. Iuuenalis X 143. Martialis X 2 9. *erutas:* radicitus protractas. Quod ubi fit, pulueres mortuorum dissipantur; cf. Epod. 17 47—48.

18. *cupressos funebris:* in funere adhibitas, quippe primum ante fores funestas positas, mox circa rogum locatas; cf. ad Carm. II 14 23.

19—20. *uncta turpis oua ranae sanguine plumamque nocturnae strigis* (*Eier und Feder auch vom nächtlichen Käutzlein in Krötenblut getaucht*): tam oua quam plumam nocturnae strigis uncta rubetae sanguine postulat. Ipsam *rubetam* turpis ranae uocabulo denotauit, generis nomine pro specie posito. Rubetam (*Kröte*) uenenatam esse ueteres crediderunt. Plinius VIII 48 (31). Iuuenalis I 70.

20. *nocturnae strigis:* Plinius XI 95 (39): *oua gignentium nulli* (mamma est); *nec lac nisi animal parienti; uolucrum uespertilioni tantum: fabulosum enim arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris immulgere. Esse in maledictis iam antiquis strigem conuenit, sed quae sit auium, constare non arbitror.* Adde Ouidii Fast. VI 139.

herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
  mittit uenenorum ferax,

et ossa ab ore rapta ieiunae canis
  flammis aduri Colchicis.

at expedita Sagana, per totam domum
  spargens Auernalis aquas,

horret capillis ut marinus asperis
  echinus aut currens aper.

abacta nulla Veia conscientia
  ligonibus duris humum

exhauriebat ingemens laboribus,
  quo posset infossus puer

21. iolchos *Blandinii*, ḥolcos *A*, hiolchos *S:* cholcos *B*ς, colchos *Hg*ς. atque *BHω corr ead. m. g:* ā *A*, aut *S*ς, et *pr g.* 23. leoninae *A.* 24. cholchicis *H.* 25. expetita *S.* 26. auernalis *AS:* auernales *BHg.* 28. Echynus *B.* 29. ueia *BS:* uegia *H*, ł ã (*h. e.* uelam) *A.*

21—22. *quas Iolcos atque Hiberia mittit:* Iolcos Thessaliae urbs olim Medeae uenenatas herbas dedit, tum Thessalis mulieribus in magia praestantibus. Cf. Aristoph. Nub. 748: *γυναῖκα φαρμακίδ᾽ εἰ πριάμενος Θετταλὴν καθέλοιμι νύκτωρ τὴν σελήνην.* Scholiasta ad h. l.: *διαβάλλονται γὰρ οἱ Θετταλοὶ ὡς γόητες. καὶ μέχρι δὲ νῦν αἱ φαρμακίδες παρ᾽ ἡμῖν Θετταλαὶ καλοῦνται. φασὶ δὲ ὅτι Μήδεια φυγοῦσα κίστην ἐξέβαλε φαρμάκων ἐκεῖ, καὶ ἀνέφυσαν.* De Thessalis cf. Plato Gorg. p. 513 A: *τὰς τὴν σελήνην καθαιρούσας, τὰς Θετταλίδας.* Suidas *Ἐπὶ σαυτῷ τὴν σελήνην καθέλκεις.* Hiberi Colchis uicini Thessalorum posteros se ferebant: Tacit. Ann. VI 34: *feruntque se Thessalis ortos, qua tempestate Iaso, post auectam Medeam genitosque ex ea liberos, inanem mox regiam Aeetae uacuosque Colchos repetiuit.* Vergil. Ecl. 8 95: *haec Ponto mihi lecta uenena.*

23. *ab ore rapta ieiunae canis:* cogita canem sepulcra pauperum peruagantem ibique ossa quaedam fami sedandae rapientem.

24. *flammis — Colchicis:* flammae Colchicae, quae ad morem Medeae Colchicae parantur et adolentur.

25—28. Dum Canidia intenta est principali coquendi poculi curae, uires sociales alia opera exequuntur, in his *Săgăna* domum lustrat. Cf. Serm. I 8 25. *expedita:* succincta tunica, ne impediretur ueste fluente. Serm. I 8 23: *uidi egomet nigra succinctam uadere palla Canidiam.*

26. *Auernalis aquas:* de pestilenti lacu Auerno sumptas.

28. *currens aper:* secutus est uarietatem; marino echino capilli natura et semper asperi sunt, apro, cum metu aut ira asperatur. Ouidius Halieut. u. 60: *actus aper setis iram denuntiat hirtis.* N. Heinsius *Laurens* coniecit approbauitque Bentleio, Hauptio, aliis.

29—40. Altera socia fossam effodit, qua demersus puer fame necabitur.

29. *abacta:* a nefario facinore

longo die bis terque mutatae dapis
  inemori spectaculo,
cum promineret ore quantum extant aqua
  suspensa mento corpora;
execta uti medulla et aridum iecur
  amoris esset poculum,
interminato cum semel fixae cibo
  intabuissent pupulae.
non defuisse masculae libidinis
  Ariminensem Foliam
et otiosa credidit Neapolis
  et omne uicinum oppidum,

33—34. mutatae — spectaculo *Priscianus* VII 8 41. 33. dap^{i}es (i *ab a. m.*) *BS*. 34. Inemori *HSω:* ĩnemori *A*, In mori (*in medio rasura*) *B*. 35. extat (*uoluit* extãt) *A*. 37. execta *A* (*ibi scribitur* exectati *pro* execta uti) *ωΣ*, ex^{s}ecta *B*, exsecta *HSg Blandinii:* exucta *uel* exsucta *ς*. 40. populae *A*. 41. maculae *B*. 42. arimenensem *A*. 43. ociosa *BH*. neapulis *H*.

depulsa. *Veia:* et *Veia* et *Veius* Romana nomina sunt. Veia nominatur in Mommseni Inscript. R. N. n. 4278. Ibidem quinquies *Veius* memoratur. A forma *Veius* amplius fit *Veianius* Epl. I 1 4.

31. *ingemens laboribus:* Tacit. Germ. 46: *ingemere agris*, h. e. agris colendis laborem insumere.

33. *longo die:* puero longus dies futurus est ob spectaculum dapis bis terque mutatae. Saepe autem mutantur dapes, ut fames acuatur et puer citius expiret. *Bis terque* est saepius, *bis terue* ab Aldo praue mutatum ualet raro. Cf. Bentl. annot.

34. *inemori:* ex uerbo composito *emori* decompositum noue formauit Horatius.

35—36. *quantum extant aqua suspensa mento corpora:* egregia imago nantium, qui mento quasi suspensi sunt in superficie aquarum.

37. *execta — medulla:* medulla ex capite secta. Saeuae mulieres mortuo puero caput execabunt et rimabuntur. Ex Blandiniis *exsecta* Cruquius transcribens *s* de suis uidetur addidisse. *exucta*, ut est in nonnullis libris non bonis, in poeta uariationis studioso uel ob hanc causam spernendum est, quod non differt a proximo *aridum*. Ceterum *exucta* legit suspecti tituli Neapolitani auctor (Mommseni Inscript. Regni Neapol. 338*), ubi est *exuctis medullis edentulae senectutis*. *aridum iecur:* aridum ut fame necati.

39. *interminato:* noue pro interdicto, uetito.

39—40. *cum semel fixae — pupulae: fixae* sunt quae moueri nequeunt, quod mortis signum est; *cibo* est ablatiuus causae a uerbo *intabuissent* suspensus. Particulae *cum semel* (*sobald einmal*) impatientiam expectationis mulierum denotant.

41. *masculae libidinis:* quae tribas ad morem uirorum libidini indulget.

43. *otiosa credidit Neapolis:* amoris poculum Romae coquebatur, ut patet ex u. 57 et 58: *senem* —

quae sidera excantata uoce Thessala
lunamque caelo deripit.
hic inresectum saeua dente liuido
Canidia rodens pollicem
quid dixit aut quid tacuit? 'o rebus meis
non infideles arbitrae,
Nox et Diana, quae silentium regis,
arcana cum fiunt sacra,
nunc nunc adeste, nunc in hostilis domos
iram atque numen uertite.

45. thesala *A*. 47. inresectum *BS*, ĩresectum *Ag*, in resectum *H*. seua *BHSg*. libido *A*. 49. ·ô· *A* (v *suppositum initium orationis indicat; non est superscriptum uoci* arbitrae). 50. infidelis *A*. 51. que *S*. 52. Archana *BS*. 53. hostilis *A*: hostiles *BHS*.

adulterum latrent Suburanae canes. Cur igitur in hac re quicquam credidit otiosa Neapolis et omne uicinum oppidum? Respondent scholiastae Canidiam Neapolitanam fuisse, et Porphyrion scenam facinoris Neapoli fuisse statuit. Hoc falsum est, illud ex hoc ipso uersu temere coniectum. Horatius Canidiam ut mulierem Romanam et Romae agentem ubique induxit. Neque de Canidia nunc sermo est, sed de Folia Arimini nata. Neapolim nunc memorauit ut urbem, a cuius ciuibus otiosis multa mira narrentur, tum ut rei a se relatae magnam speciem circumdaret. Hoc ut magis assequeretur, Neapolitanos cum Ariminensi muliere composuit. Scilicet usque ad Neapolim fama peruasit, quid illa nocte Folia Ariminensis in urbe temptauerit. Quod otio gaudent Neapolis et oppida uicina (Baïae, Cumae, cet.), multa narrare et credere solent. Tacit. Ann. XIIII 58: *uana haec — credentium otio augebantur;* ibid. XIII 3: *adnotabant seniores, quibus otiosum est uetera et praesentia contendere*.

45. *uoce Thessala:* cantico Thessalico. Epod. 17 4. Vergil. Eclog. 8 69: *carmina uel caelo possunt deducere lunam*. Tibullus I 2 43: *hanc ego de caelo ducentem sidera uidi*. Conf. ad u. 21.

47—48. *dente liuido — rodens:* 'habitum et motus Canidiae expressit furentis. Petronius ut monstraret furentem: *pollice* ait *usque ad periculum roso*'. Acron. Horatius nihil nisi sollicitae curae et altae cogitationis speciem uidetur expressisse.

49. *quid dixit aut quid tacuit?:* poeta haec Musam rogat: quippe ipse coram non fuit, sed Canidiae uerba aut cogitationes a Musa accepta refert.

49—50. *rebus — arbitrae:* quae coepta mea uidetis et adiuuatis.

53. *in hostilis domos:* ubi habitant aemulae quae amatorem meum Varum auertunt. Acron de Vari domo accepit, sed Varus hostis Canidiae non est.

54. *iram atque numen:* potentem iram.

55—56. *formidolosis — languidae:* est periphrasis concubiae siue mediae noctis. Formidinem incutiunt siluae ob tenebras et feras. Recte enim Bentleius hanc optimorum librorum scripturam uindicauit, alteram (*formidolosae*) reiecit, laudatis Vergilii Georg. IIII 468, Aen. I 169, Statii Theb. V 577, Lucani III 411. Cruquium in Blandiniis inuenisse *formi-*

formidolosis dum latent siluis ferae
dulci sopore languidae,
senem, quod omnes rideant, adulterum
latrent Suburanae canes·
nardo perunctum, quale non perfectius
meae laborarint manus.
quid accidit? cur dira barbarae minus
uenena Medeae ualent?
quibus superbam fugit ulta paelicem,
magni Creontis filiam,

55. formidolosis ς *Blandinii*, formidulosis *Ag:* formidolosae *B pr HS*ς *Acron commentator Cruquii.* dum *Hgω:* c̄ *A,* cum *BS*ς. 56. dulcis ope (*h. e.* dulci sopere) *A.* languide *H.* 57. quo *H.* 58. suburbanae *BH, non ASg.* 60. laborarint *BHSgω u. Blandinius:* laborarĩ *A,* laborarunt ς. 61. barbare *A.* 63. superbam *Bgω Blandinii:* superba *AHS*ς. fuit *H.* paelicem *A:* pelicem *BHSg.*

dolosis uerba eius ostendunt, quamquam his perperam praepositum est *formidolosae* pro *formidolosis*, ad errorem inductus a suo commentatore, ubi legitur *formidolosae, timendae.* Cruquii uitium deprehendit Bentleius.

57. *quod omnes rideant:* ridiculum erit, si senex adulteram requiret, si media nocte tamquam fur a canibus allatrabitur, si nardo pretiosissimo perunctus adueniet, ut adulterae placeat (cf. Plauti Casina II 3 9).

57—58. *senem — adulterum latrent Suburanae canes:* senem amore percitum et quaerentem adulterii occasionem, cum media nocte ad meretrices in Suburam uenit, canes allatrent. Etenim in Subura frequentes meretrices. Martialis VI 66: *famae non nimium bonae puellam, quales in media sedent Subura.* Persius V 32. In Subura etiam Canidiam habitantem cogitabimus. *Latrare* nunc pro *allatrare*, ut Epl. I 2 66. Ceterum *adulter* (*Buhle*) Varus ex Canidiae mente uocatur, ut qui uenenis uictus puellam adulterare uelit. Poeta nihil probri Varo aspersit.

59—60. *quale — laborarint manus:* h. e. quo non perfectius id est, quod meae laborarint manus. Serm. I 5 41: *animae, quales neque candidiores terra tulit. laborarint* est *laborare* (cum labore parare) *poterunt.* Canidia ut perfecta meretrix optimum nardum parare callet. Hinc scholiastae unguentariam suam stulte effinxerunt.

61. Hic aliquantisper expectat Canidia, dum ueniat Varus, incantamento uinctus et uenenis arcessitus. Quum nemo uenit, mirabunda causam anquirit ac mox reperit. Sed num sperare potuit Canidia hoc, uenena a se modo decocta ex praesente foco usque ad domum Vari penetratura esse? Id nimium foret et obstant uerba u. 77: *maius infundam tibi fastidienti poculum.* Statuemus igitur poculum simile huic quod modo coxit, Varo olim infusum et inter epulas quocumque modo datum esse. Sed quo consilio rursus uenena nunc parauit? primum ut nouis opibus se instruat, tum ut pueri medullam et iecur addat, si uenena adhuc composita Varum non adducant.

61—62. *dira barbarae uenena Medeae:* sua uenena eadem arte parata esse dicit et periade efficacia ut illa, quae barbara (ex barbaris ad Graecos aduecta) Medea olim miscuit.

63—66. Haec de Creusa siue Glauce absumpta per pallam tabo in-

cum palla, tabo munus imbutum, nouam
incendio nuptam abstulit.

atqui nec herba nec latens in asperis
radix fefellit me locis.

indormit unctis omnium cubilibus
obliuione paelicum.

ah ah, solutus ambulat ueneficae
scientioris carmine.

non usitatis, Vare, potionibus,
o multa fleturum caput,

ad me recurres, nec uocata mens tua
Marsis redibit uocibus.

65. imbutum *Hω*, ībutum *g*, inb. *B*: īfectū *A*. nou a (*locus deerat litterae* m) *A*. 70. páelicum *A*: pelicum *BHSg*. 71. ah ah *Acron commentator Cruquii*: ha ha *H*, Ah *S*, ha *eodem uersu quo* pelicū *B*, Ah *g*, *om A*. ambulabat *S*. 74. capud *B*. 75. menstrua *A*.

fectam, quam dono dederat Medea, addit, ut rapidam uim uenenorum illorum indicaret. *Palla* (πέπλος in Euripidis Medea) est toga siue pallium mulierum. Conf. Serm. I 2 29. Superbam uocat Creusam, ut quae iustae uxori sese praeferri uoluerit. Apposite laudat Bentleius Octauiae u. 124: *adice his superbam paelicem, nostrae domus spoliis nitentem.*

67—68. Dicit ‘atqui nihil omisi eorum quae ad uenena Medeae requiruntur’.

69—70. *indormit — paelicum* (*aus seinem Nachtlager ist weggesalbt jeder Gedanke an Kebsweiber*): pergit ‘neque aliam mulierem sequi potest: nam cubilia eius uncta sunt ueneno meo, quod omnium paelicum *obliuionem* adducat. Páelices nominat, quod se propriam Vari mulierem haberi uult. Cf. Epod. 12 24.

71—72. *ah ah — carmine:* tandem ueram causam, cur sua uenena nihil ualeant, aduertit, non sine miratione et ira. *solutus ambulat:* solutus et non uinctus ambulat, ubi uult, neque ad me adigitur, adeptus hoc ueneficae scientioris carmine. Scientiorem hanc uocauit ueneficam, quod sua uenena adhuc irrita fecit.

73—82. Quamuis adhuc uicta sit a scientiore uenefica, tamen animum non despondet atque etiam huic superiorem se tandem euasuram esse sperat et minatur.

73. *Vare:* quis est Varus ille? Num est *Quintilius Varus*, Vergilii amicus et iudex carminum satis peritus (Carm. I 24 5, AP. 438), an iuris consultus *Alfenus Varus* Cremonensis, Horatio bene notus (Serm. I 3 130)? Equidem hunc alterum praetulerim. Nimirum significatur uir notus et senex, alter ille Quintilius in iuuentutis flore uidetur obisse, ea de causa defletus a Vergilio. Tum Alfeni nomen quamuis corruptum resedit in antiquis huius epodi inscriptionibus, in quibus Alphius Varus nominatur.

74. *o multa fl. caput:* multa fleturum, quia ualidissimis uenenis superabitur.

75—76. *nec uocata — uocibus:*

maius parabo, maius infundam tibi
fastidienti poculum,
priusque caelum sidet inferius mari
tellure porrecta super,
quam non amore sic meo flagres uti
bitumen atris ignibus'.
sub haec puer iam non ut ante mollibus
lenire uerbis inpias,
sed dubius unde rumperet silentium
misit Thyesteas preces.
'uenena, magnum fas nefasque, non ualent
conuertere humanam uicem.
diris agam uos: dira detestatio
nulla expiatur uictima.

79. celum *S*. 83. Sup *H*. iam om *B*. 84. inpias *B*: impias *AHSg*. 86. thiesteas *BS*. preces *B*. 89—90. dira — uictima *Seruius ad Aen*. VII 597.

ad aliam paelicem cogitatio tua non redibit, licet uoceris Marsis uocibus. Marsae uoces pro incantamentis Marsorum, de quibus Epod. 17 28, Serm. I 9 29. Lucilius p. 371 Hauerc.: *ut Marsu' colubras disrumpit cantu*. Gellius XVI 11. Silius VIII 496.

77. *maius parabo:* quod maiora efficere poterit.

79. *inferius mari: inferius* tribus effer syllabis; cf. ad Epod. 2 35.

81. *amore — meo:* i. q. *amore mei*.

81—82. *uti bitumen atris ignibus:* flagrante bitumine atrae flammae fiunt.

83—86. Ex proximis minis puer sensit quid se expectet, eoque libere in diras iam erumpit, ut Drusus apud Tacitum Ann. VI 24.

85. *dubius unde rumperet silentium:* increpandi tanta copia aderat, ut quibus uerbis rumperet silentium, dubius esset.

86. *Thyesteas preces:* quales Thyestes in fratrem Atreum olim misit; u. Cic. Tuscul. I 44.

87. *uenena, magnum fas nefasque:* uenena magnum fas sunt, cum medendis uulneribus, tollendis morbis rite adhibentur, etiam ubi noxii morte puniuntur: magnum nefas sunt uenena, ubi ad euertendos aut infestandos homines innoxios usurpantur, si, ut ait Plinius (NH. II 63 § 157), *quod terra nobis malorum remedium genuit, nos uitae facimus uenenum.* Ingeniose Hauptius coniecit: *uenena maga non fas nefasque, non ualent* cet. Converte: *Giftsäfte, ja so gut so schlimm, vermögen nicht, zu halten fern was dir gebührt.*

88. *humanam uicem:* uicem quae hominibus pro factis redditur (*menschliche Vergeltung*). 'uices autem appellantur poenae quae in sceleratos regeruntur'. PORPHYRION. Itaque hoc dicit: 'quamuis munita sis ualidis uenenis, uicem tibi debitam non effugies, sed a me mortuo uexata pro peccatis poenam dabis'.

89. *diris agam uos:* ἀραῖς διώξω ὑμᾶς. *dira detestatio:* detestatio diris rite concepta.

quin, ubi perire iussus expirauero,
nocturnus occurram Furor,
petamque uultus umbra curuis unguibus,
quae uis deorum est manium,
et inquietis assidens praecordiis
pauore somnos auferam.
uos turba uicatim hinc et hinc saxis petens
contundet obscenas anus.
post insepulta membra different lupi
et Esquilinae alites,
neque hoc parentes heu mihi superstites
effugerit spectaculum'.

91. usus *A*. 93. Poetam — ungibus *S*. 95. inquietas (*corr. ead. m.*) *B*. assident *A*, assidens *BHSg*, *non* adsid. precord. *H*. 98. Contundet *BHSgω:* contundat *Aς*. obscenas *mei*. 100. esquilinae *ABSΣ Blandinii:* aesquiline *H*, esquiline *g*. 102. Effugerit *HSgω:* effugerint *ABς*.

92. *nocturnus occurram Furor: Furor* (*Rachegeist*) respondet Furiae; hanc ponere non potuit, quia de puero agitur.

94. *quae uis deorum est manium:* manes animae sunt bonorum hominum, laruae et lemures malorum. Dis manibus concessum est, ut inimicos scelestos persequantur. Valerius Flaccus III 386 sqq.

97. *hinc et hinc:* pro uulgari *hinc et illinc*. Cf. Epod. 2 31: *trudit acris hinc et hinc multa cane apros*; 4 9: *huc et huc euntium*. Simile est illud Serm. I 1 112: *hunc atque hunc superare laboret*. AP. 45: *hoc amet, hoc spernat*, 439: '*corrige sodes hoc' aiebat 'et hoc'*.

99. *insepulta membra different lupi:* different lupi, dum quisque rapiet ex cadaueribus quantum poterit.

100. *Esquilinae alites:* alites quae cadauerum in Esquiliis iacentium reliquias deuorant. Esquiliae, cum haec scribebantur, nondum domibus hortisque occupatae, sed seruorum et pauperum sepulcretum ibi fuit. Aliter sese res habuit, cum scripsit octauam libri primi satiram. Hiatus, quem in thesi longa nominis proprii admisit, iuuentutem et primordia poetae prodit. Alius generis est hiatus I 28 24, Serm. I 1 108.

101. *heu mihi superstites:* dolet quod superstites parentes necem suam accipient. Sed solabitur illos aliqua ex parte ultio mulierum noxiarum.

102. Patratam necem esse ne poeta quidem dicere aut affirmare uoluit. Itaque res temptata aliquando uidetur esse a Canidia, non ad finem perducta, atque huiuscemodi rumorem Horatius secutus libere exornauit. Fortasse totum illud de rapto puero et infosso figmentum est poeticum, quo significetur, ad quae scelera prolabi possit mulier uenenorum et magiae studiosa. Nam si facinoris argumenta adfuissent, haud dubie ad praetorem, qui de ueneficiis quaereret, adducta Canidia foret. Quod secus fuisse carmen sedecimum libri primi arguit: ibi enim testis est Horatius Canidiam incolumem uiuere in urbe ac simul fatetur ira se in celeres iambos prorupisse. Sic ipsius accusationis acerbitas mitigata est.

VI.

Quid inmerentis hospites uexas canis
ignauus aduersum lupos?

Maledicum poetam in se irritat minaturque si solita rabie fuerit elatus *A*. In Cassium Seuerum *Hς*.

1. inmerentis *H*, inmerentes *BS*, iměrentes *A*, ī merentes *g*. canes *A*. 2. ignabus *A*. aduersum *Bgω*: aduersos *A*, aduersus *Sς*. Ignauis lupos aduersus *H*.

Epod. VI. Prooemium. *Tu innoxios et ignaros tui uexas, uerae fortitudinis egenus, lucri nanciscendi cupidus. In me uerte minas, me iustum aduersarium experieris.* (Metrum 12)

Cassium Seuerum esse quem alloquitur, antiqui interpretes, nominatim Acron ac plures inscriptionum auctores, in his illi qui tribus libris Blandiniis *in Cassium Seuerum* praescripserant, crediderunt. Sane Cassius sub principatu Augusti *uiros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamauit*, ut refert Tacitus Ann. I 72, IIII 21. Sed ille teste Hieronymo exul mortuus est anno urbis 786 siue a Christo nato 33. Hic epodus cum certe ante pugnam Actiacam factus sit, h. e. ante Chr. anno 31, Cassius pueritiam tunc nondum egressus erat. Neque ignauia ulla aut lucri cupido Cassii cognita est. Kirchner (Quaest. Horat. p. 23) de Maeuio malo poeta uel Bauio cogitauit: sed Maeuio satisfactum est in decimo epodo. Grotefendius de Bauio poeta malo accepit: uerum non mali uersus exagitantur, sed maledicendi licentia in homines innoxios usurpata uitio datur. Vera maledicendi sollertia cum excelleret Horatius iamborum scriptor, illum flagellis urere statuit, qui bona arte male usus est, ut par pari referret. Itaque iambographus quaerendus est. Talis uero praeter Horatium unus tunc fuit *Furius Bibaculus*, acerbitate uersiculorum insignis. Conf. Quintiliani X 1 96: *iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus, quibusdam interpositus; cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo: in Horatio — non reperietur.* Taciti Ann. IIII 34: *carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur.* Ex Taciti uerbis intellegitur Bibaculi iambos aduersus Caesarem Octauianum pugnasse, ut Catullus Iulium Caesarem ante lacessiuit. Inde amplius colligi posse mihi uidetur Bibaculum Antonii partibus addictum fuisse et partium studio impulsum contumelias in Octauianum et amicos eius iecisse. Ea res cum altius spectaret, nomen maledici poetae Flaccus non solum in hoc epodo, sed etiam Serm. I 10 36, ubi notis Bibaculum significauit (*turgidum Alpinum*), tacere uoluit. Furium igitur Bibaculum in hoc epodo reprehendi puto. Quod si uerum est, saltem ante pugnam Actiacam haec conscripta esse inde consequitur: nam post id tempus Bibaculus Caesarem unicum possessorem imperii laedere non ausurus fuit.

1. *inmerentis hospites:* hospites, h. e. peregrinos ad hospitis domum uenientes, latrans angit (uexat) ille canis, quia ignauiam eius ignorant.

inmerentis: qui nihil mali meruerunt. Fortasse Bibaculus (hunc enim notari in Prooemio probabiliter ostensum est) Octauiani liberalitatem erga Maecenatem reprehenderat, ut Catullus dona inmensa a Caesare Mamurrae data carmine 29 huic uitio uertit.

2. *ignauus aduersum lupos:* qui arcere et lacessere non audes illos, qui hoc meruerunt, remorsuros timens.

quin huc inanes, si potes, uertis minas
  et me remorsurum petis.
nam qualis aut Molossus aut fuluus Lacon,
  amica uis pastoribus,
agam per altas aure sublata niues,
  quaecumque praecedet fera.
tu cum timenda uoce complesti nemus,

3. uertis *ASς:* uerte *B* (*in rasura*) *Hgω u. Blandinius.* 4. petis *ASς:* petes *B*, pete *Hgω u. Blandinius.* 5—6. *Plotius* 4 32. 5. molossus *Sgς:* molosos *A*, molosus *BH.* lacon *BHSgω:* laco *Aς duo Blandinii.* 7. alt$\overset{a}{o}$s *B.* 8. praecedat ς. 9. conplesti *B.*

3. *quin — minas:* minari tantum scit, mordere nescit. Eiusmodi *minae* aduersus fortem *inanes* sunt, h. e. nihil ualent.

4. *et me — petis:* se, iamborum scriptorem, iustum aduersarium denuntiat. Veteris Blandinii et aliorum librorum *uerte — pete* nihil est nisi praua interpolatio: nam *quin* imperatiuo iunctum comici poetae admittunt: ab epicis et lyricis alienum est.

5—8. Suam uim extollit, Molosso cani aut Laconico, uelocibus atque fortibus Laconiae et Epiri pastorum comitibus, se comparando. *Molossus aut Lacon* poetice pro cane Molossico aut Laconico (cf. ad I 1 28). Vergilius G. III 405: *ueloces Spartae catulos acremque Molossum pasce sero pingui*, ubi Seruius notauit: 'in Laconicis uelocitas, in Molossis fortitudo laudatur'.

6. *amica uis pastoribus: ἰσχὺς φίλη, δύναμις ἀσπασία.* Apud Lucretium VI 1220: *fida canum uis.* Vergilius Aen. IIII 132: *odora canum uis.* His uerbis significauit se esse, qui amicis quouis tempore auxilium ferat. Proxima de uenatico cane dicta suam aduersum inimicos uiolentiam pingunt.

7. *per altas aure sublata niues:* aures arrexit, ut qui acriter et intento ore sequitur, per altas niues currit, ut uestigia fugientis sequatur.

9. *cum timenda — nemus:* haec scribens cogitauit fabulam Aesopiam, a Phaedro I 11 narratam cum inscriptione *asinus et leo uenantes.* Tu uoce feras excitare potes, persequi et capere non potes.

10. *proiectum odoraris cibum:* grauissimum probrum. Vt uoraces canes a sequendo desistunt et cibum proiectum odorantur, sic tu lacessere desinis, sicubi lucellum obiectum est, et hoc est quod tu iambis consequi studes.

11—12. *caue, caue — cornua:* omisso cane ad aliam *ἀλληγορίαν* transgressus iam tauri petulci partes sumit.

13. *Lycambae — gener:* Archilochus; cf. Epl. I 19 25. Lycambes *infidus* uocatur, quia filiam Neobulen non dedit, quam Archilocho desponderat. Archilochi ultionem iustam fuisse non minus quam suam indicat.

14. *acer hostis Bupalo:* Hipponax, celeberrimus post Archilochum iamborum scriptor. Plinius XXXVI 4 (5) § 11: *cuius* (Archenni Chii sculptoris) *filii Bupalus et Athenis clarissimi in ea scientia fuere, Hipponactis poetae aetate, quem certum est LX Olympiade fuisse. — Hipponacti notabilis foeditas uultus erat; quamobrem imaginem eius lasciuia iocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax*

proiectum odoraris cibum.

caue, caue: namque in malos asperrimus
parata tollo cornua,

qualis Lycambae spretus infido gener,
aut acer hostis Bupalo.

an si quis atro dente me petiuerit,
inultus ut flebo puer?

10. *Eutychius* I 3 3. 11. aspimus *B*, asperimus *H*. 13. *Plotius* 4 13. lycambae *B*: licãbae *A*, licambae *HS*. 14. bupalo *AB Blandinii*: bubalo *Hg*, pubalo *S*.

indignatus amaritudinem carminum destrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse, quod falsum est. Carminum illorum nonnulla uestigia in reliquiis Hipponactis supersunt.

15. *atro*: hoc epitheto malignam reprehensionem, qua contumelia aspergitur, significat. Martialis V 28 7: *robiginosis cuncta dentibus rodit.*

16. *ut flebo puer*: libere collocatum pro *flebo ut puer*.

VII.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
aptantur enses conditi?
parumne campis atque Neptuno super
fusum est Latini sanguinis?

Primo ciuili bello finito ut ab alio bello abstineant deprecatur. Metrum quod superius *A*. In populum Romanum. Ternarius iambicus. Binarius iambicus epodicos *H*.

1. Quoq. *A*. dexteris *Ag*: dextris *BH*, dextras *S*. 3. Parumne *H*: Parum ne *BS*, par ne *A*.

Epod. VII. Prooemium. ***Cur in alterum ciuile bellum ruitis, scelesti? Nimium sanguinis iam effusum est non ad domandas externas nationes, sed in urbis nostrae perniciem Parthis exoptatam. Adeo ferarum natura a sua ipsarum caede abhorret. Nos acerba fata manent, nos plectimur ob sanguinem Remi nefarie fusum.*** **(Metrum 12)**

Bellum a Flacco nunc inprobatum Philippense fuit, in quod inuitus a Marco Bruto tractus est (Epl. II 2 46). Recte hoc intellexit Acron: 'illud bellum cum exclamatione significat, quod ab Augusto gestum est contra Brutum et Cassium interfectores Caesaris'. Noui interpretes hos iambos ad bellum Perusinum aut aliud post proelium Philippense gestum referre malunt. Verum de bello Perusino poeta cogitasse nequit, quia hoc statim post Philippense erupit, cum enses nondum *conditi* essent (u. 2), quia id bellum culpa Lucii Antonii et Fuluiae temere coeptum, ab Octauiano Caesare iuste cohibitum est (a. 713 et 714), ut Horatius inique scripsisset de partibus utrisque *quo, quo scelesti ruitis?* Nec uero de bello quodam post Perusinum suscepto cogitare licet: nam bellum Siculum et Aegyptiacum non pro ciuilibus Horatius habuit, et cum illa gerebantur, Caesaris partibus per Maecenatem conciliatus nihil grauius de his elocutus est. Restat igitur unum bellum Philippense, de quo non solum hi uersiculi, sed etiam epodus sextusdecimus iuste intellegi possunt. Ad idem bellum spectare epodum tertiumdecimum suo loco demonstrabitur. Omnes hos uersus inter belli paratus et ardorem factos esse argumentum ipsorum docet: sed poeta patriae redditus poliuisse et mitigasse uidetur quaecumque in strepitu armorum et partium studio concitatius composuerat. Conf. Prooem. epodi 16. Ex his consequitur hunc epodum aut anno 712 (a. Chr. 42) aut sub finem anni 711 inchoatum esse. Retractati tempus epodi non ante annum 717 (a. Chr. 37) aduenit, ut monitum est ad Epod. 14 7.

1—2. *quo, quo scelesti — enses conditi:* conditi enses erant, posteaquam Iulius Caesar Pompeianarum partium reliquias in Hispania extinxit; nunc iterum manibus aptantur a partibus bellum Philippense suscipientibus. Scelestos increpat, quod inprobo consilio se in uicem trucidare

non ut superbas inuidae Karthaginis
Romanus arces ureret,
intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus uia,
sed ut secundum uota Parthorum sua
urbs haec periret dextera.
neque hic lupis mos nec fuit leonibus
umquam nisi in dispar feris.

5—7. non ut — Brit. *Plotius* 4 34 *p*. 2648. 5. inuide *AB*. kartaginis *AH*, cartaginis *BS*, carthaginis *g*. 6. Romanis *correctum a. m.* Romanus *B*. 7. Britannicus *Plotius*, brittannus *Sg*. 10. hec *S*. 12. Vmquam *BHS*, unq̄ *A praeter morem*, Vnquam *g*. indispar *BHS*.

uolunt. Dactylus in tertio pede impetum ruentium imitatur; cf. Epod. 17 12. Semel dactylum etiam Archilochi reliquiae praebent in illo trimetro (Athenaei XII 25 p. 523 D): *οὐδ' ἐρατός, οἷος ἀμφὶ Σίριος ῥοάς*.

3. *campis:* dicit Pharsaliae campos, tum ceteros quibus Iulius Caesar in Africa, Asia, Hispania Pompeianos deuicit. *Neptuno super:* cogitat clades maritimas, a partibus Pompei, nominatim a M. Octauio et Lucio Scribonio (Dio XLI 40. Appianus BC. II 47. Liuius Epit. 110. Florus IIII 2 31), mox a M. Bibulo Caesaris nauibus illatas a. 705 et 706, denique multa in uicem maris damna, quae in bello Alexandrino partes perpessae sunt. In bello Philippensi, item inter Philippense et Perusinum classes non conflixerunt: falso igitur opinantur, hoc nouum bellum esse cladem Perusinam. Immo maius quid et excelsius poeta exagitauit, dico eiusmodi bellum, in quo suscipiendo utraeque partes peccauerunt.

5. *inuidae Karthaginis:* inuidebat Karthago opibus Romanis, hinc iusto bello punienda fuit.

7. *intactus aut Britannus:* Caesaris expeditiones iactantiae causa potius quam perdomandae Britanniae susceptas non fuisse eiusmodi, quibus Britannus tangeretur, significauit.

8. *Sacra catenatus uia:* ut in triumpho catena uinctus per Sacram uiam duceretur, mox carcere includeretur. Cic. in Verrem lib. V 30. De Sacra uia cf. ad IIII 2 35 et ad Epod. 4 7.

9—10. *sed ut — dextera:* Epod. 16 2: *suis et ipsa Roma uiribus ruit*. Parthi post deletam Karthaginem uni Romanorum aemuli his perniciem nouent. 'Qui occiso Crasso metuebant Romanos, nisi bellum ciuile emersisset'. Acron.

11—12. Naturae contrarium esse ciuile bellum ex innata feris indole ostendit.

12. *umquam nisi in dispar feris:* resolue *non feris umquam, nisi in dispar* (genus), uel *non nisi in dispar feris umquam*. Scilicet uis negandi proxime prioribus uerbis addita etiam ad haec pertinet, quo fit ut *nisi* pro *tantum* uel *nonnisi* poni possit, quod facilius sentias, si soluas *ut umquam nisi in dispar feri essent*. Bentleius *numquam* per coniecturam rescribens poetici sermonis licentiam remouit. De re Plinius VII praefat. extr. M. Seneca Contr. II 9. L. Seneca Epl. 95. Iuuenalis XV 159 sqq.

furorne caecus an rapit uis acrior
an culpa? responsum date.

tacent, et ora pallor albus inficit
mentesque perculsae stupent.

sic est: acerba fata Romanos agunt
scelusque fraternae necis,

ut inmerentis fluxit in terram Remi
sacer nepotibus cruor.

13. Furor ne *ABHSg.* caecus *Aω*, cecus *BHS:* caecos *g et pauci.* aut *B, non AHSg.* 15. ora pallor albus *BHSω Porphyrion:* albus ora pallor *Agς Acron.* 19. inmerentis *BS*, īmer. *g*, im̃er. *A:* immer. *H.*

13—14. Eximia scena. Noxii quasi ad iudicem ueri et aequi adducti sunt. Hic acriter examinat, illi nihil habent quod in excusationem afferant.

13. *furorne caecus:* cuius causam ipsi non nouerunt. Cf. IIII 15 17: *furor ciuilis;* I 18 14: *caecus amor sui.* *uis acrior:* uis diuinitus immissa, cui resistere nemo potest, urgentia imperii fata. Tacitus Germ. c. 33: *urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.*

14. *culpa:* nefas a nobis commissum.

15—16. *tacent, et ora pallor albus inficit — stupent:* a minore ad maius ascendit. Rogati responsum dare nesciunt, tum uultus (*ora*) *pallor albus inficit* simulque, ubi grauem culpam intimo pectore sentiunt, *mentes perculsae stupent,* h. e. mentes de statu suo deiectae sine motu et uigore consistunt. *pallor albus:* est quasi pro nomine composito ideoque non diuellendum, ut factum in uetere codice Bernensi et aliis nonnullis minime malis, *tacent, et albus ora pallor inficit.* Conf. Epod. 10 16: *pallor luteus,* in hoc carmine (u. 13) *furorne caecus.* Praeterea concinnitas et compositio rei externae et internae (*et ora — mentesque*) ueterem lectionem commendat.

17—20. Subsequitur iudicialis sententia, re disquisita a iusto arbitro lata; artem agnosce.

17. *acerba fata R. agunt:* caute utrisque partibus, etiam uictis Bruti et Cassii, pepercit, simul infelicem sortem Romanorum se ipsos oppugnantium deplorauit.

18. *scelusque — necis:* haec ἐπεξηγητικῶς proximum uersum subsequuntur.

19. *ut: posteaquam;* cf. ad IIII 4 42. *Inmerentem* occubuisse Remum dicit, ut appareat quomodo cruor eius posteris (*nepotibus*) *sacer* siue ἄγος esse possit. De re cf. Liuius I 7.

VIII.

Rogare longo putidam te saeculo
uires quid eneruet meas?
cum sit tibi dens ater et rugis uetus
frontem senectus exaret,
hietque turpis inter aridas nates
podex uelut crudae bouis?
sed incitat me pectus et mammae putres,
equina quales ubera,

Prostitutam putidam anum sectatur uitia corporis eius proscribens. Metrum quod superius *A*. In anum libidinosam, prostitutam putidam Gratidiam, quam aspernatur, cuius uitia corporis detestatur *H*.

1. te putidam *S*. saeculo *AS*, sclo *BH*, seculo *g*. 2. quid *Bω*: qđ *Hg*; ꝙ (= quod) *A*, quod *Sς*. eneraes *B*, eneruat *S*. 7. mammae] ꝟꝛę *A*. 8. qualis *A*.

Epod. VIII. Prooemium. *Quicquid habes, uetula, uires meas eneruat. Opes et imagines, uniones et libri Stoici neruos erigere non possunt.* (Metrum 12)

Est iocus iuuenilis et paulo licentior lusus tam hic epodus quam qui duodecimus numeratur, praeter uersiculos in Graecia inchoatos (Epod. 7 et 13 et 16), primi iamborum ab Horatio in gratiam Maecenatis (cf. ad Epod. 14 7) factorum et anno urbis fere septingentesimo septimodecimo (ante Chr. 27) compositi, nobile magni poetae ac liberius locuti rudimentum. Scilicet inops et adempto patris agello delatus in urbem, ibique non minus decora facie quam diuite uena ingenii hominum oculos aduertens, repperit conditionem quotidianae consuetudinis a uetula muliere, docta beataque, liberaliter oblatam. Quam cum paupertate adactus primo accepisset, mox cum non honesta sibi imputari cognouisset, se colligens et erigens omisit; postremo ingrati temporis memoriam uirulentis uersibus oppugnauit, cum Maecenati admotus uetus naufragium odio merito persequi destinasset. Conf. ad Epod. 14 7.

1. *rogare — te:* coram putida sene considens haec tamquam mirabundus effert. Infinitiuus indignationis, si abest interiectio, certe pronomen adiunctum habere debet. Serm. II 4 83: *ten lapides uarios lutulenta radere palma?* Vergilius Aen. I 37: *mene incepto desistere uictam?* *putidam:* odoris mali, rancidam.

2. *uires — meas:* dicit uiri potentiam, sed adhuc tecte et paulo castius, mox licentius ad morem Archilochi uel Hipponactis erupturus.

3. *cum sit tibi dens ater:* Epod. 5 47: *dente liuido rodens pollicem.*

3—4. *rugis uetus — exaret:* rugae sunt sulci frontis, quos exarat *uetus senectus*, h. e. extrema aetas. Vergilii Aen. VII 417: *frontem obscenam rugis arat.* Serm. II 2 125: *contractae seria frontis.*

6. *uelut crudae bouis:* bos cruda (*wund*) quae multum arando aut alio labore ulcera traxit inter nates. Non bene Orellius: 'quae cibum non concoquit ideoque nec continet'.

7—10 Ne desit descriptioni uarietas, scite prospexit: nam postquam enumerauit, quod uires eneruet, addit quae non incitare ipsum possint.

uenterque mollis et femur tumentibus
  exile suris additum!
esto beata, funus atque imagines
  ducant triumphales tuum,
nec sit marita quae rotundioribus
  onusta bacis ambulet.
quid quod libelli Stoici inter sericos
  iacere puluillos amant?
inliteratti num minus nerui rigent?
  minusue languet fascinum?

11—12. funus — tuum *scholiasta Statii Theb.* VI 268. 11. funes (*ead. m. correctum*) *A*. 12. triumfales *A*. 13—14. *scholiasta Statii Theb.* IIII 207. 13. Ne *H*. 14. Honusta *S*. bacis *ABHSg*, *non* baccis. 16. pu[l]illos *B*. 17. Inlitterati *Hg*, Inliterati *BS*: illiterati *A*. 18—20. *Plotius* 4 33. 18. *om A*.

9—10. *femur tumentibus exile suris additum:* 'ingeniosa descriptio, nihil enim tam deforme quam crassiores pedes esse infra genua quam supra'. Porphyrion.

11—16. Concedit diuitem (*beatam*) esse, nobili genere, ornatam magnifice, philosophiae deditam.

11. *funus atque:* liberius positum pro *atque funus* uel *funusque*; cf. ad Serm. I 5 27.

11—12. *imagines — triumphales:* breuiter pro 'imagines maiorum triumphalium'.

13. *nec sit marita: marita* nouum nomen ac uilius quam *matrona*. Praeiuit Catullus 67 6: *postquam es — facta marita*.

13—14. *quae rotundioribus onusta bacis:* bacas μεταφορικῶς uniones siue margaritas uocauit; graues indicauit uoce *onusta*, iustum orbem epitheto *rotundioribus*: margaritae enim orbe placent et pondere. Plinius VIIII 56 (35): *dos omnis in candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti, unde nomen unionum Romanae scilicet imposuere deliciae*.

15—16. *quid quod — amant?:* in lectulo lucubratorio Stoici libelli, in quibus de uirtute, nominatim de temperantia et fortitudine agitur, inter sericos puluillos (Kissen aus Mousselin) sedulo repositi sunt, ut doctam se ostentet anus. Horatius uerbis *inter puluillos sericos* hanc doctrinam irridet.

17. *inlitterati num minus nerui rigent* (*werden wohl Muskeln ohne Belesenheit weniger steif?*): negamus quod sic quaerimus. Hoc dicit poeta: 'omitte, quaeso, litteras tibi nihil profuturas, cum inlitterati nerui non minus rigeant quam litterati. Non inest litteris quod tu expectas'. *Rigent* h. l. est *rigidi* fiunt, i. e. tumidi, ut apud Iuuenalem (VI 129) Messalina ardet *rigidae tentigine uuluae*. Forcellinius Porphyrionem secutus *rigent* interpretatur *languent*, sed languidus penis mollis est, non rigidus.

18. *minusue languet fascinum?:* iam quaerit contrarium; in sermone pedestri dixisset *aut minus sic* (cum assunt libri Stoici) *languet fascinum?* h. e. non minus languet penis, quamuis libri in puluillis iaceant.

19. *superbo:* uetulam fastidiente.

quod ut superbo prouoces ab inguine,
ore adlaborandum est tibi.

VIIII.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
uictore laetus Caesare

19—20. *schol. Iuuenalis* VI 298. quia ut super uoces ab ing. *scholiasta Iuuenalis.* 19. luugune *A.* 20. adlaborandum *AH scholiasta Iuuenalis*, ad laborandum *g:* allab. *BS.*

Bello aduersus Antonium et Cleopatram designat uictoriam Caesaris *A.* Ad Mecenatem. Ternarius iambicus, binarius epodicos. Aduersus Cleopatram et Antonium *H.*

1. repostum *gςΣ commentator Cruquii:* repositum *ABHSς.* caecubum *A:* cecubum *BHSg.* 2. letus *B.* cesare *BH.*

Epod. VIIII. Prooemium. *Quando Caecubum festis dapibus reseruatum tecum, Maecenas, in domo tua bibam laetus ob uictoriam a Caesare partam? Cur triumphus pompam moratur et uictimas? Terra marique uictus hostis lugubrem uestem sumpsit, et longinqua petit aut inops consilii in mari uagatur. Maiores scyphos huc affer, puer, et uina Chia aut Lesbia, uel Caecubum infunde ad arcendam nauseam. Curam rerum a Caesare gerendarum dulci uino soluere iuuat.* (Metrum 12)

Cum haec cecinit Horatius, absens ab urbe et non apud amicum Maecenatem fuit, ut uerba docent *quando repostum Caecubum — tecum sub alta domo — bibam?* Fuit tunc in diuite domo, ubi larga uini pretiosi copia aderat, unde pro arbitrio poscere poterat (u. 33—36). Ex eodem loco res memorabiles, quae pugnam Actiacam praecesserant (u. 15—20), et hominum rumores de Antonii fuga uarie coniectantium (u. 27—32) ad Maecenatem nuntiauit. Vbi igitur tunc commoratus est Horatius? Certa responsio in promptu non est: coniecturam quandam meam celare nolui, sed meram esse suspitionem memineris. Caesar Octauianus, antequam hostem fugientem persequi posset, principio anni 724 (30 a. Chr.) militari seditione, quae inter milites in Italiam dimissos exarserat, permotus ex Asia Brundisium contendit, ac post breuem moram ad conficiendas belli reliquias eadem hieme in Asiam rediit, incertus ubi Antonius esset. Brundisium tunc officii uenerationisque causa magna multitudo ex urbe confluxit; patres equesque, etiam magna pars populi principi aderant (Dio LI 4). Fortasse tunc Horatius a Maecenate ad Caesarem missus est et aliquot dies in domo eius Brundisina fuit; fortasse illic haec composuit et cum litteris in urbem ad amicum scripsit. Sic *puer* quem alloquitur (u. 33), in domo Caesaris uina ministrabit. Ibi Graeca uina ex Asia cum principe aduecta supererant, Caecubum non deerat (u. 34—36), ibi de triumphi mora questus edere potuit (u. 21—22): nam Caesar non in urbem pergere uoluit, sed in Asiam et Aegyptum abiturus erat.

1—6. Horatius haec scribens non

tecum sub alta, sic Ioui gratum, domo,
beate Maecenas, bibam,

sonante mixtum tibiis carmen lyra,
hac Dorium, illis barbarum,

ut nuper, actus cum freto Neptunius
dux fugit ustis nauibus,

minatus urbi uincla, quae detraxerat

4. mecenas *BHSg, non A.* 5. lira *S.* 8. ustis *supra uersum ascriptum, alia manu ut uidetur, in A.* 9. dextraxerat *B.*

fuit in urbe, non apud amicum suum. Conf. Prooem.

1. *Caecubum:* de Caecubo agri Latini uino cf. ad Carm. I 20 9.

2. *uictore laetus Caesare:* laetus uictoria ad Actium parta. Non diu post illud proelium haec cecinit poeta.

3. *tecum sub alta — domo:* dicit domum Maecenatis cum turri in hortis Esquiliarum aedificatam. Conf. Serm. I 8 14 sqq. Ceterum *tecum* et proximum *sub alta domo* ostendit Horatium tunc absentem fuisse; cf. Prooem.

4. *beate Maecenas:* beatum dicit *diuitem*, qui et alta domo habitet et generosum uinum condiderit, quique amicum suum lauto conuiuio excipere possit.

5. *sonante — lyra: carmen* dicit sonos musicos (Tonstück). Indicat quod sequitur *Dorium* et *barbarum*, i. e. harmonia Doria et barbara.

6. *barbarum:* carmen Lydium uel Phrygium: nam ex tribus uetustissimis harmoniis una Graeca erat (Doria), duae barbarae (Phrygia et Lydia); cf. Carm. IIII 15 30 et III 19 18, IIII 1 23. Catullus 64 264: *barbaraque horribili stridebat tibia cantu.* Ibi *barbara* est Lydia.

7—10. Cleopatra et Antonius deuicti poetae referunt in memoriam Sextum Pompeium anno 718 ab Octauiano fusum et ex *freto* Siculo actum, mox in Asia ab Antonii partibus occisum (a. 719).

7. *ut nuper:* ut nuper Caecubum tecum bibi. *actus — freto:* dicit fretum inter Italiam ac Siciliam, quod Sextus diu occupauerat, Italiae et urbi molestus. De clade eius ad Naulochum non procul a Peloro promontorio et oppido Messana cf. Appiani BC. V 118—122, Dionis XLVIIII 8—11.

7—8. *Neptunius dux:* irridet insolentiam Pompei, qui Neptuni filium se uocabat: Dio XLVIII 19 et 48. Aurelius Victor de Viris ill. 84.

8. *ustis nauibus:* in pugna Naulochensi; Dio XLVIIII 10.

9—10. *minatus — perfidis:* haec addit, ut Pompeium iusta clade oppressum esse probet; simul haec transitum ad subsequentia parant.

9. *quae detraxerat:* Dio XLVIII 19. Velleius II 73. Orosius VI 18. Horat. Epod. 4 18.

10. *seruis amicus perfidis:* qui perfidiam seruorum dominos deserentium amicitia sua remuneratus est.

11—20. Verae laetitiae causam etiam nunc adesse ut probet, Cleopatram cum Antonio non minus iusto pioque bello deuictam esse exponit quam Pompeium.

11. *posteri negabitis:* negabunt, quia suis oculis non uiderunt tam turpe spectaculum.

12. *emancipatus feminae:* feminae prorsus in mancipium datus. Praepositio uerbi uim intendit. Cleopatram totius belli ducem et causam ostendit, Antonio parcit (cf. I 37), ut solet. Scilicet Cleopatrae, non Anto-

seruis amicus perfidis?

Romanus, eheu, posteri negabitis,
emancipatus feminae

fert uallum et arma, miles et spadonibus
seruire rugosis potest,

interque signa turpe militaria
Sol aspicit conopeum.

11. he heu *H*, *non ABSg*. 12. Et mancip. *H*. 13—38. *om A*. 15—16. signa militaria Sol aspicit conopeum *schol. Iuuenal.* VI 8. 16. aspicit *BHSg*, *non* adsp. conopeum *BHSωΣ*: canopeum *gς*, conopium *Parisiensis* 7900.

nio, a patribus bellum denuntiatum erat: Dio L 4 et 26.

13. *fert uallum et arma:* quod alias iussu imperatorum suorum faciunt milites Romani, nunc feminae praestant emancipati; *uallus* est palus castrensis.

13—14. *miles et spadonibus seruire rugosis potest:* commate haec discreui a prioribus, ut duo sint membra aequalia, unum *Romanus — emancipatus feminae fert uallum et arma*, alterum *et miles spadonibus seruire rugosis potest.* Conuertas: *ein Römer, hah, ihr Nachkommen werdet es nicht glauben wollen, eines Weibes Knecht trägt Lagerpfal und Waffen, und ein Soldat kann runz'lichen Eunuchen dienstbar sein.* Particulam *et* aliquotiens in Carminibus, in Iambis et Sermonibus saepius Flaccus perinde postposuit; cf. Carm. I 12 11: *blandum et;* I 29 14: *Socraticam et domum;* I 31 10: *diues et — mercator;* I 37 8: *funus et imperio parabat;* III 24 48: *aurum et inutile;* IIII 7 15: *diues et Ancus;* 15 2: *uictas et urbes;* Carm. saec. 3: *semper et culti;* Epod. 1 12: *inhospitalem et Caucasum;* 2 20: *certantem et uuam purpurae;* 3 22: *extrema et in sponda cubet;* 10 18: *preces et auersum ad Iouem;* 11 8: *conuiuiorum et paenitet;* 16 2: *suis et ipsa Roma uiribus ruit,* 40: *Etrusca praeter et uolate litora;* 17 2: *supplex et oro;* Serm. I 3 54: *iunctos et seruat amicos;* 4 51: *ebrius et — ambulet;* 5 86: *uiginti et milia;* 6 11: *amplis et honoribus;* 10 71: *uiuos et roderet ungues;* II 1 64: *detrahere et pellem;* II 7 6: *constanter et urget propositum;* 8 88: *pinguibus et ficis.* Epl. I 15 35: *uilis et agninae.* De simili traiectae particulae *atque* uenia dictum est ad Serm. I 5 27.

16. *conopēum:* uelum ad arcendos κώνωπας (culices) in Aegypto molestos iacentibus et dormientibus; 'quidam reticulum dicunt Aegyptiorum reginae, quod supra lectum tenderetur aduersum culices, inter uexilla portatum'. Acron. 'quasi retis genus est ad culices prohibendos, quo maxime Alexandrini utuntur, quia ibi ex Nilo culices abundant'. Porphyrion. Apud Propertium III 11 45 Cleopatra minatur: *foedaque Tarpeio conopea tendere saxo* (libri illic habent *canopeia*). Iuuenalis V 80: *ut testudineo tibi, Lentule, conopēo nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.* Scholiasta Iuuenalis: 'hoc est linum tenuissimis maculis' (Maschen) 'nanctum' (scribe *factum*), 'quod Latine conopeum *culicare* dicunt. Sic Horatius (inter) *signa militaria Sol aspicit conopeum*'. Iuuenali paenultima longa est, ut in Graeco κωνωπεῖον, Horatio et Propertio breuis a forma κωνωπεών. Plerique nunc scribunt *conopium* secuti Bentleium, qui haec disseruit: 'ita quidem (*conopeum*) codices, sed scribendum potius *conopium*. Graeci

ad hunc frementes uerterunt bis mille equos
Galli canentes Caesarem,

hostiliumque nauium portu latent
puppes sinistrorsum citae.

io Triumphe, tu moraris aureos
currus et intactas boues?

io Triumphe, nec Iugurthino parem

17—18. *Seruius ad Vergil. Aen.* VI 612. 17. Ad hunc *BHgωΣ tres Blandinii Seruius:* At huc *quartus Blandinius*, Adhuc *S cum nonnullis.* 18. cesarem *B.* 20. sitae *perpauci*, *in his Cruquiani duo.* 22. *Probus* II 1 40: hic et haec bos, — Horatius: intactas boues. 23. iugurtino *H; in B* h *ead. m. ascriptum est.*

scilicet utrumque habuerunt, *κωνώπειον* et *κωνώπιον*' (hoc pro culicari nusquam reperitur, immo *κωνώπιον* est *culiculus*), 'ut *κηρύκειον* et *κηρύκιον, φοινίκειον* et *φοινίκιον*' cet.

17. *ad hunc frementes:* aduersus *hunc*, h. e. aduersus militem spadonibus seruientem, frementes bis mille equites Gallici ad Caesarem transiere; *ad* noue admisit pro *aduersus*, indicando in quam partem fremerent. Sic accepit Acron et interpretatur *contra hunc.* Frustra Orellius dicit, propter interpositum *interque signa turpe militaria Sol aspicit conopeum* uerba *ad hunc* referri non posse ad militem spadonibus seruientem: nam ipsa interposita statum castrorum et militis ibi tendentis pingunt. Codices satis consentiunt in uerbis *ad hunc:* qui discedunt, nonnisi leuiter aberrant. Viri docti frustra coniecerunt *ad hoc* (Bentleius), *at hoc* (Fea), *ab hoc* (N. Heinsius). *Galli* sunt Antonii socii Galatae sub rege Deiotaro. Plutarchus Ant. c. 61. Idem Anton. 63: *ἐγένοντο δὲ καὶ βασιλέων ἀποστάσεις Ἀμύντου καὶ Δηϊοτάρου πρὸς Καίσαρα.*

17—18. *uertĕrunt bis mille equos Galli canentes Caesarem:* transfugium, rem per se parum decoram, uerbis quam maxime speciosis expressit. *bis mille:* quattuor alae; *uerterunt* correpta media syllaba, ut *annuĕrunt* Serm. I 10 45.

19—20. *hostiliumque — puppes:* haec pertinent ad timidam stationem Antonii nauium in portu sinuue Actiaco: scilicet ex portu non egredientes, sed in intimum sinum puppes retrahentes expectabant. Cf. Dio L 12 et 13.

20. *sinistrorsum citae:* cito cursu sinistrorsum siue Alexandriam uersus abiturae. 'Intellegendum autem e litore Epiri, ubi pugna naualis cum Antonio fuit, si Italiam petas, in dextra' (insere *cedere*) 'necesse est, si Alexandriam, in sinistra'. Porphyrion.

21—26. Arroganter facturus, si Caesarem rogaret, cur triumphare cunctaretur, scite ex ipso triumphi numine quaesiuit, cur non procedat, impatienter expectans Caesaris reditum in urbem, ut dies festi agi possint.

21—22. *aureos currus:* currus auro et ebore fulgentes. Florus I 5: *inde* (a Tuscis) *quod aureo curru, quattuor equis triumphatur, — adsumpta sunt.* Philostratus Vit. Sophist. I 7: *ἀναθέμενος αὐτὸν — ἐς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσι.*

22. *intactas boues:* pastae ut dis offerantur (cf. III 23 8—12), non ut iugo et mortali opere premantur. Ver-

bello reportasti ducem,

neque Africano cui super Karthaginem
uirtus sepulcrum condidit.

terra marique uictus hostis punico
lugubre mutauit sagum.

aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
uentis iturus non suis,

25. africano *Bω:* africanũ *H*, affricanũ *Sg*, africanum ς. kartaginem *B*, kartagine *H*, carthaginem *Sg*. 26. uirtus sua *H*. sepulchrum *BHg*, *non S*. 27. *nouum epodon incipit B*. 28. Lugubrem *H*.

gil. Georg. IIII 540: *intacta totidem ceruice iuuencas*. Porphyrion: 'non sic dixit quasi feminis tantum triumphantes sacrificent, sed quia metro quid' (lege *quidem*) 'gratius feminino genere boues quam masculino dicuntur. Denique ut Vergilius: *ille meas errare boues, ut cernis*'.

23—24. Grata est imago triumphi ducem uictorem in urbem reportantis siue reducentis; conf. IIII 2 17: *quos Elea domum reducit palma caelestes*.

25—26. *neque Africano — condidit:* neque Africano bello, cui deleta Karthagine uirtus Romana finem fecit, parem ducem reportasti, h. e. neque Scipio Africanus minor pari ac Caesar gloria triumphauit. *Super Karthaginem* ualet *in solo Karthaginis*. Altera scriptura *neque Africanum* duabus difficultatibus premitur, primum quod incertum relinquitur, quis Africanus intellegatur, maior an minor, tum quod uterque Scipio Africanus in Italia, non super Karthaginem sepultus est.

27—32. Iustam triumphandi causam adesse probat: hostis terra marique uictus quo se recipiat non habet.

27. *terra marique uictus hostis: terra uictum* cogitat in pugnis cladem naualem antecedentibus, in quibus Antonii partes plerumque inferiores discedebant. De uoluntario transitu exercitus pedestris Antonii, qui fuit septem diebus post pugnam naualem (Plutarchus Ant. c. 68. Dio LI 1), noli cogitare.

27—28. *punico lugubre mutauit sagum:* h. e. pro purpureo (= punico siue puniceo) lugubre, h. e. pullum siue atrum sagum induit propter dolorem amissi proelii. Hoc pronuntiat Horatius tamquam Musarum interpres, quo idoneam triumphi occasionem esse pateat. Frustra Lachmannus ad Lucretium II 829 p. 123 *mutabit* coniecit. Sic statim sequitur *petit*, tum *fertur*, non *petet* aut *feretur*. Verius ibidem monuit Lachmannus: '*punicum* et *puniceum* promiscue dixerunt de colore et gente'. Cf. Carm. IIII 10 4: *puniceae — rosae*.

29—32. Tres coniecturas de hostili fuga et itinere delecto addit desperationem describens fugientium: aut Cretam petit, aut Syrtes Africae, aut consilii inops incerto mari iactatur.

29. *centum nobilem Cretam urbibus:* cf. Carm. III 27 33.

30. *uentis iturus non suis:* hoc tam pertinet ad praegressa (*aut Cretam* petit) quam ad proxima (*aut petit Syrtes*). Nimirum si Cretam uentis infelicibus (*non suis*) petit, insulam offendet urbibus nobilem incolisque potentem, si Syrtes, a uento et arenis euertetur.

exercitatas aut petit Syrtes noto,
aut fertur incerto mari.

capaciores affer huc, puer, scyphos
et Chia uina aut Lesbia,

uel quod fluentem nauseam coerceat
metire nobis Caecubum.

curam metumque Caesaris rerum iuuat
dulci Lyaeo soluere.

31. notho *BH*, *non S*. 33. capatiores *H*. affer *BHSg*, *non* adfer. schyphos *S*. 34. Aut chia *nonnulli*. 35. coherceat *BHSg*. 36. cecubum *BS*. 37. mecumque *H*. cesaris *B*. 38. lyeo *Bg*, lieo *HS*.

32. *incerto mari:* animi dubitatio ad ipsum mare translata est: nam ferri incerto mari est nullo itineris consilio ferri.

33. *capaciores affer huc, puer, scyphos:* uictus laetitia expectare nequit, donec cum Maecenate in domo illius urbana bibat, sed statim compotationem eo loco fieri uult, ubi nunc uersatur. Puer quem alloquitur, neque Maecenatis minister esse potest neque suus: nam ipse hanc pretiosi uini copiam non habebat; conf. Prooem. Fortasse haec respexit Seneca (de Ira III 14 3): *bibit deinde liberalius quam alias capacioribus scyphis*. *Calices maiores* postulat conuiua apud Horat. Serm. II 8 35.

34. *Chia uina:* Athenaeus I 59 p. 33 A: *ὁ Χῖος πεπτικός, τρόφιμος, αἵματος χρηστοῦ γεννητικός κτλ.* Adde Strabonis XIIII 2 § 19. De Lesbio cf. ad I 17 21.

35. *quod fluentem nauseam coerceat: nausea fluens* est uomitus, qui cum saepe in naui euenire soleat, nausea appellatur. 'Quia austerissimum est Caecubum uinum, merito nauseam coercet, et *metire* inquit, quia cyatho hauriebat ex cratere uinum'. Porphyrion. Nausea timetur, quod multum uini et dulce, ut est Lesbium, bibetur.

37—38. Addit causam hodiernae potationis. Supersunt belli reliquiae a Caesare conficiendae, quae nobis curam ac metum inferant uino pellendum.

X.

Mala soluta nauis exit alite
ferens olentem Maeuium.

ut horridis utrumque uerberes latus,
Auster, memento fluctibus.

Metrum quod prius. Inuisum sibi Maeuium deuouet ut horrendis prematur tempestatibus *A*. In Meuium poetam ternarius iambicus, binarius iambicus epodicos *H*.

1—2. *Marius Victorinus* II 4 7, *Diomedes* III 9 3, *Seruius ad Vergil. Ecl.* 3 90. 1. *scholiasta Statii Theb.* III 64. 2. meuium *BHSg*, non *A*.

Epod. X. Prooemium. *Soluenti tibi nauem, Maeui, et in terras transmarinas proficiscenti mala imprecor, quae non effugies.* (Metrum 12)

De Maeuio Horatii inimico et Vergilii obtrectatore haec accepimus. Vergilius Ecl. 3 90: *qui Bauium non odit, amet tua carmina, Maeui,* ad quae Seruius annotauit: *pro poena ei id contingat ut diligat Maeuium peiorem poetam: nam Maeuius et Bauius pessimi fuerunt poetae, inimici tam Horatio quam Vergilio. Vnde Horatius Epodis: mala soluta — olentem Maeuium.* Ad eadem Vergilii uerba scribit Philargyrius: *duos sui temporis poetas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abiecta sunt.* Seruius ad Ecl. 7 21: *multi uolunt in hac ecloga esse allegoriam, ut Daphnis sit Caesar, Corydon Vergilius, Tyrsis uero qui uincitur, Vergilii obtrectator, scilicet aut Bauius aut Anser aut Maeuius, pessimi poetae.* Idem ad uerba Vergilii (Georg. I 210) *serite hordea campis: sane reprehensus Vergilius dicitur a Bauio et* (*aut* corrigit Weichert in Poet. Lat. reliq. p. 312) *Maeuio hoc uersu: hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.* Hoc carmen primis Flacci temptamentis annumerandum uidetur.

1. *mala soluta nauis exit alite:* exit e portu in alta maris. Dum uela soluuntur et ancorae tolluntur, canit mala ales; cf. Carm. I 15 5: *mala — aui*, III 3 61: *alite lugubri;* Epod. 16 23: *secunda — alite.* Mario Victorino duos primos huius epodi uersus afferenti Putschius *malo* substituit pro *mala*. Scholiasta Statii Theb. III 64 ad Statii uerba *et te, mala protinus ales: id est malum augurium. Quotiescumque enim ales feminino genere dicitur, malum portendit augurium, ut Horatius: mala soluta nauis exit alite.*

2. *olentem Maeuium:* olentem aut hirco alarum aut alio corporis uitio. Ex his commentator Cruquii *sectatorem uocum antiquarum* male sumpsit. Quippe interpretatur: 'putidum, turpem, malum poetam, cuius carmina puteant nimia uetustate'.

3—8. Suae partes singulis uentis in perniciem Maeuii delegantur. De Zephyro siue Fauonio leni uento tacetur.

3. *uerberes:* Auster undas excitare iubetur et latera nauis urgere. Imago petita est a seruo qui uerberatur ob delictum.

niger rudentes Eurus inuerso mari
fractosque remos differat.

insurgat Aquilo, quantus altis montibus
frangit trementis ilices.

nec sidus atra nocte amicum appareat,
qua tristis Orion cadit;

quietiore nec feratur aequore
quam Graia uictorum manus,

cum Pallas usto uertit iram ab Ilio
in inpiam Aiacis ratem.

5. rudentis *A:* rudentes *BHSg.* 7. montibus altis *A.* 8. *Plotius* 4 31 *p.* 1647. franget *A,* fregit *Plotius.* trementis *A:* trementes *BHSg.* 10. *Seruius ad Vergil. Aen.* I 535. 11. equore *H.* 13—14. *Seruius ad Vergil. Aen.* II 615, XI 259. 14. in *om A* (*in A non deest totus uersus, ut dicit Müllerus*). inpiam *B:* imp. *AHSg.*

5. *niger — Eurus:* niger erit tempestate et nubibus, ut Carm. I 5 6, non *albus,* ut notus I 7 15, neque *candidus,* ut *fauonii* III 7 1.

8. *frangit trementis ilices:* cuius uim durissimae arbores sustinere nequeunt.

10. *qua tristis Orion cadit:* Epod. 15 7: *nautis infestus Orion.* Orionis occasus per se infestus nautis (Carm. I 28 21, III 27 18) maius periculum affert, si eadem nocte nullum aliud amicum sidus apparet.

11. *quietiore nec feratur aequore:* aequor est πέλαγος, apertum mare, a portubus et suffugiis remotum.

13—14. *cum Pallas — ratem:* inpia Aiacis Oilei ratis erat, quod ea ferebatur inpius ille qui Cassandrae uim intulerat. Cf. Odyss. δ 502 sqq. Vergilii Aen. I 39 sqq.

15—20. Diram suam detestationem dis probatam esse et fieri quae imprecatus sit, iam cogitat.

15. *nauitis sudor tuis:* sudabunt nautae, dum uim uenti uitare student.

16. *tibique pallor luteus:* dum nauitae labore sudant, Maeuius ignauus homo pallore conficitur; *luteus* (uocabulum a *luto, Gilbkraut* factum) est color arcuato morbo laborantium. Celsus III 24: *color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum.* mox: *ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit.*

17. *et illa — eiulatio:* quam mittet homo tam ignauus et abiectus, qualis tu es. Cicero Tuscul. II 23: *ingemiscere nonnumquam uiro concessum est, idque raro, eiulatus ne mulieri quidem.*

18. *auersum ad Iouem:* qui te malum auersabitur auxilioque indignum habebit.

19. *Ionius — sinus:* dicit sinum Hadriaticum ab Io nominatum Ἰόνιον (Seruius ad Aen. III 211), in quo Notus pro arbitrio dominatur (Carm. I 3 15—16). A uocabulo Ἰωνία fit *Iŏnicus,* ut Carm. III 6 21, Epod. 2 54. Cf. Carm. III 27 18: *ater Hadriae sinus;* I 33 16: *Calabri sinus.* Notus *udus*

o quantus instat nauitis sudor tuis
  tibique pallor luteus,

et illa non uirilis eiulatio,
  preces et auersum ad Iouem,

Ionius udo cum remugiens sinus
  Noto carinam ruperit.

opima quod si praeda curuo litore
  porrecta mergos iuuerit,

libidinosus immolabitur caper
  et agna Tempestatibus.

15. o *om B.* nautis *S.* 17. heiulatio *Bg.* 18—20. *om A.* 18. aduersum *Hς.* 19—20. sinus Noto *BHS* (*scribunt* Notho) *ω Porphyrion:* sinu Notus *ς Blandinii,* sinu Notho *g.* 21. preda *H.* littore *Hg*, *non ABS.* 22. iuuerit *BHSgω Acron,* siuerit *ead. m. correctum* iuuerit *A:* iuueris *ς commentator Cruquii.* 23—24. *Seruius ad Vergil. Ecl.* 3 8. 23. immol. *BHS:* imol. *g.*

est, quod imbres adducit. Hoc *remugit* sinus Hadriae, cum fluctus a Noto introrsus pulsi litore retunduntur.

22. *porrecta:* uerbum proprium de mortuo iacente in lecto aut feretro. Catullus 67 6: *postquam es porrecto facta marita sene.* Hic noster Epl. II 1 268: *capsa porrectus operta.* Bentleius *proiecta* coniecit. Mox *iuuerit* ad fidem librorum et plurimorum et optimorum expressi, quod hoc uarietati Horatianae conuenit et maior contemptus cadaueris significatur. Conuertas: *wenn das fette Beutestück die Taucher hat gelabt,* cet. Vox *opima* uidetur indicare corpore pingui Maeuium fuisse. *mergos:* quod mergi cadauera non curant, poeta neglexit aut ignorauit. Imitatur Statius Silu. IIII 9 51: *aut cum me dape iuueris opima.*

23. *libidinosus — caper*: caprum aetate ualidum promittit; cf. Carm. III 13 4: *cui frons turgida cornibus primis et Venerem et proelia destinat.*

24. *agna:* Vergilii Aen. V 772: *Tempestatibus agnam caedere deinde iubet.*

XI.

Petti, nihil me sicut antea iuuat
scribere uersiculos amore percussum graui,

Pectio amico suo inuisam sibi poeticen esse in ɔcubitus (= concubitus) suos irumpentem. Primus uersus iambicus ternarius, secundus elogo-iambicus (elegoiambicus). Scanditur *cet. A.* AD PPETIVM DE NACHIA QVAM DILIGIT. TERNARIVS *cet. H.*

1—2. *Terentianus Maurus u.* 2969 *p.* 2449, *Marius Victorinus* IIII 3 64, *Diomedes* III 39. 1. Petti *Bς Blandinii Victorinus Terentianus:* Pecti *AHSς Diomedes,* Pati *g.* sicut] sic *pr B.* 2. *Marius Victorinus* III 1 11, *Diomedes* III 34 27, *Atilius Fortunatianus* II 28, *Priscianus de* 12 *uersibus Aen.* 1 3. percussum *ABSgς Victorinus Diomedes:* perculsum *Hω Atilius Fortunatianus.*

Epod. XI. Prooemium. *Amoris impotentia uictus uersiculos scribere, Petti, non possum. Inachiam ubi reliqui tibi hortanti obsecutus, statim Lycisci forma nouum morbum mihi intulit.* (Metrum 14).

In hoc epodo poeta sic iocatus est, ut aculeum iambi in semet ipse uerteret. Anno 720 (a. Chr. 34) haec uidetur lusisse: nam ab Inachia, quam secutus est anno 717 (cf. Epod. 12 15, Prooem. Epodi 8), tribus annis destitit, cum haec ad Pettium nobis aliunde non cognitum scripsit.

Numeri carminis rari sunt et singulares: trimetro iambico subiectus est uersus asynartetus siue inconnexus, ad exemplar Archilochi factus, qui constat ex trimetro dactylico catalectico in syllabam et ex dimetro iambico. Inter binos ordines asynarteti uersus iunctura tribus modis sublata est. Primum nexi sunt ordines, qui natura sua iuncturam refugiunt, alter desinens in thesin (nam forma catalectica ⏊◡◡ —◡◡— ualet pro ⏊◡◡ —◡◡ —◡◡, dum binae morae a recitante suppleantur), alter incipiens a thesi (⏓⏊◡— ⏓⏊◡—). Tum in fine prioris ordinis syllaba anceps admittitur, tamquam uersus finis assit, non ordinis, uelut u. 6: *Inachia furere*, 10: *arguit et latere*, 26: *libera consilia*. Postremo hiatus in fine primi ordinis conceditur, ut 14: *feruidiore mero | arcana promorat loco*, 24: *uincere mollitia | amor Lycisci me tenet.* Qua licentia uis numeri multum infringitur, sed hoc ipsum uoluit Archilochus, ut iocus aut irrisio magis manifesta fieret. Horatius nunc mollibus querellis asynartetum adhibuit, in epodo tertiodecimo simili uersu sollicitudinis affectus expressit. De uersibus asynartetis exposuit Hephaestion c. 15, Bentleius ad h. l., Hermannus Elem. d. m. pag. 25 et 666, Boeckhius de Metris Pindari c. 14. Qua in re unum uel hoc loco monere licebit, tetrametros iambicos et trochaicos scaenicorum Latinorum non bene asynartetos a nouis criticis appellari: nam ut fiat asynartetus, diuersi ordines iungi debent.

1—4. Occupatum uno amandi studio nihil me delectat scribere uersiculos. *Versiculos* nunc dicit uersus epodorum, in quibus minor uersus alteri plerumque non magno subiectus est, unde exigua systemata binorum uersuum existunt. Eosdem *uersiculos* dixit Serm. I 10 32. Contemptus significationem admiscuit huic nomini Serm. I 2 109, uolubilitatis rationem spectauit Serm. I 10 58. Similis querella redit Epod. 14. *Petti:* haec

amore, qui me praeter omnis expetit
mollibus in pueris aut in puellis urere.

hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, siluis honorem decutit.

heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,
fabula quanta fui, conuiuiorum et paenitet,

in quis amantem languor et silentium
arguit et latere petitus imo spiritus.

3. preter *H.* oms *ABHg.* 4. aut] et *unus Blandinius.* 5. Nil december tertius *S.* tercius *B.* 8. pęnitet *A:* penitet *BS,* poenitet *H.* 9. languor *ABSgω,* langor *H:* et languor *Aldus.*

nominis forma etiam in titulis ueterum inuenitur, nominatim in Mommseni I. R. N., ubi sex *Pettii*, tres *Pettiae* reperiuntur, *Peetius* nullus.

2. *percussum* (*πληγέντα, getroffen*)*:* qui *percussus* est amore, amoris ui uulnus accepit, qui est *perculsus* (*betroffen*), animo et corpore stupet. Perculsus amore nihil agere potest, percussus satisfacere desiderio suo studet. Vergilius Georg. II 476: *ingenti percussus amore.* Aen. VIIII 197: *magno laudum percussus amore.*

3. *qui me praeter omnis expetit:* ut tribuni militares in delectu optimum quemque deligunt et petunt, sic amor sibi Horatium praeter ceteros deligit (*expetit*).

4. *mollibus — urere:* structura Graeca est, *ὥστε με φλέγεσθαι.* Cf. Epod. 16 16: *quid expediat — malis carere laboribus.* *urere* nunc *οὐδετέρως* positum: saepius *uri* dicitur, ut I 6 19, III 7 11, Epod. 14 13.

in puellis: repetitur praepositio, ne *mollibus* etiam cum *puellis* iungatur.

5—22. Sequitur narratio adhuc praeparata, quomodo in grauem Lycisci amorem inciderit.

5—6. *ex quo destiti Inachia furere: furere* paulo fortius est quam *ardere* aut *calere;* cf. II 4 7*: arsit uirgine rapta*, ubi dictum de structura. Puellam Argis in urbem profectam Inachiam uidetur nominare, ut quae ab Inacho rege uetere Argiuo genus ducat.

6. *siluis honorem decutit:* Vergilius Georg. II 404: *frigidus et siluis aquilo decussit honorem*, ad quem Seruius annotauit *Varronis hic uersus est.* *Siluas* nunc Horatius dicit arbores, ut Carm. I 12 8 *siluae*, h. e. arbores, non ipsa nemora, Orpheum sequuntur. Adde Epl. II 2 45: *inter siluas Academi.* Horatius hunc significatum soli multitudinis numero concessit, Catullus etiam in singulari admisit 4 11: *ubi iste post phaselus antea fuit comata silua.*

7. *nam pudet tanti mali:* causam spiritus, quo uerba *heu me*, — *quanta fui*, prolocutus est, his uerbis declarat.

8. *conuiuiorum et paenitet:* liberius pro: *et quantum conuiuiorum paenitet*, in quibus *quantum* assumitur ex proximis *fabula quanta fui.* De *et* sic postposito cf. ad Epod. 9 13. Non intellexit Bentleius, qui *ut* substitui uoluit. Poeta non loquitur de conuiuiis nunc adeundis, sed de conuiuiis quibus interfuit, quamdiu amauit Inachiam. Quapropter *arguit* praeteritum est, non praesens tempus.

'contrane lucrum nil ualere candidum
pauperis ingenium' querebar adplorans tibi,

simul calentis inuerecundus deus
feruidiore mero arcana promorat loco.

'quod si meis inaestuet praecordiis
libera bilis, ut haec ingrata uentis diuidat

fomenta uulnus nil malum leuantia,
desinet inparibus certare summotus pudor'.

ubi haec seuerus te palam laudaueram,

11. Contrane *HS:* Contra ne *ABg Blandinii.* nichil *B.* 12. adplorans *ABHg*, ad plorans *S.* 13—28. *om A.* 13. ut inuerecundus *H.* 14. archana *BHSg.* 15. inestuet *HSg*, inestuat *B.* 17. nichil *B.* 18. inparibus *BH,* in paribus *S,* ĩpar. *g:* imp. ς.

11. *contrane lucrum:* lucrum accipe Inachiae rapacis et dona semper postulantis.

13—14. *calentis — feruidiore mero arcana:* sic haec iungenda sunt, ut ablatiuus pendeat a u. *calentis*, genetiuus *calentis* ab accusatiuo *arcana.*

13. *inuerecundus deus:* conuerte *θεός τις ἀναιδής.* Noli cogitare de Baccho, qui est *uerecundus* (Carm. I 27 3) et *modicus* (I 18 7), immo est deus aliquis Baccho contrarius, qui ad uinolentiam impulit amantem et loquacem fecit. Multis modis ueteris mali miseriam describit: nam et famam perdidit et in coetibus habitu suo hominum oculos aduertit, apud amicos non uiriliter plorauit, uino deditus arcana mentis prodidit.

15—16. *quod si — libera bilis:* bilis iracundiae sedes est; *libera,* quae libere inuehitur, ut Epod. 4 10: *liberrima indignatio.* *inaestuet:* tamquam aestu maris moueatur. Est *ἅπαξ λεγόμενον,* in quo effingendo Horatius ex parte Catullum secutus est; lege eius carmen 25 12: *insolenter aestues;* 62 47: *animo aestuante.*

16—17. *haec ingrata — fomenta:* dicit querellas apud amicos, quales coram Pettio nunc Horatius plorauit. *Ingrata* sunt quae nihil gratiae habent, h. e. iniucunda. Perperam haec fomenta alii crediderunt esse *conuiuia*, alii *spes fallaces.*

18. *desinet inparibus certare summotus pudor:* abiecto pudore desinam certare cum aemulis mihi uirtute et ingenio inparibus. Pudentis est hominis se postponere aliis: sed pudorem cum summouit, inpares agnoscere solet. Inparibus est tertius casus ut Epod. 2 21, Serm. II 5 19.

19. *te palam:* uulgare *coram te* uitauit.

20—24. Sequitur *τὸ παρὰ προσδοκίαν,* quo eximia uenus huic epodo circumdatur.

20. *incerto pede:* sine certo consilio, quo pes ferebat, secutus sum. Sic Epod. 9 32: *fertur incerto mari.*

21. *ad non amicos — postes:* postes non amicos et limina dura noli accipere Inachiae puellae, unde poeta exclusus sit: nam ab hac iam destitit; immo sunt fores et limina Lycisci pueri. Nam ueterem morbum nouus atque acrior emouit.

22. *quibus lumbos et infregi latus:* amoris noui febrem describit tamquam casum eius, qui grauiter ad rem obstantem offendit aut impellitur.

iussus abire domum ferebar incerto pede

ad non amicos heu mihi postes et heu
limina dura, quibus lumbos et infregi latus.

nunc gloriantis quamlibet mulierculam
uincere mollitia amor Lycisci me tenet;

unde expedire non amicorum queant
libera consilia nec contumeliae graues,

sed alius ardor aut puellae candidae
aut teretis pueri longam renodantis comam.

22. lombos *B.* 23. glorian[i]tes (i *ab al. m.*) *B.* 24. mollitia *BSω*, mollicia *Hg:* mollitie ς. licisci *HSg*, lycisi *B.* 28. lomgam *B.*

23—24. Quid consecutum sit ex offensione modo narrata in his refert. *Mollitia* est ἁβρότης (*weicher Teint*). 'ita (*mollitia*) editi omnes: Zulichemianus noster et a prima manu, ut uidetur, Gracuianus, *Vincere mollitie amor Lycisci me tenet.* Quod recipimus, ut euitetur uastus ille et inconditus sonus A A'. Bentleivs. Immo talem sonum quaesiuit poeta in uersus asynarteti confiniis. Nomen *Lycisci* (*Wölfl*) aut ab ardentibus oculis pueri aut a patrio nomine *Lupi* ductum est. De anapaesto uitando in uoc. *mulierculam* cf. ad Epod. 2 35. Lusit in nominibus *mulierculam* et *mollitia*.

25. *expedire:* liberare implicitum et captum tamquam e uinculis; cf. I 27 24.

26. *libera consilia:* consilia libere impertita ab amicis; *contumeliae graues:* quales amantes a puerorum fastidio pati solent.

27—28. Iterum τὸ παρὰ προσδοκίαν, quo ingeniose ridet et Lyciscum et amorem suum.

28. *teretis pueri:* cuius tori (*Muskeln*) teretes sunt ac pleni (*drall*). Hoc ad naturam pueri pertinet, proximum (*longam renodantis comam*) ad artem, qua formam commendat amantibus, dum nodos comae solutos gestat et capillum in humeros sparsum iactat pro more mollium puerorum (Carm. II 5 23, III 20 14, IIII 10 3, adde I 32 11—12). Itaque *renodare* (*entknoten*) perinde dictum est ut *refigit* Epl. I 18 26, *refixa* Epod. 17 5, *recludere* ibid. 71, *reclusa* Epl. II 1 103, *resoluent* Carm. I 28 34. In nodum *colligere* capillos, ut intellexit Cruquii commentator, puellarum erat: Carm. I 5 4, II 11 24, IIII 11 5.

XII.

Quid tibi uis, mulier nigris dignissima barris?
  munera cur mihi, quidue tabellas
mittis nec firmo iuueni neque naris obesae?
  namque sagacius unus odoror,
polypus an grauis hirsutis cubet hircus in alis,

Summae mulierem libidinis repellit. Dignam ait esse elefantis. Primus uersus heroicus est, secundus tetrapodia heroica epodos *A*. In Gratidiam conuerso nomine. Senarius iambicus epicus, quadratus dactilicus epodicos *H*.

1—2. *Marius Victorinus* IIII 3 65, *Atilius Fortunatianus* II 28 37. 1. *Isidorus* XVI 5 19. 2. cur *BHSω Atilius:* quid *Agς Acron Victorinus.* quidue] curue *ς Atilius.* 3. mittes *A.* firmo iuueni *AHgς Porphyrion Cruquii codices:* iuueni firmo *BSς.* neque naris *BHSgω:* nec naris *A.* 4. sagatius *S.* 5. Polipus *Hg.* in] an *H.* aliis *fere A.*

Epod. XII. Prooemium. *Parce, mulier, mittere munera mihi tabellasque, qui te nec tolerare nec cupidini tuae satisfacere possim.* (Metrum 8)

De carminis occasione dictum est ad epodum octauum. De Canidia perperam cogitauit Acron.

1. *nigris — barris:* Isidorus Orig. XII 2: *elephas apud Indos a uoce barrus uocatur, unde et uox eius barritus uocatur et dentes ebur.*

2. *tabellas:* inuitantes ad se epistulas curiose ornatas; hoc deminutiuum indicat. Ouidius Artis amat. I 383: *si tamen illa* (ancilla) *tibi, dum dat recipitque tabellas, — placet.*

3. *firmo iuueni:* qui satisfacere tibi possit. *naris obesae:* qui olentem te non auersetur. Hoc de malo uetulae odore statim suis uerbis persequitur u. 4—12; infirmitatem Horatii mulier increpando describit (13—26).

4. *sagacius unus:* pro uulgari: *sagacius ceteris.*

5. *polypus:* supple notionem *assit* ex proximo *cubet* repetendam, non *cubet in alis:* nam polypus *nares* infestat. Celsus VI 8 § 2: *polypus uero est caruncula, modo alba, modo subrubra, quae narium ossibus inhaeret, ac modo ad labra tendens narem implet, modo retro per id foramen, quo spiritus a naribus ad fauces descendit, adeo increscit, uti post uuam* (*Zäpfchen*) *conspici possit.* De syllaba prima producta Meineke Fragm. Com. Gr. I p. 256: ʻprimam syllabam Latini poetae constanter producunt, Aeolicam illi formam, quae πώλυπος est, sequentesʼ. Cf. Serm. I 3 40: *polypus Hagnae;* Plauti Aulularia II 2 21: *ego istos noui pōlypos.* Ouidii Hal. 30: *at contra scopulis crinali corpore segnis polypus haeret et hac eludit retia fraude.* Vere docteque idem Meinekius in praefatione (p. XXV) Horatii iterum editi de hac re disputauit. *grauis:* molestus, ingratus; *hirsutis — in alis:* in alis hirsutis facilius malus odor (hircus alarum) cólligitur. *Cubare* proprie dicitur de bestiis aut cibum capientibus aut dormientibus: hircus alarum ipse *mala bestia* uocatur a Catullo 69 5: *tibi fertur ualle sub alarum*

quam canis acer ubi lateat sus.
qui sudor uietis et quam malus undique membris
crescit odor, cum pene soluto
indomitam properat rabiem sedare, neque illi
iam manet humida creta colorque
stercore fucatus crocodili, iamque subando
tenta cubilia tectaque rumpit;
uel mea cum saeuis agitat fastidia uerbis:
'Inachia langues minus ac me;

6. suus *A*. 7—26. *om A in folio* 168, *sed omissis uersibus* 3—6 *hunc epodum repetit in fol.* 178. 7. qui *A* (*hic scribit* q̣[1]) *BSgω:* Quis *Hς*. uictis *A*, uegetis *H*. 8. Crescat *Hgς*, *non ABSω*. pene] male *A*, *sed ead. m. correctum* pene. 9. neque illi *ABHSgω:* nec illi *Lambinus*. 10. manet] ad> *A*. humida *ABHSg*, *non* umida. 11. fugatus *A*. crocodrilli *AH*, crocodrili *S*, crocodilli *Bg*. iamque subando *Eutychius* II 1. 12. tanta cub. texataque *pr B*. 13. seuis *BSg*. 14. languens *A*.

trux habitare caper. Hunc metuunt omnes, neque mirum: nam mala ualde est bestia. Idem 71 1: *si quoi iure bono sacer alarum obstitit hircus* cet. Aliud est *hircum olere* Serm. I 2 27.

7—8. *qui sudor uietis — odor: qui* cum bonis libris scribendum erat: ualet enim *qualis* et est indignantis, non quaerentis. De quantitate uocabuli *uietus* Lachmannus ad Lucret. I 360 p. 37: '*uietum* media longa Terentius, Lucretius, Prudentius, unus inter omnes Horatius *qui sudor uietis*'.

8. *pene soluto:* non est *delassato*, ut interpretatur commentator Cruquianus, sed est 'semen profundente': nam ipsum coitus ardorem notat, quo momento in rabiem inpotens uetula prolabitur.

10. *humida creta:* adiecto epitheto *humida* (h. e. sudore prorumpente humefacta) significauit, cur inducta cuti creta (*weisse Schminke*) non maneat, sed defluat.

10—11. *colorque stercore fucatus crocodili:* dicit oleum cyprinum commixtum adipe collecto ex intestinis crocodili terrestris illitum faciei. Plinius NH. XXVIII 28 (8): *alter illi similis, multum infra magnitudine, in terra tantum odoratissimisque floribus uiuit. Ob id intestina eius diligenter exquiruntur iucundo nidore referta. Crocodileam* (κροκοδίλειαν) *uocant. — Illita quoque ex* [illegible] *cyprino molestias in facie enascentes tollit, ex aqua uero morbos omnes, quorum natura serpit in facie, nitoremque reddit.*

11. *subando:* 'subare proprie sues dicuntur, cum libidinantur, unde translatio facta in cetera animalia'. Porphyrion.

12. *tenta cubilia:* cubilia loris tenta. 'tenta autem cubilia lectum dicit restibus siue fasciis subtentum'. Porphyrion. *tectaque:* 'coopertoria lectuli stragula. Iuuenalis cadurcum nominat' (VI 537, VII 221). Commentator Crvqvii. Alii aulaea (*Betthimmel*) accipere malunt: sed componuntur in quibus cubat uetula et quibus operitur.

13. *uel mea:* sequitur altera pars epodi, quae infirmitatem Flacci μιμήσει δραματικῇ exagitat.

14—15. *Inachia — Inachiam:* praeclara imitatio mulieris de aemula sibi odiosa cum ira et obprobrio loquentis.

Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
mollis opus. pereat male quae te

Lesbia quaerenti taurum monstrauit inertem,
cum mihi Cous adesset Amyntas,

cuius in indomito constantior inguine neruus
quam noua collibus arbor inhaeret.

muricibus Tyriis iteratae uellera lanae
cui properabantur? tibi nempe,

ne foret aequalis inter conuiua, magis quem
diligeret mulier sua quam te.

o ego non felix, quam tu fugis ut pauet acris
agna lupos capreaeque leones'.

15. pot ÷ *A*. 16. que *A*. 18. chous *BH*, *non ASg*. amintas *BHg*. 19. in *om B*. limgine *A*. 20. inheret *BHg*, in beret *S*. 21. tiriis *S*. 22. properabuntur *g unus Blandinius*. 23. aequalis *AH*, equalis *Bg:* aequales *S*. conuiuia *H*. 25. non felix *ABHSgω:* infelix ς *Charisius p.* 131 *incertus auctor Eichenfeldii* (*Anal. gr. p.* 112) § 182. acris *AHSg* (*g per comp.*)*:* acres *B*.

16—17. *pereat male quae te Lesbia:* imitatur iratam et in uerbis serendis incuriosiorem. Structura est: *pereat male Lesbia, quae quaerenti* (mihi) *taurum te monstrauit inertem.*

17. *inertem:* qui nihil habes eius sollertiae quam speraui.

18—20. Haec addit ne opinetur Horatius se ascitum esse, quod *sollers* amator diuiti mulieri deesset. Porphyrion: 'cum non deesset mihi' sagacissimi' (scribe *salacissimi*) 'adolescentis occasio'. *noua — arbor:* arborem esse *uitem* nomen proximum *collibus* indicat: *nouam* arborem dixit, ut cum firmitudine Amyntae simul iuuentam eius extolleret.

21. *iteratae uellera lanae:* uestes purpura bis tinctae (*διβαφα*); cf. II 16 35.

22. *tibi nempe: für dich, ja wohl.*

24. *mulier sua:* caste loqui studet, cum se mulierem amantis oblique nominat. Simul ingerit huiuscemodi conditiones uulgo iniri.

25. *non felix:* sic optimi libri et mei omnes: recentes et ex grammaticis nonnulli (Charisius l. c., Seruius de ultimis syllabis p. 1802, Martianus Capella p. 64, quos citauit Bentleius) *infelix:* sed hoc mulier ipsa dici non uoluit, satis felix diuitiis, nobilitate, doctrina, sed *non felix,* quod pro tauro capream nacta est. Grammaticus anonymus Eichenfeldii et Endlicheri (Anal. gr. 112): *nemo dicit o ego, nisi o exclamatio sit, ut apud Horatium o ego infelix.*

26. *agna lupos:* dum Horatium cum agna, mox cum caprea comparat, non solum pauorem eius, sed etiam imbecillam naturam reprehendit. *acris:* magno animo ad quoduis audendum.

XIII.

Horrida tempestas caelum contraxit et imbres,
  niuesque deducunt Iouem; nunc mare nunc siluae

Amicos hortatur ut uim tempestatis de die discumbendo uitent et dum non sit impedimento senectus, uoluptatibus uacent *A*. Ad amicos comicos senarius epicus, quadratus a iambo in dactilum *H*.

1—2. *Terentianus Maurus in fine operis, Diomedes* III 39. 1. coelum *B*, *non AHS*. primus uersus heroicus, secundus iambelegus dicitur *A post u.* 1. 2. *Priscianus* I 4 21, VII 5 21, XVII 1 18, *Diomedes* III 34 57. Niues *g*.

Epod. XIII. Prooemium. *Tempestate saeuiente et trepidis in rebus, amici, uino cantuque diras curas pellite, id quod olim Achilli doctor Centaurus suasit.* (Metrum 13)

Quid sibi uelit hoc poema et quo tendant uerba Chironis sub finem inserta, adhuc non patefactum est. Nos temptabimus reserare. Scilicet argumentum aureoli carminis sumptum est ex campis Philippensibus, in quibus tribunus militum hic noster stipendia meruit, spectatque diem aliquem inter priorem pugnam in qua Brutus uicit et Cassius in fugam actus sua manu cecidit, atque alteram qua Bruti partes deletae sunt, interiectum. Tunc pectora et Horatii et amicorum *diris sollicitudinibus* occupata erant, ut docet uersus decimus. Nimirum funestam cladem iam perpessi erant. Verum in grauissimis curis omnis spes nondum abiit. Immo etiamnum expectant fore ut mox pro aduersis rebus secundae succedant. Ostendunt uerba (u. 7): *cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna reducet in sedem uice.* Eiusmodi tempus in uita et rebus Horatii nullum fuit nisi illud quod diximus. Ad quae cum cetera conueniant omnia, dico *mare* (u. 2) oppido Philippensi uicinum, *siluas* (u. 2) impendentes, *imbres niuesque* ruentes, cum illa proelia commissa sunt, de sententia quamuis noua et inexpectata dubitare non licet: immo iusta admiratione excipiendae sunt opes in his reliquiis fere sacris conditae et nunc in lucem protractae. Lineamenta poematis in castris Philippensibus ducta sunt a. 712: dein in Italia et otio urbis, Maecenati gaudenti iambis obsecutus, ultimam limam admouit; cf. Prooemium epodi 16. Sic aliud ἀπόρημα ab interpretibus secure transmissum simul soluitur, dico cur carmen, cuius argumentum iambi naturam non sapit et nihil maledictionis continet, inter iambos compareat. Nimirum cum scriptum est primum, acerba in aduersarios iacta non defuisse credendum est: cum retractauit auctor, infesti animi uestigia deleuit.

Vt in epodo 11 uersus asynartetus senario subiectus est, sic in hoc asynartetus sequitur uersum heroicum, sed ordines asynarteti nunc inuersi sunt, ut antecedat iambicus, sequatur dactylicus:

⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓   –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓

Iunctura ordinum in asynarteto duobus modis turbata cernitur, eo quod arsin arsis in confiniis sequitur, et quod anceps syllaba in fine ordinis primi conceditur, tamquam uersus desinat, ut u. 8: *reducet in sedem uice. nunc et Achaemenio,* item u. 10: *leuare diris pectora sollicitudinibus,* tum u. 14: *findunt Scamandri flumina lubricus et Simois.* Hiatus in hac sede non admittitur: quippe arsis arsi subiecta arrhythmiam quidem facit, sed nobilem arrhythmiam, quae non solum in uersu asynarteto sed etiam in aliis lyricorum ordinibus conceditur. Huic repugnare hiatus iure uisus est. Etiam hunc asynartetum inuenit Archilochus. Diomedes III 34 57: *aliud de quo dictum Ar-*

Threicio aquilone sonant: rapiamus, amici,
occasionem de die, dumque uirent genua
et decet, obducta soluatur fronte senectus.
tu uina Torquato moue consule pressa meo.
cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
reducet in sedem uice. nunc et Achaemenio

3. Threicio *Agω:* Threitio *B*, Trabicio *H*, Treicio *S*. 7. Caetera *S*. mitte, *superp. a. m.* omitte, *A*. 7—8. deus — uice *Priscianus* II 1 6. 8. achamenio *ead. m. correctum* achaemenio *A*, hachaemenio (*punctum al. m. suppositum*) *B*, achemenio (*in H prius* e *in litura, fuit* o) *HSg*.

chilochium, ut Horatius, '*niuesque — siluae*'.

1. *caelum contraxit et imbres:* ut in homine contracta frons seueritatis et curarum argumentum est (Serm. II 2 125), sic tempestas frontem caeli serenam in rugas contrahit collectis nubibus. Eadem tempestas imbres contrahit, h. e. densos imbres adducit: nam sic rectius cum libro H iungitur quam *imbres niuesque deducunt Iouem*

2. *niuesque deducunt Iouem:* Iouem alias pluuium nunc niues in terram deducunt. Anacreon (frag. 6): *Δία δ' ἄγριοι χειμῶνες κατάγουσιν.*

2—3. *nunc mare, nunc siluae — sonant:* praeclare haec respondent castris Philippensibus et anno 712 tunc ad finem uergenti: quippe septentrionem uersus prope aberant *siluae*, in meridiem sinus uarii *maris* Aegaei. Appianus BC. IIII 105: ἔχει δὲ (πόλις Φίλιπποι) πρὸς μὲν ἄρκτῳ δρυμούς —, πρὸς δὲ τῇ μεσημβρίᾳ ἕλος ἐστὶ καὶ θάλασσα μετ' αὐτό. *Aquilo Threicius* a monte Pangaeo et Rhodope ex uicina Thracum terra flauit. Strabo VII fragm. 34: πλεῖστα μέταλλά ἐστι χρυσοῦ ἐν ταῖς Κρηνίσιν, ὅπου νῦν οἱ Φίλιπποι πόλις ἵδρυται, πλησίον τοῦ Παγγαίου ὄρους. Idem fragm. 42: τῆς δ' ἐν τῷ Στρυμονικῷ κόλπῳ παραλίας τῆς ἀπὸ Γαληψοῦ μέχρι Νέστου ὑπέρκεινται οἱ [Φίλιπποι] καὶ τὰ περὶ Φιλίππους. Non minus historia concinit. Appianus BC. IIII 122 de diebus post pugnam priorem Philippensem: μᾶλλον ἐδεδοίκεσαν· (οἱ ἀμφὶ τὸν Καίσαρα) αὐτά τε καὶ τὸν χειμῶνα προσιόντα. Plutarchus Brut. c. 47: οὐδὲν δὲ βέλτιον εἶχε τὰ πράγματα τοῖς περὶ Καίσαρα καὶ Ἀντώνιον — διὰ κοιλότητα τοῦ στρατοπέδου χειμῶνα μοχθηρὸν προσδοκῶσιν. Εἰλούμενοι γὰρ πρὸς ἕλεσι καὶ μετὰ τὴν μάχην (post priorem pugnam) ὄμβρων φθινοπωρινῶν ἐπιγενομένων πηλοῦ κατεπίμπλαντο τὰς σκηνὰς καὶ ὕδατος παραχρῆμα πηγνυμένου διὰ ψῦχος. Habes imbres horrida tempestate contractos.

3—4. *rapiamus, amici, occasionem de die:* alloquitur commilitones, fortasse tribunos militares sic: quia solita castrorum negotia et curae cessant, occasionem potandi de die cupide capiamus. *De die* paulo minus est quam *de medio die.* Terentius Adelph. V 9 8: *apparare de die conuiuium.* Catullus 47 5: *uos conuiuia lauta de die sumptuose facitis. De medio potare die* est Serm. II 8 3, *de media luce* Epl. I 14 34. Bentleius *amice* coniecit; cf. ad u. 6. Similis allocutio est I 27 7 et I 37 4 (*sodales*).

4. *dumque uirent genua:* I 9 17: *donec uirenti canities abest morosa.* Sed nunc non tam de canitie cogitauit, quam de casibus instantis proelii, quod ne multorum genua solueret, metuebat. Plinius NH. XI 103 (45): *inest iis* (genibus) *uitalitas. Namque in ipsa genu utriusque commissura — gemina quaedam buccarum*

perfundi nardo iuuat et fide Cyllenea
leuare diris pectora sollicitudinibus,

nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
'inuicte, mortalis dea nate puer Thetide,

te manet Assaraci tellus, quam frigida parui
findunt Scamandri flumina lubricus et Simois;

9. cylleneа *AS:* cyllēnia *Bg*, cillenea *pr H*, *corr* cillenia. 11. grandi cecinit *BHSω Acron:* cecinit gdı (*h. e.* grandi, *ab al. manu* n *superpositum litterae* d *in A*) *Agς.* 12. thetide (*punctum al. manu super et infra* h) *A*, thethide *B*.

inanitas inest, *qua perfossa ceu iugulo spiritus fugit.*

5. *obducta — fronte senectus:* senectus, h. e. senilis seueritas, tamquam nube frontem tunc obduxerat Horatio et amicis belli cura sollicitis.

6. *tu uina — meo:* alloquitur conuiuii dominum, fortasse Pompeium, quocum apud Philippos morantem saepe diem mero fregit (II 7 6—8). Nomen reticuit, ne moueretur inuidia. Torquatum suum consulem uocauit, quod eo consule natus est a. 689; uinum igitur uiginti trium annorum postulat.

7. *cetera mitte loqui:* Cassii cladem et mortem; cf. Prooem.

7—8. *benigna — uice:* ut pro uictis uictores ex pugna excedamus.

8—9. *Achaemenio — nardo:* cf. II 7 8 de his duris temporibus: *coronatus nitentes malobathro Syrio capillos.*

9. *fide Cyllenea:* lyra dei Cyllenei (Mercurii), qui a Cyllene Arcadiae monte nominatus est; cf. ad III 4 4.

10. *diris — sollicitudinibus:* dirae sollicitudines sunt, quibus pallescere et horrescere solemus (*grausige Bekümmernisse*); cf. Prooem.

11—18. A diris rebus ad solatia praesentis aegrimoniae deuertit. Intextae fabulae haec uis est: ut Chiron alumno suo mortem praedixit, cantum tamen et uinum suasit, sic nos eadem delenimenta anquiramus, quamquam in his campis, ut Achilles in Troicis, mox fortasse iacebimus. Post uaria maledicta a fastidiosis adulescentulis in Horatium fugientem e proelio congesta tandem admirari discamus rarae constantiae iuuenem magnique animi poetam!

11. *grandi:* grandi statura, ut heros. Iuuenalis VII 210: *iam grandis Achilles.* Apud Homerum Thetis Achilli fata canit Il. Σ 94—96.

13. *te manet Assaraci tellus:* uolente fato in agrum Troianum uenies. Assaracus filius Trois, pater Capyos, auus Anchisae: Il. Υ 230.

13—14. *frigida parui — Scamandri flumina:* frigida sunt ut a uicina Ida profluentia; *paruum* uocat fluuium, ut contrarium inferatur post proximum *grandi alumno.* Vir grandis prope paruum flumen scenam rerum gestarum habebit. Homerus ultra uerum augens pro suo consilio *magnum* Scamandrum prodidit (Il. Υ 73), tum etiam duobus fontibus, frigido uno et calido altero ortum (Il. Χ 148—152): Horatius uerum secutus est suo poemati aptum. A coniecturis abstineas, etiam a nouissima (*tardi*) quam Meinekius (Philol. II 162) temptauit, Hauptius recepit: immo *celeri* flumine in mare pergere Scamandrum Welckerus testis fidus mihi asseuerauit. Horatius et amici, cum Bruti exercitus ex Asia in Thraciam traiceret, suis oculis Scamandrum uidentur spectasse. *lubricus et Simois:* cuius cursus nullo impedimento retinetur.

unde tibi reditum certo subtemine Parcae
rupere, nec mater domum caerula te reuehet.
illic omne malum uino cantuque leuato,
deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis'.

XIIII.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
obliuionem sensibus,

15. sub tegmine *B*, sub temine *S*.

Maecenati excusat desidiam suam et obiurgat se quod non consummauit iambica opera amoribus auocatus. Primus uersus heroicus, secundus iambicus dimeter *A*. Ad Mecenatem senarius epicus, binarius iambicus epodicus *H*. 1—2. *Terentianus Maurus u.* 2662 *p.* 2449. 1. inercia *H*.

15. *unde tibi reditum:* reditum ad parentem et patriam. *certo subtemine:* certo decreto per subtemen (filum) significato; cf. Catulli 64 327. Statim *reditum rupere* figurate dictum est: nam filum Parcae cum rumpitur, uita rumpitur et reditus.

16. *nec mater — reuehet:* quae domum reuehere posset, fato impedietur; *caerula* a maris colore, ut *uitrea Circe* I 17 20.

17—18. Vaticinio consilium (ὑποθήκην) addit. Breue tempus nec sine malo tibi tolerandum uino cantuque leuato.

18. *deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis:* aegrimonia *deformis* est, quod rugas frontis contrahit. Hanc suauiter solantur cantus et uinum. *alloquiis:* solatiis (*Zusprache*), formatum ut *colloquium*, pro uulgari *alloeutione*. Conf. mea ad Taciti Ann. I 71. Horatium sequentis aeui poetae imitati sunt, ueluti Statius Theb. VI 46, XI 196, Valerius Flaccus I 250, VII 373. Procul amouendum est quod Bentleius illaturus erat: *illic omne malum uino cantuque leuato deformis aegrimoniae, ac dulcibus alloquiis*, ut dulcia alloquia essent *nocturni susurri:* nimirum Chironis hortatio talis esse debuit, ut etiam ad Horatium et amicos in campis Philippensibus accommodari posset: ibi autem de his alloquiis Horatius certe non cogitabat.

Epod. XIIII. Prooemium. *Inceptos iambos et olim promissos ad finem adducere non possum amoris ui subactus. Tali ardore olim Anacreon flagrauit. Tu ipse, Maecenas, ureris, sed igni quo pulchrior Ilion non incendit: me libertina macerat neque uno contenta.* (Metrum 9)

Hunc epodum ad Maecenatem misit anno urbis 724 = 30 a. Chr., quod sic colligere licet. Terentiam uxorem Maecenas in matrimonium duxit anno 725, ut uidimus ad carmen duodecimum libri secundi: nunc idem ostenditur matrimonium pulchrae uirginis non sine cura ambiens, sed ita tamen ambiens ut spei certus esse possit (u. 13—15). Hoc nos ducit ad annum qui matrimonium proxime antecessit, h. e. ad annum 724.

1. *mollis inertia:* inertia animi amore molliti. *imis — sensibus:* Epod. 11 10: *latere petitus imo spiritus.* Vergil. Eclog. 3 54: *sensibus haec imis — reponas.* Vt *imis* extremum animi recessum, sic *diffuderit* omnes pectoris partes in quas ignis amoris penetrauit, denotat.

3. *Lethaeos:* 'obliuiosos, ut *Lethaei ad fluminis undam securos latices et longa obliuia potant*' (Vergil. Aen. VI 714). Acron. *ducentia somnos:* somnos tamquam comites ad-

pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
arente fauce traxerim,
candide Maecenas, occidis saepe rogando:
deus, deus nam me uetat
inceptos, olim promissum carmen, iambos
ad umbilicum adducere.
non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium,

3. letheos *ABSg*, lethoeos *H*. ut si *ASω Acron:* uti *BHς*, ueluti *g*. 4. arente *B*. traxerit *B*. 5. maecenas *AS:* mecenas *Hg*, mechenas *B*. occidi *A*. sepe *BSg*. 7. promisum *A*. 9. bathillo *B*, batillo *H*, batyllo *g*. 10. nacreonta (*h. e.* Anacreonta, *cuius prima littera hausta est post* Bathyllo; *lineola super* n *ducta est al. manu, ut esset* Non) *A*, acreonta *B*. Teium] tegum *H*, *om S*.

ducentia. Ouidius Metam. II 735: *qua somnos ducit et arcet* (Mercurius).

4. *arente fauce traxerim: arente fauce* cupidinem et inprudentiam trahentis indicat; *traxerim* est *duxerim* (I 17 21, IIII 12 14), ὡς εἰ ἔσπασα.

5. *candide:* qui pro animi tui simplicitate nihil soles me celare; cf. Epod. 11 11: *candidum pauperis ingenium;* adde I 18 11; Epl. I 4 1, 6 68. *occidis saepe rogando: occidis*, quod sentio me iusta roganti tibi satisfacere non posse.

6. *deus, deus nam:* cf. ad Epod. 17 45.

7. *inceptos — iambos:* iambos h. l. dicit carminum genus, non uersus iambicos, usum Graecorum secutus, qui carmina in singulos homines composita ἰάμβους uocant, siue iambicis uersibus siue aliis facta sunt. Cf. Epl. I 19 23, II 2 59. *olim promissum:* Maecenati iam diu promissum. Cf. AP. 45: *promissi carminis auctor.* Sed uerba *olim promissum carmen* recte pensitata aliud, quod in Horatii rebus scire non inutile est, nobis recludunt, si huc aduocauerimus quod poeta professus est in epistulis (II 2 49—54), sibi sermones scribere quamuis unice propositum esset, tamen *carmina* quoque se fecisse praemiis inductum, h. e. obsequentem amico praemia in se conferenti. Quae cum ita sint, prece Maecenatis permotus iambos olim Flaccus promisit. Inde amplius consequitur ex his epodis nullum ante annum 717 (a. Chr. 37) natum esse, h. e. ante illum annum quo inter amicos Maecenatis receptus est (cf. Serm. II 6 40); cui conclusioni minime repugnat, quod tres epodi in Graecia pluribus annis ante inchoati sunt: nam hos in urbe incudi reddidit et quasi de integro fecit. Conf. prooemia epodi 7 et 13 et 16.

8. *ad umbilicum adducere:* 'pro finire et consummare, quia in fine libri umbilici ex ligno aut osse solent poni'. Porphyrion. Conf. Martialis 89: *ohe iam satis est, ohe libelle, iam peruenimus usque ad umbilicos.* Post hunc epodum quo librum iamborum nondum absolutum esse fatetur, secutus est praeterea tertius, ubi maritus Maecenas ostenditur, et quintusdecimus, fortasse etiam nonus.

9—10. *non aliter — Anacreonta Teium:* Bathyllus unus puerorum, quos Anacreon amauit. Maximus Tyrius VIII p. 96: ἡ δὲ τοῦ Τηΐου σοφιστοῦ τέχνη τοῦ αὐτοῦ ἤθους καὶ τρόπου· καὶ γὰρ πάντων ἐρᾷ τῶν καλῶν καὶ ἐπαινεῖ πάντας· μεστὰ δὲ αὐτοῦ τὰ ᾄσματα τῆς Σμέρδιος κόμης καὶ τῶν Κλεοβούλου ὀφθαλμῶν καὶ τῆς Βαθύλλου ὥρας. Statuam eius a Polycrate tyranno positam describit Appuleius Florid. II 15 t. II p. 128 ed. Bipont. De structura

qui persaepe caua testudine fleuit amorem
  non elaboratum ad pedem.
ureris ipse miser: quod si non pulchrior ignis
  accendit obsessam Ilion,
gaude sorte tua; me libertina, neque uno
  contenta, Phryne macerat.

11. persepe *Sg*. 13. quod si non] do ꝙ n̄ (*h. e.* do quod non) *A*. 14. obsessa milion *A*. 15. neque *BHSgω:* nec *Aς*. 16. contēpta *B*.

arsisse Bathyllo cf. ad II 4 7. Bathyllum histrionem Augusti a Maecenate *seniore* amatum (Tacit. Ann. I 54) Horatius respicere nunc non potuit.

12. *non elaboratum ad pedem:* sic appellat numeros molliores iocis ludisque aptos.

13. *ureris ipse miser:* ureris ut miser amoris aestu. Per haec ostendit Maecenatem inpatienter ambientem coniugium Terentiae uirginis pulcherrimae. Imperite Acron: 'aut ualde dixit *miser* aut consolandi causa, tamquam qui frui amata non posset. Quod de Terentia, quae eius erat, significari non potuit, et de patrono incongrue dicebatur'. Porphyrion recte ad Terentiam rettulit.

13—14. *quod si — Ilion:* pergit in metaphora modo coepta. Cur addit *obsessam?* Scilicet pulchra femina tam obsidionem quam incendium Ilii parauit.

15. *gaude sorte tua:* haec probant, quo tempore Horatius hunc epodum fecit, sponsam Terentiam Maecenati iam fuisse aut certe fauorem professam esse.

15—16. *me libertina, neque uno contenta, Phr. macerat* (*mir macht eine Phryne, Freimagd und nicht zufrieden mit Einem, mürbe das Herz*)*:* haec contraria luculente demonstrant Horatium de matrimonio Maecenatis sperato, non de amore nescio quo locutum esse.

16. *Phryne:* nomen est θετικόν amicae pulchrae et pallidae: nam Phryne (*Kröte*) a pallore nobilis meretrix Attica primum uocata est. Suam amicam non *igni* similem esse, non incendere, sed macerare, ut mollis inertia consequatur, non ingenuam esse, non uno contentam profitetur, Maecenatis sortem celebrando. Notari Cinaram et tempus huius epodi et argumentum locusque proximi uidentur prodere; cf. ad Carm. I 19.

XV.

Nox erat et caelo fulgebat luna sereno
inter minora sidera,
cum tu magnorum numen laesura deorum
in uerba iurabas mea,

Nearam amicam suam alloquitur periuriisque eius se deceptum (deceptã *scribit*) indicat, quod serio amore (*uoluit* suum amorem) in alium transtulisset, quem negat perpetuum futurum. Metrum quod prius *A*. In Neeram amicam. Senarius sepicus (epicus), binarius iambicus epodicus. Querela de Nera *H*.

1—2. *Terentianus Maurus u.* 2964 *p.* 2449, *Diomedes* III 9 4 *p.* 482. 1. coelo *B*. 3. lesura *BH*. 4—5. *Priscianus* XVIII 24 210.

Epod. XV. Prooemium. *Laesisti, Neaera, fidem sollemni iure iurando mihi datam, cuius rei te mox paenitebit. Tu quoque, quicumque es felicior, quamuis praestes diuitiis et scientia et forma, perfidiam feminae tibi nunc fauentis ipse maerebis mihique ridendi materiam praebebis.* (Metrum 9)

Quae fuerit Neaera, cum rerum monumenta taceant, non nisi probabilibus indiciis explorari potest, quod equidem sic institui. Post Cinaram Flaccus praeter amores aliquot cito transeuntes diuturnam consuetudinem habuit cum muliere uiro non fideli nupta, quam ter *Lycen* nominauit (III 10 et 19, IIII 13), bis (III 14 et in hoc epodo), ut mihi uisum est, *Neaeram*. Cur Neaeram? Nimirum bonae *Cinarae breues annos fata dederunt* (IIII 13 22). Cinarae imperium sub principium anni 725 magnopere floruisse ad Carm. I 19 intelleximus. Mox in regnum morte Cinarae uacuum *Lyce* successit, *felix post Cinaram* (IIII 13). Haec me interprete, quod noua nouum imperium accepit (νεαρὰ νεαρᾷ βασιλείᾳ), in duobus carminibus *Neaera*, in tribus a nomine mariti (*Lupo*) *Lyce* uocata est. Neaeram ut amicam sibi satis cognitam in carmine, quod anno 730 factum est (III 14), celebrauit. Haec igitur sub annum 726 ad nouum imperium accessit. Alterum indicium, unde Lycen eandem esse ac Neaeram conicio, hoc est. *Lyce* maritum habebat, ut liquet ex Carm. III 10 15 et III 19 23—24: uerum in carmine eiusdem libri quarto decimo Horatius ueretur, ne mora fiat *Neaerae* ad se uocatae per *inuisum ianitorem*. Num ianitor morari potuit sui iuris feminam? minime. Maritus igitur apposuerat uxori custodem, qui uocanti nuntio amatoris Neaeram siue Lycen denegare et uiro iniuriam defendere debebat. Hinc liquet cur in hoc epodo contra consuetudinem in ceteris probatam ficto nomine uti noluerit. Quae si uere exposita sunt, hic epodus postremus omnium circa annum 726 (a. Chr. 28) factus est. Versus heroicus in argumento leui dimetro iambico admixtus, grauis celeri additus, risum sectatur.

1—2. *nox — sidera:* sollemnem scenam iuris iurandi pingit; perinde Meleager Antholog. Palat. V 8. *minora sidera:* Carm. I 12 47: *inter ignes luna minores*.

3. *numen laesura deorum:* 'ad euentum refert, quasi cum iuraret, iam perfidiam fallendi in animo haberet'. Porphyrion. *Numen deorum* est maiestas diuina; leuis amica non cogitauit quantum scelus admitteret.

4. *in uerba iurabas mea:* in uerba quae ego praeiui, ut in iuramento castrensi praeit imperator, in ludo gladiatorio lanista. Epl. I 1 14: *nullius addictus iurare in uerba magistri.*

artius atque hedera procera astringitur ilex
lentis adhaerens brachiis,
dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
turbaret hibernum mare,
intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
fore hunc amorem mutuum.
o dolitura mea multum uirtute Neaera:
nam siquid in Flacco uiri est,
non feret assiduas potiori te dare noctes,
et quaeret iratus parem:

5. Arcius *BHS*. edera *BS, non AHg*. astringitur *Ag*: adstringitur *BHS*. 6. adherens *HS*. 7. infestos *A*. 8—9. turbaret — agitaret *ABHSgω* (*Blandinii*): turbarit — agitarit ς. 9. appollinis *B*. 11. ne apra *B*, neara *A*, ne era *H*, neera *g*. 12. flaco *B*. uiri *ABωΣ*: uiriū *HSgς*. 13. assiduas *ABHSg*. pociori *HS*. 14. q̄rit *A*, queret *HS*.

5. *atque hedera:* pro uulgari *quam hedera*. Handius Tursel. I p. 472: 'oratores hac dictione nunquam aut rarissime utuntur, frequentius poetae. Et ueteribus (Plauto ac Terentio) ea iam cognita erat; recentioribus elegantiae causa magnopere placuit'. Conf. Serm. I 1 46, 2 22, 5 5, 6 130, 10 34 et 59, II 3 241 et 270, 7 96. *procera astringitur ilex:* hedera usque in uerticem ilicis ascendit et hanc firmiter implicat; cf. annot. ad I 36 18.

6. *lentis:* tenaciter me amplexantibus.

7. *dum pecori lupus:* ex proximis supplendum est *infestus esset:* nam uerba *dum — nautis infestus Orion turbaret hibernum mare* ualent *dum nautis infestus esset Orion et turbaret hibernum mare*. *nautis infestus Orion:* dicit occidentem Orionem, qui semper turbat mare mense Nouembri; cf. ad Carm. I 28 21.

8—9. *turbaret — agitaret:* iusta haec temporum consecutio est in oratione obliqua, pendente ex uerbo *iurabas*, non *turbarit — agitarit*, quod ex paucis neque bonis libris recepit Bentleius.

9. *intonsosque — capillos:* hos habet Apollo ut sempiterna uirens iuuenta; conf. ad I 21 2.

11. *mea — uirtute:* quid h. l. sit *uirtute*, intellegitur ex proximo *siquid in Flacco uiri est*. Est uirile et constans consilium, quo Neaeram ob perfidiam omissurus est. Nam inpotentia amoris uirtute uincitur.

12. *uiri est:* cf. ad IIII 10 6.

13. *potiori:* qui nunc apud te *potior* est, mihi a te praefertur.

14. *parem:* perinde fidelem atque ipse sum.

15. *semel offensae — formae:* offensam formam noue et poetice dixit, quae sicut nauis in scopulos semel illisa est (*die einmal einen Stoss bekommen hat*). Non malum est Bentlei *offensi*, sed Horatiano tamen inferius.

16. *si certus intrarit dolor:* cautus omnem spem reconciliationis nondum praecidit; *intrarit* est futurum exactum.

17. *et tu:* iam ab amica ad felicem aemulum se conuertit. Etiam tu maerebis, ut ego nunc maereo. Particula *et* ualet *etiam*, ut Epod. 17 45: *et tu — solue me dementia*.

17—18. *meo nunc superbus in-*

nec semel offensae cedet constantia formae,
si certus intrarit dolor.

et tu, quicumque es felicior atque meo nunc
superbus incedis malo,

sis pecore et multa diues tellure licebit,
tibique Pactolus fluat,

nec te Pythagorae fallant arcana renati,
formaque uincas Nirea,

eheu translatos alio maerebis amores:
ast ego uicissim risero.

15. cędet *B.* 17. Et *ABHω Blandinii Porphyrion commentator Cruquii:* At ς. tu *om H.* 18. incidis *A.* 19. peccore *B.* 21. *scholiasta Statii Theb.* III 484. pithagorae *B*, phytagorae *S.* fallunt *schol. Stat.* archana *BHSg.* 22. Nirea *Porphyrion:* nerea *AHSgω*, neera *in rasura B.* 23. Eheu ς *Porphyrion unus Blandinius*, eheu eheu *A*, heheu *H:* Heu heu *BSg*ς *tres Blandinii.*

cedis malo: praesentem superbiam et miseriam mox uenturam componit. Verbis *meo malo* aeger amator rursus fatetur, quantum doleat ob perfidiam Neaerae.

19. *licebit:* Serm. II 2 60: *licebit ille repotia — celebret.* Sic fortius effert in sola *θέσει* esse quae sequuntur, quam si *licet* dedisset, ut est Epod. 4 5: *licet ambules superbus* (ut ambulas). Adde Carm. III 24 3. Horatius enumerat quaecumque mulierem amanti seruare possunt, diuitias, doctrinam, formae pulchritudinem.

21. *nec te — renati:* accuratam philosophiae cognitionem ita significauit, ut in *φιλοσόφημα* ceteris abstrusius aemulum penetrasse ponat. *Renatus* uocatur Pythagoras, quod *μετεμψύχωσιν* docebat. Scilicet quod ceteris hominibus iuxta placita Pythagorea accidit, id doctori in primis euenit, ut ipse testatus est; cf. I 28 11 sqq.

22. *formaque — Nirea:* cf. ad III 20 15.

23. *eheu:* 'ingemiscit iam uicem illius, qui relinqui meruit'. Porphyrion. *translatos alio — amores: amores* dixit amatam ab illo Neaeram. Cf. ad II 9 11.

24. *uicissim:* tibi pro superbia uicem soluens; *risero* fortius affirmat quam *ridebo.* Sic *uidero* est 'ich werde schon sehen', *uidebo* 'ich werde sehen'.

XVI.

Altera iam teritur bellis ciuilibus aetas,
suis et ipsa Roma uiribus ruit:
quam neque finitimi ualuerunt perdere Marsi

Alterna uice epodos, alterna iambico scripta est. Verum Horatius rei publicae deflet fortunam. Primus uersus heroicus, secundus iambicus trimeter *A*. Commiseratio rei publice de bellis ciuilibus *H*.

1—2. *Diomedes* III 9 4 *p*. 482. 1. atteritur *H*.

Epod. XVI. Prooemium. *Vt uitemus bellorum ciuilium mala, felices insulas in circumuago Oceano sitas, ciues, petamus; illic omnia ad uitam beatam necessaria inueniemus.* (Metrum 10)

Carminis lineamenta ducta sunt anno 712 (a. Chr. 42) in Graecia, cum bellum ciuile exarsit (cf. ad Epod. 7), perfecta demum, ut uidetur, cum poeta anno 717 Maecenati iambos cupienti morem gessit; cf. ad Epod. 14 7. Iambi epodici puri sunt, qui etiam ab inpari sede longam syllabam prohibent. Tales praeiuerat Catullus in carmine 4 et 29, huic, ut uidetur, Archilochus.

Locus ipse admonet, ut de *Graecis uersiculis* ab Horatio admodum iuuene temptatis, mox omissis (Serm. I 10 31—35), non nihil addam. Scilicet tres illi epodi (septimus, tertiusdecimus, hic sextusdecimus) inter Graecos homines et strepitum armorum ab Horatio in bellum tracto compositi sunt, iidem ad Graeci sermonis formam propius quam cetera carmina accedunt. Rursus hic noster Latinos uersus demum aggressus est, postquam in urbem rediit, ut narrat ipse Epl. II 2 49 sqq. Ante Graecos fecit. Verum cum illi tres epodi iam anno 712 et in Graecia facti sint, id quod argumenta et indoles satis ostendunt, hos primo Graeca lingua compositos, mox Latine ab auctore conuersos et passim mutatos esse colligere licebit. Itaque prior forma uersiculorum Graecorum Horatii periit, argumentum et sententiae extant. Cf. Proleg. c. IIII.

1. *altĕra — aetas:* alterius aetatis ciues. Sic u. 9: *inpia aetas* (γενεά). Rationem ducit a temporibus Sullanis, h. e. ab anno 666, abs quo usque ad a. 712 anni 46 colliguntur. *teritur* ualet *atteritur* uel *proteritur: agitur* non recte interpretatur Orellius.

2. *suis — ruit: suis*, in quo praecipuum sententiae pondus est, apte in principium uersus collocatum. Fortasse respexit Liuius in Praefatione: *iam pridem praeualentis populi uires se ipsae conficiunt;* mox: *ut iam magnitudine laboret sua.* De *et* postposito cf. ad Epod. 9 13. Prima γνώμη finita est: sed altera pars eius (*suis — ruit*) nouo enuntiato dilatatur u. 3—10.

3. *finitimi:* ob hoc magis timendi. De Marsico bello, h. e. sociali cf. ad III 14 18.

4. *Porsĕnae:* '*Porsenna* apud Vergilium Aeneidos VIII 646, si Seruio et Mediceis membranis fides est, qui media breui Horatio Silio Martiali'. Lachmannus ad Lucret. I 360 p. 37.

5. *aemula nec uirtus Capuae:* aemula esse coepit belli Punici secundi anno 538, cum Campani a Ro-

minacis aut Etrusca Porsenae manus,
aemula nec uirtus Capuae, nec Spartacus acer
nouisque rebus infidelis Allobrox,
nec fera caerulea domuit Germania pube
parentibusque abominatus Hannibal,
inpia perdemus deuoti sanguinis aetas,
ferisque rursus occupabitur solum.

4. Porsenae *commentator Cruquii*, porsenae (n *supra*) *B*: porsennae *AHS*, porsenne *g*. 6. alobrox *H*. 7. cerulea *BHS*. 8. abominatus *ABHSω*, abbominatus *g*: abominandus ς *unus Bland.* 9. Impia *ABHSg*. sanginis *A* (*pro* sang(v)inis, *ut solet*).

manis deficientes Hannibalem accirent (Liuii XXIII 6), donec a. 543 in Romanorum potestatem redacti sunt: Liu. XXVI 4—16. Polybius VIIII 3—9. Pro suo consilio Campanos fortiores praesumit quam uere fuerunt.

Spartacus acer: acriter in hostes inuadere solitus; cf. III 14 19, annot. ad Epl. I 19 48 sq.

6. *nouisque — Allobrox:* Allobroges in nouis rebus eo inclinabant unde maior utilitas sperabatur; quorum legati quamuis Catilinae socios Ciceroni consuli prodidissent (Sallust. Catil. 41), natio tamen mox in bellum prorupit. Cicero de Prouinciis consular. c. 13: *modo — C. Pomptinus, fortissimus uir, ortum repente bellum Allobrogum atque hac scelerata coniuratione excitatum proeliis fregit, eosque domuit qui lacessierant.* Eadem particula (*nec*) ne nimis saepe poneretur, *nouisque* dedit pro *neque nouis*, quod licet, si uis negandi in cognatis sententiis ex prioribus ad proxima propagari potest. Idem simul epodico uersui aptius est, item ut paulo post *parentibusque* pro *neque parentibus:* nam ut epodico uersu proodus dilatatur, sic eius sententia plerumque tamquam supplementum ad generalem enuntiationem accedit. Quod ubi fit, epodica compositio pro perfecta et consummata habenda est. Non aduertit Bentleius scripturus *nouisue* atque *parentibusue.*

7. *caerulea — pube:* Tacit. Germ. c. 4: *habitus quoque corporum — idem omnibus: truces et caerulei oculi, rutilae comae, magna corpora et tantum ad impetum ualida.* Iuuenalis XIII 164: *caerula quis stupuit Germani lumina, flauam caesariem?* Horatius intellegit Cimbros et Teutonos a Mario deuictos.

8. *parentibusque abominatus Hannibal:* acerrimum hostem populi Romani postremo loco reseruauit. *Parentes* sunt patres matresque filiorum ab Hannibale occisorum; cf. I 1 24 *bellaque matribus detestata.* Orellius parentes accepit *maiores*, sed hoc sensu positum Horatius non habet.

9. *perdemus:* in pedestri oratione scripturus foret *hanc perdemus*, ut responderet praegresso *quam* (Romam); *inpia aetas* est genus inpiorum qui nunc uiuimus. *deuoti sanguinis:* deuoti ad perniciem. Quis ille sanguis deuotus? Est aetatis proxime superioris: nam altera iam aetas bellis ciuilibus teritur. De sacro nepotibus Remi cruore (Epod. 7 extr.) nunc non cogitauit.

10. *ferisque — solum:* ubi etiam praesens aetas extincta erit, restabit solitudo feris grata. *rursus:* ut olim, cum Roma nondum condita erat. Propert. IIII 1 1—4. Ouidii Fast. V 95. De feris solum occupantibus cf. Carm. III 3 40.

barbarus heu cineres insistet uictor et urbem
eques sonante uerberabit ungula,

quaeque carent uentis et solibus ossa Quirini
(nefas uidere), dissipabit insolens.

forte quid expediat communiter aut melior pars
malis carere quaeritis laboribus?

nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum
uelut profugit execrata ciuitas

agros atque lares patrios, habitandaque fana
apris reliquit et rapacibus lupis,

12. Eques] ⁊ q, (= etque) *A*, Eque *pr H*. 13. osa *ascripto* s *ead. manu A*. 14. uidere *Aς*: uideri *BHS* (*sic S*) *gω Blandinii*. disipabit *A*. 15. quod *S*. 16. queritis *S*. 17. hac] ac *in rasura B*. phoceorum *ABS*, phoca eorum *H*. 18. execrata (*A* exaecrata) *ABHSg*, *non* exsecr., *item u.* 36. 20. reliquid *H*.

11—14. Ciuibus suo furore caesis extremam contumeliam barbarus hostis additurus est.

11. *cineres insistet uictor:* cineres eorum qui nuper sua manu ceciderunt quique olim ad urbem conditi sunt. Quippe praeter cineres nihil superat quod uincere barbarus hostis possit. Acerbe igitur et ironice compositum est nomen *cineres* et *uictor*, item *insistet*, h. e. gradu occupabit, ut Terent. Eun. II 3 3: *quam insistam uiam?* Vergil. Aen. VI 563: *scelestum insistere limen.*

12. *eques — ungula:* hoc superbiam et securitatem prodit. Ipsis numeris imitatur equestris manus tumultum.

13. *quaeque — Quirini:* Quirini ossa alte condita in foro Romano. Porphyrion: 'hoc sic dicitur, quasi Romulus sepultus sit, non ad caelum raptus aut discerptus: nam Varro post Rostra fuisse sepulcrum Romuli dicit'. Festus: *niger lapis in Comitio locum funestum significat, ut alii, Romuli morti destinatum.*

14. *nefas uidere* (ossa Quirini): hoc διὰ μέσου interponitur et causam addit uerbis *quaeque carent uentis et solibus*. Orellius suppleuit *profanam dissipationem* refragante uerborum ordine. Structura Graeca est (ἄγος βλέψαι), cuius ignoratio fecit, ut etiam in bonis libris interpolaretur *uideri*, reclamante uersus lege, ut primus uidit Glareanus.

15—16. *forte — laboribus?:* ordo uerborum paulo liberior et structura Graeca est: *forte communiter* (omnes) *aut melior pars quaeritis quid expediat malis carere laboribus?* h. e. τί συμφέρει ἐλευθέρους (ὑμᾶς) εἶναι κακῶν πόνων; Conf. ad Epod. 11 4. Ceterum ad ingenium loci quaestio melius uidetur conuenire quam sententia conditionalis sine particula *si*; hanc qui probant, post *laboribus* semicolon ponunt.

17—18. *Phocaeorum — execrata ciuitas: execrata*, quamuis ab *execror* formatum, passiue positum est, ut u. 8 *abominatus*, Carm. I 1 25 *detestata.* Est igitur *diris deuota* siue *obstricta* a semet ipsa. Rem narrat Herodotus I 164 sqq., Strabo VI 1 § 1 et IIII 1 § 4.

19. *lares patrios:* sunt domus patriae urbis in litore Ionico; *pro-*

ire pedes quocumque ferent, quocumque per undas
notus uocabit aut proteruus Africus.

sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
ratem occupare quid moramur alite?

sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint
uadis leuata, ne redire sit nefas;

neu conuersa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina lauerit cacumina,

in mare seu celsus procurrerit Apenninus,
nouaque monstra iunxerit libidine

21. ferent *Aς Blandinii Porphyrion:* ferunt *BHSgω.* 22. Nothus *ABHg*, *non S.* 23—26. *om A.* 25. renarunt *corr H.* 27. linthea *S.* 28. et ante (*sic*) Padus — cacumina *Seruius ad Vergil. Aen.* XI 403. mathina *H.* 29. procurrerit *ABHSgω Porphyrion:* proruperit *ς.* appenninus *ABS*, *non Hg.*

fugere agros atque lares est ita fugere, ut agri et lares longe relinquantur.

19—20. *habitandaque — lupis:* patriae sedis odium his uerbis denotatur. Nam quod sanctissimum erat, id apris et lupis occupandum relinquunt.

21. *ire: ire* pendet a praegresso nomine *sententia* more Graeco (*τοῦ ἰέναι*), qui in his dominatur. Scite prospexit poeta ut caesura paulo fortior post uerbum *ire* succederet.

22. *notus — Africus:* conf. Carm. I 3 14, 26 2. Vterque uentus exeuntes in mare Atlanticum, ubi sunt insulae beatae, ferre potest.

23. *sic placet?: οὕτως δοκεῖ;* interrogat contionem populi.

23—24. *secunda — alite:* silentium contionis pro assensu accipit; hinc per interrogationem addit hortationem itineris statim suscipiendi. Sed cur alitem cummaxime secundam esse dixit? Respondet Orellius: 'propter ipsum hoc tam generosum consilium'. Credere noli: nimis distant consilium et bona auspicia. Immo dicit, adest iusta occasio, naues, mare, uentus secundus. Fortasse haec scripsit, ubi ex urbe Athenarum in Asiam Bruti prouinciam profectus est.

25. *saxa:* Phocaeenses plumbi massam in mare iacientes iurauerunt, *μὴ πρὶν ἐς Φώκαιαν ἥξειν πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον ἀναφῆναι* (Herodot. I 165).

26. *ne redire sit nefas:* aliquanto fortius quam 'ut tum redire sit fas'.

27. *lintea:* generis uocabulum pro specie (*uela*); Catullus 64 244: *inflati lintea ueli.*

28. *Matina — cacumina:* Matina cacumina sunt Calabriae prope Tarentum; cf. annot. ad Carm. I 28 3. 'ne radices quidem Matini montis contingere potest Padus, nedum cacumina, quippe cum Padus fluuius Galliae sit, Matinus mons Calabriae'. Porphyrion.

29. *celsus procurrerit Apenninus:* cogitat longum Apennini iugum per mediam Italiam procurrens cursu continuato in mare *prodire.* Non uere *proruperit* ex paucis libris Fea recepit.

30. *monstra: ut sint monstra*, a nobis procuranda et pianda.

mirus amor, iuuet ut tigres subsidere ceruis,
adulteretur et columba miluo,
credula nec rauos timeant armenta leones,
ametque salsa leuis hircus aequora.
haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis
eamus omnis execrata ciuitas,
aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
inominata perprimat cubilia.
uos quibus est uirtus, muliebrem tollite luctum,

31. tygres *B.* 32. *ponit post u.* 39 *A.* 33. Credudala (u *supra*) *A.* rauos *Aς Blandinii:* flauos *BHSgω.* 34. hyrcus *H.* 35. dulcis *A:* dulces *BHSg.* 37. ĩdocilis *A, h. e.* indocili, *ut ceteri.* expes *BSω,* expers (*Ag* exp̄s) *AHg.* 38. Innominata *H.* p̄p̄mat *A.* cunabula *H.*

31. *iuuet ut tigres subsidere ceruis:* post tria ἀδύνατα ex rerum natura allata quattuor subsequuntur ab animalibus petita. In hac copia iuuenile quoddam deprehendas. Nouitatis causa finxit poeta, ut atrocior bestia (*tigris*) subsidat pauenti (*ceruo*).

32. *adulteretur:* 'iucunde *adulteretur*, quia dicitur columba nulli alii succumbere quam cui semel' (corrige *se semel*) 'iunxit'. Plinius X 52 (34): *pudicitia illis prima et neutri* (neque mari neque feminae) *nota adulteria. Coniugii fidem non uiolant communemque seruant domum.* Propertius II 15 27: *exemplo iunctae tibi sint in amore columbae, masculus et totum femina coniugium.* Itaque duplex ἀδύνατον est, ut *adulteretur* columba, et ut succumbat infesto animali. *Miluus* tribus syllabis effertur a ueteribus poetis (cf. Phaedri I 31 3; Ouidii Metam. II 716, Amorum II 6 34), duabus a Persio (IIII 26), Iuuenale (VIIII 55) aliis. Conf. Horat. Epl. I 16 51.

33. *rauos — leones: raui* (*fahl*) leones ut *raua lupa* Carm. III 27 3 a colore pellis nominantur. 'rauus color dicitur niger mixtus cum fuluo'. Acron ad Carm. III 27 3. Raram formam libri non interpolati, Bernensis uetus et Blandinii, tuentur: in plerosque glossa *flauos* inuasit.

34. *leuis hircus: leuis* perinde dictum est usu proleptico ut ante *credula.* Scilicet hircus alioqui pilosus et hirsutus in salso aequore glaber (λεῖος) fiet ad naturam animalium maris. 'duplex diuersitas, ut amet aequora hircus — et ut leuis fiat, cum sit alioqui setosus'. Porphyrion.

37. *indocili — grege:* qui uel saluberrimis praeceptis doceri nequit.

38. *perprimat:* premere pergat. Primum hoc ausus uidetur Horatius. Accepit Ouidius in Arte am. I 394, in obscenum deflectens. ἅπαξ λεγόμενον est *inominata;* cf. ad Carm. III 14 11.

39. *uos quibus est uirtus:* qui uirile consilium capere et exequi potestis.

40. *Etrusca praeter et uolate litora:* dicit incolas ipsius urbis Romanae. De positione uerborum cf. ad Epod. 9 13.

41. *nos manet Oceanus circumuagus: circumuagus* qui terram ambit, circumuagatur. Horatio mare est Oceanus, non amnis, ut Ouidio Homerum imitanti Metam. XV 739: *circumfluus amnis.* Ceterum considera opposita illa *uos — litora*, tum *nos manet Oceanus circumuagus.* In his fortasse reliquiae carminis in Graecia scripti, sed mox immutati latent. Nimirum in illa prima carminis forma locutus uidetur esse de partibus ex Graecia in Oceanum tendentibus (*nos*),

Etrusca praeter et uolate litora.

nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata
petamus arua, diuites et insulas,

reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
et inputata floret usque uinea,

germinat et numquam fallentis termes oliuae,
suamque pulla ficus ornat arborem,

mella caua manant ex ilice, montibus altis
leuis crepante lympha desilit pede.

40. Et rusca preter *S*. litora *Ag*: littora *BHS*. 44. inputata *HSg*: imp. *AB*. 45. nuquã *H*. 47—48. *Terentianus Maurus u.* 2957 *p.* 2448. 47. manent *pr H*. exilice *S*.

atque de partibus ex Italia eodem uenturis (*uos*). Sed hoc duarum partium discrimen, si primo adfuit, in retractato epodo remouendum erat.

42. *diuites et insulas:* ὀλβίας τε νήσους. Etiam hic deprehendas Graeci sermonis colorem per hoc carmen late diffusum.

43—62. Felicitatem insularum beatarum, secutus priores poetas, ita descripsit, ut primum nullo labore illic opus esse ad parandos cibos et uitae necessaria (43—50), dein mala naturam alibi infestantia, pecori insidiantia et perniciosa, hominibus molesta, abesse omnia dicat (51—62). Ex prioribus conferendi Homerus Odyss. δ 561, Hesiodus OD. 166. De Sertorio in beatas insulas abituro lege Plutarchum Sert. c. 9, Acronem ad u. 42: *in quo* (Oceano) *sunt insulae fortunatae, ad quas Sallustius in historia dicit uictum uoluisse ire Sertorium.* Seruius ad Aen. V 735: *insulae fortunatae, quas ait Sallustius inclitas esse Homeri carminibus.* Ipsum consilium, ut ciues relicta urbe patria beatas insulas petant, summum taedium discordantis ciuitatis ac belli ciuilis indicat, de quo *taedio* suo loquitur poeta Carm. I 14 17.

43. *reddit:* reddit semen frumenti gremio suo exceptum. — *inarata* (ἀνήροτος): nullo aratro secta. Fortasse imitatus est Vergilius Georg. I 83: *nec nulla interea est inaratae gratia terrae.*

44. *et inputata:* item hoc primus uidetur ausus esse pro *non putata*, h. e. non resecta ramos et folia.

45. *numquam fallentis termes oliuae:* '*termes* dicitur extremus ramus oliuae, sicut uitium *palmes*.' Acron. Ille termes germina emittit et fructus pollicetur, qui numquam pereunt.

46. *pulla ficus:* est matura et perfecta, colore subnigro. *suamque — arborem* (*ihren eignen Baum*): ornat arborem unde nata est sine insitione rami alieni, in quo nata ficus non de sua arbore pendet. 'eleganter et *suam* et *ornat;* suam enim ad illud pertinet, ut non insertas arbores fici, sed sponte natas intellegamus: sic enim e contrario Vergilius, cum de satiuis' (lege *insitiuis*) 'arboribus loqueretur, ait' (Georg. II 82): '*miraturque nouas frondes et non sua poma.* Deinde quoniam alibi fici, quae sponte nascuntur, durae atque inelegantes solent esse, hic, ait, ficus ornat arborem suam, ut pulchram et gratam nasci ostenderet'. Porphyrion.

47. *mella — ilice:* manant ex ilice, ut quisque capere possit sine opere et labore. Conf. Columella VIIII 1.

47—48. *montibus — pede:* aqua

illic iniussae ueniunt ad mulctra capellae,
refertque tenta grex amicus ubera;
nec uespertinus circumgemit ursus ouile,
neque intumescit alta uiperis humus.
pluraque felices mirabimur; ut neque largis
aquosus eurus arua radat imbribus,
pinguia nec siccis urantur semina glebis,
utrumque rege temperante caelitum.
non huc Argoo contendit remige pinus,

49. in iussae *B*. multra *H*. 50. tanta *pr B*, *corr* tenta. 51. circ̄gemit'sus (*h. e.* circumgemit ursus, *ut ceteri*) *A*. ouile *ABHSgω*: ouili ς; '4 *codices habent* ouili' Crvqvivs. 52. *om A*. Neque *g*: Nec *BHSω Acron commentator Cruquii*. 53. ut q̇ neque *A*. 54. radit *A*. 55. Pingua *B*.

pura et abunde adest ac gratum praebet aspectum. 'Versus imitatur uelocitatem et strepitum aquae currentis'. Porphyrion. Cf. u. 12.

49. *ueniunt — capellae:* capellas nominauit, quod dulcis et simplicis uitae loca montuosa modo descripsit (u. 47—48).

50. *grex amicus:* iniussus uenit et amico erga possidentem animo ubera lacte turgida refert.

51—56. Desunt ibi mala ex animalibus aut rerum natura hominibus alibi nascentia, bestiae rapaces, uiperae uenenatae, imbrium aestusque intemperantia.

51. *uespertinus:* noue et ad exemplum Graeci sermonis (ἑσπέριος) pro eo quod est sub uespera et tenebris; cf. ad Serm. II 4 17. *Circumgemit* graphice de submisso esurientium ursorum fremitu.

52. *neque — humus: humum* intellege solum pratense; *altam*, quae alte strata est herbis, quibus licet uiperae facile contegantur, tamen nullae insunt. Huic statim adiunguntur *arua* (*Ackerland*). Humus illic gramine herbisque, non uiperis *intumescit*. Scilicet ut gramen et herbae utiles, sic uiperae perniciosi tumores terrae humidae cogitantur.

53—54. *ut neque — radat imbribus:* de structura cf. ad Carm. III 4 17; arua radere est inaequalia facere sulcis alte in solum descendentibus, quibus glebae auferuntur.

55. *pinguia — semina glebis:* scite iuncta *pinguia semina* et *siccae glebae:* nam semina glebis teguntur et urentibus glebis pinguedinem amittunt.

56. *utrumque — caelitum:* hoc extremum est bonum, quod beatae insulae non forte quadam, sed ipsius Iouis numine hanc felicem temperiem nactae sunt. Itaque haec semper et firma manebit. Rem praeiuit Homerus Odyss. δ 568.

57—60. Incolae insularum beatarum ab aduenis hostilia aut illicita temptantibus numquam petiti sunt. Itaque incorruptis moribus agunt.

57. *non huc Argoo — pinus:* Argonautae huc non uenerunt. Ipsa scilicet nauigatio iuxta antiquam ideam maleficium est (Carm. I 3). Itaque commaculati sunt omnes ad quos nauis Argoa uenit.

58. *inpudica Colchis:* inpudica, quod uirum externum secuta est patre relicto. Conf. Carm. III 27 49 sq. Quocumque uenit Medea, uenena sua et malas artes intulit.

59. *Sidonii — nautae:* qui fraudibus gaudent iisque ceteros homines

neque inpudica Colchis intulit pedem;

non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
laboriosa nec cohors Vlixei.

nulla nocent pecori contagia, nullius astri
gregem aestuosa torret inpotentia.

Iuppiter illa piae secreuit litora genti,
ut inquinauit aere tempus aureum,

aere, dehinc ferro durauit saecula, quorum
piis secunda, uate me, datur fuga.

58. inpudica *B:* imp. *AHSg.* acolchis *B,* cholchis *S.* 59. sydonii *H.* 60. uliexei *A.* 61. austri *AH. H pergit uersu nono proximi epodi* In quem superbus, *et huius reliquos uersus habet post epod.* 17 80. 62. inpotentia *BS,* ipot. *g:* imp. *AH.* 63. pie *H.* littora *BS, non AHg.* 65. Aere *ABHSgω:* aerea ς. saecula *AS:* secula *H,* scla *Bg.* 66. secundauere me *H.*

inficiunt. Homero in Odyss. ο 419 audiunt Φοίνικες πολυπαίπαλοι (fraudulenti); uerba *torserunt cornua* audacem artem illorum nautarum pingunt. *Cornua* sunt antennarum capita; Vergilius Aen. III 549: *cornua uelatarum obuertimus antennarum.*

60. *laboriosa — Vlixei:* quae aliis gentibus mala et molestias parauit, ueluti Ciconibus (Odyss. ι 39 sqq.), quaeque Apollinis boues (Odyss. μ 353 sqq.) inpie mactauit.

61—62. Vt hominum mores peregrino contagio non inficiuntur, sic etiam pecus in beatis insulis nullo uicini pecoris contagio infestatur, greges nullo sidere aestuoso pereunt. Imperite hos uersus post u. 56 collocauit Fea Romanus: nempe non uidit haec iam sine ratione utilitatis ab hominibus percipiendae dicta esse, sed ut propitia uoluntas deorum erga fortunatas insulas appareat.

61. *pecori:* capellis et ouibus (cf. 49—51).

62. *gregem:* boues in pascuis. *nullius — torret inpotentia:* solitam pestilentiae causam abesse significat.

63—65. Quo consilio Iuppiter beatas insulas secreuerit, additur: nimirum has reseruauit piis hominibus, cum ceterum genus humanum inquinauit. Aliquatenus sequitur Hesiodi OD. 167 sqq.

64. *ut inquinauit — aureum:* h. e. 'posteaquam aureo tempori aes commiscuit', non 'posteaquam pro aureo tempore aeneum sequi fecit', quod proximo demum uersu dixit. Nimirum quod aliis poetis *argenteum* est saeculum, id Horatius suo periculo et ingenio *aureum aere mixtum* cogitauit. Noli credere Mitscherlichio et Orellio narrantibus tres aetates hic memorari, argentea praetermissa, immo quattuor exhibentur, aureum aeuum, aureum aere mixtum, aeneum, ferreum.

65. *aere, dehinc ferro durauit saecula:* post aetatem auream aere mixtam secuta est mere aenea, hanc ferrea. *Aerea* pro *aere* 'eam quoque ob causam reiciendum erat, quoniam Horatio *dehinc* numquam est monosyllabum: u. Satir. I 3 104, Epist. II 3 144'. Meineke.

XVII.

Iam iam efficaci do manus scientiae,
supplex et oro regna per Proserpinae,
per et Dianae non mouenda numina,
per atque libros carminum ualentium
refixa caelo deuocare sidera,
Canidia, parce uocibus tandem sacris,

Fingit se Canidiae ueneficiis superatum. Allegoricos deprecatur ut sibi parcat *AB*. *A in folio* 169, *ubi desinit epodos sextusdecimus*, *huiusce uersus* 1—52 *omittit*, *sed folio* 178 *exhibet*. In Canidiam trimeter iambus *H*. *Deest epodus libro S*.

1—2. *Terentianus Maurus u*. 2270 *p*. 2433. 1. efficacicaci *A*. 2. suplex *A*. 5. Refixa *Agς* (*Blandinii*) *commentator Cruquii:* Defixa *BHς*. sydera *H*.

Epod. XVII. Prooemium. *Artes tuas, Canidia, olim a me temere irrisas plurimum ualere ipse in me expertus fateor ac suppliciter oro, ut tandem mihi parcas. Quod quo magis facias, ego maledicta mea in te iacta falsa fuisse testor.*

'*Tu noli sperare finem ultionis meae: immo sine fine te uexare pergam, ut insignis tua in me licentia iustas poenas luat*'. (Metrum 4)

Vt Canidiam Albucii filiam uenenis grassantem et Varo Alfeno insidiantem in quinto epodo produxit, ita nunc similes iocos sic continuauit ut se ipsum poculis et deuotionibus illius domitum esse confiteatur callidamque ueneficam roget, ut tandem sibi parcere uelit. Illa animo obfirmato respondet maiores esse Horatii in se iniurias quam quibus ignosci possit, et inplacabiles iras denuntiat.

Versus in hoc carmine quinquagesimus octauus cum respiciat satiram octauam libri primi, hunc epodum post factum esse liquet. Illa satira circa annum 722 cum edita sit, ut suo loco demonstratum est, hunc iambum anno proximo assignabimus (723 = 31). Post hunc epodum successit libri primi carmen sextum decimum.

1. *iam iam — scientiae:* praesentis temporis particulam dum repetit, simul illud tempus respexit, quo incredulus aut superbus ueneficarum artes contempserat. *do manus:* proprie manus dant uicti et capti, ubi uinciri se patiuntur.

2. *supplex et:* cf. ad Epod. 9 13.

3. *Dianae non mouenda* (ἀκίνητα) *numina:* non mouenda est Diana, quia grauiter irascitur et ulciscitur. Hinc *iracunda Diana* AP. 454. Mouetur dea quae de loco uel statu suo deicitur; cf. Carm. III 20 1. *Numina* pro eo quod est *numen* poetis licet,

5. *refixa:* postquam refixa, h. e. soluta uel derepta sunt; usus dicendi est prolepticus: nam deuocando refiguntur sidera. *Refigere* perinde positum Epl. I 18 56: *qui templis Parthorum signa refigit*. Cf. ad Epod. 11 28. In Blandiniis *refixa* fuisse annotatio commentatoris Cruquiani inde sumpta docet: '*refixa:* detracta, euulsa, ut *Danais de poste refixum*' (Verg. Aen. V 360). Altera scriptura *defixa* ualet *firmiter-fixa* et contrarium urget, deuocare quod firmum est.

6. *uocibus — sacris:* quibus dis inferis sacer fit is, aduersus quem eiusmodi uoces diriguntur. Exemplum est Epod. 5 51—60; cf. alterum Idyllium Theocriti, octauum Vergilii.

7. *turbinem:* praeter uoces sacras ῥόμβον siue magicum turbinem

citumque retro solue, solue turbinem.
mouit nepotem Telephus Nereium,
in quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
unxere matres Iliae addictum feris
alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
postquam relictis moenibus rex procidit
heu peruicacis ad pedes Achillei.
setosa duris exuere pellibus
laboriosi remiges Vlixei

8. thelephus *B.* nereum *B.* *uersus* 9—80 *in H priori epodo immixti leguntur post u.* 61. 9. ordinauit *A.* 11. Vnxere *Bω Blandinii:* Luxere *AHgς.* 13. męnibus *B.* 15. Sętosa *B, non AHg.*

Horatio uinciendo adhibuit: hunc solui et retro ferri (*retro citum*, i. e. ut citus retro eat) petit, ut ipse solutus abeat.

8—18. Etiam olim preces mouerunt eos, qui nulla misericordia tangi posse uiderentur.

8. *nepotem — Nereium:* Achillem, filium Thetidis Nereo genitae. Rem narrat Proculus in Chrestomathiae reliquiis, Hyginus fab. 101, Libanius in Ἀχιλλέως ἀντιλογίᾳ. Fragmenta Telephi, fabulae Euripideae et Ennianae, illustrarunt Geelius, Welckerus, alii.

9—10. *in quem superbus — torserat:* duo infesti animi signa in Telepho recenset, quod et agmina populi sui in Achillem duxerat et tela acuta ipse torserat, ut reconciliatus Telepho Achilles grauior auctor Canidiae uideatur.

11—12. *unxere — canibus:* quem dilaniandum feris destinauit Achilles (Il. Ψ' 182), is integer et unguentis delibutus a matribus Iliensibus compositus est. Hoc uere poeticum et optimis libris commendatum alteri lectionis formae (*luxere*) praeferendum est, licet hanc minime repudiem illo acumine 'ad lugendum non opus erat precibus': nam qui *luxere* legunt, ut Bentleius fecit, eiusmodi luctum cogitabunt, quo mortuus rite componitur, ut est apud Homerum in Iliade Ω 777. Suum *unxere* Horatius non ex Homerica sepultura Hectoris sumpsit, sed similia exempla ab eodem Homero prodita secutus est, uelut Patrocli Σ 350.

12. *homicidam:* ἀνδροφόνον Homeri feliciter conuertit. Vt homicida miseratione parum dignus esse Hector Achilli diu uisus est. Rem atrocem numeris concitatioribus expressit. In quinto pede spondeus cum caesura mitigatur elisione; cf. ad Epod. 1 27.

13. *procidit:* Il. Ω 510: προπάροιθε ποδῶν Ἀχιλῆος ἐλυσθείς.

14. *heu peruicacis — Achillei:* auersatur obstinatum Achillis animum horribilemque Canidiae ostendit, scilicet ut ipsa peruicacis quidem et cedere nescii (Carm. I 6 6), sed tamen flexi hominis exemplo magis moueatur.

15—18. Hoc exemplum postremo loco reseruauit, quod Circa ueneficiis usa est ut Canidia, quod Vlixis socii corpore mutato agebant, Horatii forma si minus transformata, at prorsus fracta est.

15. *setosa duris — pellibus:* duris superducta pellibus eisque setosa.

16. *laboriosi — Vlixei: Vlixei* ausus est ad analogiam *Achillei. laboriosus* est *patiens* (Epl. I 7 40), πολύτλας. Alio significatu legimus Epod. 16 60.

uolente Circa membra: tunc mens et sonus
relapsus atque notus in uultus honor.
dedi satis superque poenarum tibi,
amata nautis multum et institoribus.
fugit iuuentas, et uerecundus color
reliquit ossa pelle amicta lurida;
tuis capillus albus est odoribus,
nullum a labore me reclinat otium;
urget diem nox et dies noctem, neque est

17. circa *AHς Probus* II 1 16 *p.* 1446: ex e littera a facit et dicitur Circa, unde est illud Horati, uolente Circa: circe *Bgς.* tunc *AHg:* tum *B.* 18. *Plotius* 4 16 *p.* 2643. Relapsus *Hς Plotius:* Relatus *ABgς.* '*duo cod.*' (*Blandinii*) '*habent* relatus — *alii duo* relapsus'. Cʀᴠǫᴠɪᴠs. 19. penarum *H.* 22. relicit *pr A,* reliquid *H.* amictus *A,* amicā *H.* 24. a labore *gω,* alabore *BH,* ā labore *A:* ab labore *ς.* 25. Vrget *ABg:* Vrguet *H* '*duo cod. habent* urguet'. Cʀᴠǫᴠɪᴠs.

17. *uolente Circa:* 'et sane obseruaui in Iambis, Sermonibus et Epistolis Latinas declinationes libentius adhibere nostrum, in Carminibus Graecas. In illis *Cretam, Helenae, Penelopam* habes, in his *Creten, Helene, Penelope.* Quippe in illis puram et natiuam orationem sectatus est; in his plus exotici nitoris et transmarinae elegantiae affectauit'. Bᴇɴᴛʟᴇɪᴠs.

17—18. *tunc — honor:* amota specie bestiarum sponte et cito rediit mens et loquendi facultas (*sonus*); hoc inest uerbo *relapsus.* Diuersa scriptura *relatus* uim magiae a Circa adhibitae minus ostendit; cf. Odyss. ϰ 393—397.

18. *notus — honor:* oris humani decus. Egregie ex una parte ferina species (*setosa duris pellibus membrā*), ex altera humanae faciei dignitas componitur.

19—26. Amplius misericordiam Canidiae mouere studet eo quod satis iam poenarum se luisse demonstrat.

20. *amata — institoribus:* oblique ridet Canidiam tamquam uulgare scortum et lucri studiosam. Institorem praediuitem Horatius habet Carm. III 6 30, sed huiusmodi pauci erant, plerique non multum supra nautas ascendebant.

21. *uerecundus color:* est *rubor* genarum, quo cum os siue uultus suffunditur, uerecundiae signum habetur. Tacitus Hist. IIII 40: *ignotis adhuc moribus* (Domitiani) *crebra oris confusio pro modestia accipiebatur.* Ouidii Metam. I 484: *pulchra uerecundo suffunditur ora rubore.* Hinc Bacchus *uerecundus* exhibetur, ut cuius os rubore suffusum sit; cf. ad Carm. I 27 3.

22. *reliquit ossa:* oris ossa ut intellegantur, proximum uocabulum *uerecundus color* facit. Quaerit Bentleius, quis *rubra ossa* uel fando audiuerit, et uocabulum *ora* substituit adoptatum ab Hauptio. Verum quod *suffusio oris* siue genarum interno motu efficitur, ruborem gigni uigore uitali inter cutem et ossa sito poeta credidit, qui postquam abscessit, pellis lurida (*blassgelb*) ossa oris circumdedit. Priora *fugit iuuentas* de totius corporis infirmitate, cetera de oris macie dicta sunt. Profitetur poeta nihil sui superesse nisi pellem et ossa, ut queritur Plautinus parasitus *ossa atque pellis sum.*

23. *tuis — odoribus:* unguentis a te paratis et mihi per artem illatis; cf. Epod. 5 59—60.

24. *reclinat:* h. e. reclinem et secure agentem facit.

25. *urget — noctem:* die noctem inpatiens expecto, nocte diem. Ad noctem et diem translatum, quod pro-

leuare tenta spiritu praecordia.
ergo negatum uincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
caputque Marsa dissilire nenia.
quid amplius uis? o mare et terra, ardeo
quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana feruida
uirens in Aetna flamma: tu, donec cinis
iniuriosis aridus uentis ferar,
cales uenenis officina Colchicis?
quae finis aut quod me manet stipendium?

26. leua retenta *A*. 29. Capudque (t *super* d *ascriptum re. m.*) *B*. dissillire *A*. 30. et terra *ABHgω* (*Blandinii*) *commentator Cruquii*: o terra ς *Acron*. 32. si cana *H*. 33. Virens *Aω* '4. *cod.*' (*Blandinii*): Vrens *BHgς*, Furens *nonnulli*. aethna *B*, ethna *Hg*. tu *B ut ceteri*, *non* tum.

prie de Horatio dicendum erat. Conf. Carm. II 18 15: *truditur dies die*.

25—26. *est* — *leuare*: Graeco more pro ἔστιν uel ἔξεστιν, quem in Carminibus uitauit, in Iambis semel admisit, saepius in Sermonibus (I 2 79 et 101, 5 87, II 5 103) et Epistulis (I 1 32, 12 2).

26. *praecordia*: pulmones *praecordia* dixit ut cordi proximos, *tenta* pro *distenta*.

27—29. Ex incredulo credulus iam factus sum, quo ipso tibi satisfactum sit.

27. *miser*: miseriae me hoc docuerunt.

28. *Sabella* — *carmina*: qualia recitant mulieres uel anus Sabellae, superstitionum studiosae. Cf. Serm. I 9 19. *increpare*: increpando turbare uel uersare (Serm. I 8 19).

29. *Marsa* — *nenia*: de incantamentis Marsorum cf. ad Epod. 5 75—76.

30—35. Labores mei augeri non possunt, nisi forte plane perdere me uis.

30. *o mare et terra*: apud Acronem hoc legitur: '*o mare*, *o terra*: sub indignatione exclamat, ut Terentius *o terra*, *o maria Neptuni*' (Adelph. V 3 4). Inde Bentleius recepit *o terra* pro *et terra*. Sed Acron subiectis Terentii uerbis inductus uidetur esse ut in lemmate *o terra* poneret. Inde hoc etiam in libros nonnullos propagatum est.

31—32. *quantum* — *cruore*: cf. Epod. 3 17. *delibutus* a ueste ad Herculem ingeniose translatum. Nessi cruor *ater* fuit ut uiperino mixtus; cf. Carm. III 4 17.

32—33. *nec Sicana* — *Aetna flamma*: iunge *feruida in Aetna*, ut *ardentem Aetnam* habemus in AP. 465, tum *Sicana uirens flamma*; *uirens* est uiridis siue subuiridis: talis enim sulfure accenso in Aetna ardet. Pro acri flamma accepit Nauckius.

34. *iniuriosis* — *uentis*: *iniuriosis* dictum per πρόληψιν, iniuriam mihi illaturis, cum cinis aridus factus sum.

35. *cales uenenis officina Colchicis?*: haec uulgo per interrogationem non efferuntur: uerum Horatius, qui finem ueneficii precibus se impetrare posse sperabat, haec absolute ponere non potuit. 'Ipsam mulierem officinam uenenorum diserte dicit'. Porphyrion. Diserte quoque suum ardorem et Canidiae calorem, h. e. parandi ueneni studium, composuit.

36. *quae finis*: in hac formula *quae finis* dicitur, non *qui finis*, quod male sonabat. Cf. Cic. ad Att. VIIII 10 § 4: *quae enim finis peregrinationis?* De Legib. II 22 § 55: *neque*

effare: iussas cum fide poenas luam,
paratus expiare, seu poposceris
centum iuuencos, siue mendaci lyra
uoles sonari, tu pudica, tu proba
perambulabis astra sidus aureum.
infamis Helenae Castor offensus uice,
fraterque magni Castoris, uicti prece
adempta uati reddidere lumina:
et tu, potes nam, solue me dementia,
o nec paternis obsoleta sordibus,

37. pęnas *B.* 40. uolens *A.* sonare *A*ς, saͦnari *B.* 41. sydus *H.* 42. uice *ABHgω*: *pauci* uicem. 44. fratri *A.*

necesse est edisseri a nobis, *quae finis funestae familiae.* Liuius XXII 57: *quaenam futura finis tantis cladibus foret.* Lege Reisigii Praelectiones de sermonis Latini doctr. § 99.

37. *cum fide poenas luam:* data fide, h. e. promisso interposito, exequar, quicquid mihi imposueris.

39. *siue mendaci lyra:* epitheton *mendaci* respicit Canidiam quinto epodo diffamatam. Quae olim mendax fuit, iam tuas laudes cantabit.

40. *tu pudica, tu proba:* alio detorsit Catullianum illud (42 24) *pudica et proba, redde codicillos.*

42. *infamis Helenae — offensus uice: infamis* pro *infamatae.* Infamata erat a Stesichoro; cf. Carm. I 16. *uice* est pro *sorte;* hanc formam praeter codices paene omnes etiam Porphyrion et Commentator Cruquii tuentur: *uicem* tantum in duobus libris non bonis repertum est, in Mechliensi Torrentii et in uno Vaticano.

45. *potes nam:* more Graeco *δύνασαι γάρ*, cf. I 18 3: *siccis omnia nam dura deus proposuit;* Epod. 14 6: *deus*, *deus nam;* Serm. II 3 41: *primum nam inquiram;* 6 78: *siquis nam laudat.* Conf. Serm. II 7 105: *tergo plector enim.*

46—52. Recantat opprobria a se olim ingesta. Sed ubi ingesta? In octaua satira libri primi paternis obsoletam (inquinatam) sordibus ostendit u. 23: *uidi egomet nigra succinctam uadere palla Canidiam*, *pedibus nudis passoque capillo;* porro Canidiam *nouendialis pulueres dissipantem* exhibuit in epodo quinto u. 17—18 et u. 23.

48. *nouendialis pulueres:* sunt pulueres mortuorum a rogo recentes. Hi dissipati sunt a Canidia, cum *caprificos* et *cupressos funebres* erui iussit; lege Epod. 5 17: *iubet sepulcris caprificos erutas*, *iubet cupressos funebris* cet.

49. *tibi — manus* (*dein Herz ist gegen Fremde mild und ohne Fleck ist deine Hand*): pro pectore tuo hospitali, pro manibus tuis puris puerum non interfecisti, quod falso a me narratum est. Recantat quinti epodi crimen.

50. *tuusque uenter partumeius* (est): sic legendum, quamuis et meliorum librorum auctoritas et facunda Bentlei uerba alteram scripturam *Pactumeius* commendent, nomen gentile Romanorum, de quo Commentator Crvqvianvs narrat: 'Pactumeius est nomen suppositicii, quem sibi filium esse dicebat: supra enim' (respicit Epod. 5 5—6) 'suppositicii partus ipsam ream fecit. *Venter* autem hic pro *partu* ponitur'. Hactenus commentator; perinde Acron et Porphyrion, quibus fidunt noui interpretes. Sed quis dixit umquam uel dicere Latine potuit *tuus uenter Pompeius est* pro *tu peperisti Pompeium*? Nullus Ger-

neque in sepulcris pauperum prudens anus
nouendialis dissipare pulueres.
tibi hospitale pectus et purae manus,
tuusque uenter partumeius, et tuo
cruore rubros obstetrix pannos lauit,
utcumque fortis exilis puerpera.

'Quid obseratis auribus fundis preces?

47. Neque *BHω*: nec *Ag*. sepulchris *ABHg*. 48. *Seruius ad Verg. Aen.* V 64, *Cledonius p.* 1898. Nouẽ dialis *A*: nouendiales *BH*, Nouẽdi ales *g*. 50. partumeius ς: pactũ ɔ (*h. e.* pactumeius) *A*, pactumeius (meius *in rasura B*) *Bω Bland.*, patumeius *H* (*in marg.* Pactumeius), pactũ eius *g*.
53. Negat Canidiam sibi reconciliari ideo quoniam ueneficia eius uulgauerit *A in folio* 169. Negat — reconciliari ideo (*quod*) ueneficia eius uulgauerit. et ipsam Canidiam introducit loquentem *B*. *Idem in g nisi quod ibi est* ideo quoniam. *Nouum carmen est in ABg*, *nullum interuallum in H.*

manorum dicere sustinebit *dein Leib ist Heinrich* pro eo quod est *deines Leibes Frucht ist Heinrich*. Pactumeium ipsum notum quendam hominem fuisse sic statuere debebimus, ut fecit Orellius, qui stolidum et ridiculum fuisse credidit. Sed si id aetatis filium habuit Canidia, siue uerum siue suppositum, quomodo Horatius in carmine post hunc iambum edito (Carm. I 16) rogare ipsam potuit, ut sibi ignoscat et amica fiat? Nec uero ad depellendam falsam suspitionem olim a se motam satis erat dixisse *ille tuus filius est*, id quod ipsum dubitatum erat, sed certiora argumenta requirebantur, quae omnem dubitationem *ueri partus* tollerent. Rursus nimis putida est et non ferenda diuersae scripturae (*partumeius*) explicatio uulgata: 'qui (uenter) tam facile parit, ut *meiere* potius quam parturire uideatur'. Scilicet non de *facili* partu nunc agitur, sed de uero ac non simulato. Qui ut probetur, duo certissima fecundi uentris signa referuntur, unum quod partum proxime antecedit (u. 50), alterum quod subsequitur (u. 51—52). Nimirum fetus in utero matris aqua circumdatus est, quem *liquorem amnii* medici nostri uocant, patria lingua *das Kindswasser*. Haec aqua, cum dolores infantem ex utero propellunt, ante prorumpit, atque hanc dixit Horatius scribens *tuusque uenter partumeius*, quod Theodisce conuertas: *aus deinem Leibe bricht das Kindeswasser*. Cui manifesto *ueri* partus signo alterum non minus luculentum in proximis uerbis adicitur: *tuo cruore rubros obstetrix pannos lauit*. Dicit cruorem infante edito ex uasis *placentae* in subiectos parienti pannos profluentem, quo illi rubro colore inficiuntur. De uerbi forma *lauit* conf. ad Carm. III 4 61.

52. *utcumque fortis exilis puerpera:* male interpretatur Orellius: 'quotiescumque e lecto surgis robusta scilicet puerpera', male idem addit: 'hoc rursus significat simulatos eius esse partus ad dona atque hereditates a moechis suis captandas'. Non melius ceteri interpretes. Immo priscae mulieres, quas Canidia *fortis puerpera* imitatur, non in lectulis parere solebant, ut nostrae faciunt puerperae, sed in pannis uel uestibus per conclaue stratis *genibus innixae*, recto ceteri corporis statu, laborem peragebant. Sic (ἐν γόνασι) Latona Apollinem et Dianam enixa est. Veteres igitur puerperae peracto negotio et infante demisso surgebant, et quae *fortes* erant, alacres exiliebant. De more illo ueterum docte, ut solet, disputantem lege Welckerum nostrum in Opusculorum t. III p. 185 sqq. *utcumque:* h. e. *quotiescumque,* uel *quandocumque.*

53—81. Canidiam precibus minime motam, sed inplacabilem sibi et

non saxa nudis surdiora nauitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
inultus ut tu riseris Cotyttia
uulgata, sacrum liberi Cupidinis,
et Esquilini pontifex uenefici
inpune ut urbem nomine impleris meo?
quid proderat ditasse Pelignas anus,
uelociusue miscuisse toxicum?
sed tardiora fata te uotis manent;
ingrata misero uita ducenda est in hoc,

54. nautis *H*. 55. hybernus *H*. 56. tu ut *H*. cocytia *ABHς*, cotycia *g*. 57. sacrum *AHg corr Bω:* sacra *pr Bς*. 58. ueneficii *corr B*. 59. Inpune *B:* Impune *AHg*. 60. proderat *Aς:* proderit *BHgω*. 61. Velocius ue *AB*. 62. Sed *AHgς Porphyrion:* Si *Bω commentator Cruquii*. uota *superposito ead. m.* fata *A*.

grauissima quaeque denuntiantem inducit.

53. *obseratis auribus:* auribus quasi sera clausis; uerbum *fundis* copiosa precantis uerba designat.

54—55. Auget quod modo dixit et imagine illustrat.

54. *saxa — surdiora:* cf. Carm. III 7 21: *scopulis surdior Icari.*

55. *alto — salo:* alti maris salo (aestu).

56—57. *inultus ut — Cupidinis:* dicit ea quae quinto epodo uulgata sunt, quae cum secreta sacra essent et explendae libidini suscepta, Cotyttia autem Thracum in honorem deae Cotyttus instituta item secretis et libidinosis orgiis celebrarentur, hoc nomine usus est, quo secreta a Canidia peracta denotaret. De Cotyttiis apud Thraces et Corinthios celebrari solitis optime exposuit Lobeckius in Aglaophamo t. II p. 1007—1039.

57. *sacrum liberi Cupidinis:* in quo Cupido libere dominatur.

58. *Esquilini pontifex uenefici* (*Priesterhaupt bei Esquilinerzauberei*)*:* pontifices cum sint periti sacrorum custodes, cumque Canidia in Esquiliis manes animas elicuerit et alia arcana temptauerit, Horatium, sollertem huius γοητεύματος (ueneficii) in octaua satira libri primi narratorem, noue Esquilini uenefici pontificem uocauit. 'Pontificem nunc quasi censorem ac iudicem dicit, quia pontifices de sacris iudicant'. Porphyrion. *Veneficium* h. l. generaliter notat maleficium magicum. Falluntur qui haec quoque de scena epodi quinti accipiunt: nam quae illic narrantur, in domo Canidiae Suburana facta sunt, non in Esquiliis.

60—61. *quid proderat — toxicum?:* apodosis ab irata reticetur. Dicit enim: quid mihi prodesset insumpta pecunia et ars accepta, si haec inpune fient? De indicatiuo dictum ad Carm. II 17 27—28. Cuius usus ignoratio peperit formam *proderit*, ut in multis libris legitur.

60. *Pelignas anus:* meas olim magistras, quas multis donis pro arte accepta remuneratus sum. Peligni, origine Sabelli, non minus quam uicini Marsi uenenis et magiae dedisse operam uidentur.

61. *uelociusue — toxicum:* se magistris suis superiorem in arte fuisse addit; *uelocius* est magis rapidum quam ante repertum erat. *Toxicum* dicit uenenum; proprie est uenenum sagittis (τόξοις) illinendum.

62—64. Tu ueloci meo toxico non

nouis ut usque suppetas laboribus.
optat quietem Pelopis infidi pater,
egens benignae Tantalus semper dapis,
optat Prometheus obligatus aliti,
optat supremo collocare Sisyphus
in monte saxum: sed uetant leges Iouis.
uoles modo altis desilire turribus,
modo ense pectus Norico recludere,
frustraque uincla gutturi nectes tuo

64. laboribus *Aς:* doloribus *BHgς*. 65. infidi *BHgω* ('*sic inueni in* 4. *cod.*' (*Blandiniis*) CRVQVIVS), inuidi *A:* infidus ς. 66. benigne *AH*. dapes *A*. 67. aliti *AHgω* ('*sic etiam habent* 4. *cod.*' (*Blandinii*) CRVQVIVS): alite *Bς*. 68. suppremo *B*, supmo *A*. ɔlocare *A*. sisyphus *A:* sysiphus *Hg*, sisiphus *B*. 70. alitis *A*. 71. noricore cludere *A*. 72. gutturi nectes *Bω duo Blandinii:* gutt', ĩnecectes (*h. e.* guttur innectes) *A*, gutturi innectes *Hg* (*g* ĩ nectes) ς *duo Blandinii.*

rapieris, sed te tardis tormentis conficiendum destinaui.

62. *sed — manent:* corrigit falsam opinionem ex uerbis *uelociusue miscuisse toxicum* ab hoste suo facile capiendam: non uelox miscebo tibi, sed quo diu uexaberis. Sententia non perspecta diuersam scripturam prouocauit *si — manent?*

63. *in hoc:* in hunc finem; conf. Serm. II 6 42: *ad hoc, quem tollere reda uellet;* 8 25: *ad hoc, qui — monstraret.*

65. *Pelopis infidi:* infidus in Mirtylum aurigam, cui fidem datam, dimidiam regni partem se daturum esse, adeo non praestitit, ut dolo malo in mare praecipitaret. Hygini fab. 84, scholiasta Pind. Ol. I 114, Diod. IIII 73, Catull. 64 347: *periuri Pelopis.* Scripturam *infidi,* non *infidus*, quattuor Blandinii confirmant: nam hos dici a Cruquio, cum scribit 'sic inueni in 4. cod. cum interpretatione apposita' postrema uerba monstrant.

66. *benignae — dapis* (*des Mahls entbehrend, das stets reichlich ihn umgibt*): dicit dapem copiosam apud inferos oculis Tantali semper expositam. Odyss. λ 588 sqq. Particulam *semper* iunge cum *benignae dapis,* non cum *egens:* sic melius eminent contraria *egens* et *semper benignae,* atque hoc suadet collocatio uerborum; cf. ad Carm. III 29 6.

67. *obligatus aliti:* h. e. ligatus ad saxum, ut ales ei iecur exedere possit. Prometheus h. l. cum Tantalo Sisyphoque poenas apud inferos luentibus nominatus ipse ibidem cogitandus est, non in monte Caucaso, sed eodem habitu quo ad Caucasum fuit. Hoc proprium est Horatii et fortasse imprudentia peccatum, ut monui ad Carm. II 13 37.

71. *ense pectus Norico recludere* (*erschliessen, offen schliessen*): recluduntur res tectae, ut aditus uel exitus fiat. Nunc cogitat animum sua sede cupide exiturum. Vergilius Aen. X 601: *tum latebras animae pectus mucrone recludit.* De Norico ense cf. ad Carm. I 16 9, de ui praepositi *re* ad Epod. 11 28.

72. *uincla gutturi nectes:* nectere uincla idem est quod laqueos siue uinclorum nexus parare; Epl. I 19 31: *nec sponsae laqueum — nectit;* Carm. I 29 5: *Medo nectis catenas.* Altera scriptura *innectes* de fune ceruici iam inserendo accipienda foret, sed hoc male conuenit proximo *fastidiosa tristis aegrimonia.*

fastidiosa tristis aegrimonia.
uectabor humeris tunc ego inimicis eques,
meaeque terra cedet insolentiae.
an quae mouere cereas imagines,
ut ipse nosti curiosus, et polo
deripere lunam uocibus possim meis,
possim crematos excitare mortuos,
desiderique temperare pocula,
plorem artis in te nil agentis exitum?'

76. cęreas *B*. 77. curiosus nosti *A*. 78. Deripere *AHgω*: Diripere *Bς*; 'deripere. *ita scriptum est in tribus cod.* (*Blandiniis*): *sed quartus habet* diripere'. CRVQVIVS. 79. possem *A*. 80. desiderique *A*: Desideriique *BHg*. pocula *Agς*: poculum *BHω*.
81. plore martis *A*. nichil *B*, nihil *H*. arentis *H*. exitum *Hgς* '*duo codices*' (*Blandinii*): exitus *ABς* '*duo codices*' (*Blandinii*).
Horatii Flacci Epodon expl. Carmen Sęculare feliciter *A*. Q. Horatii Flacci Epodon explicit. Incipit Carmen Seculare (Sclare *H*) *BH*. Q. Horatii Flacci epodon explicit. Vectius agorius basilius mauortius vc̃ et inl. ex com̃ dom̃ ex cons̃ ord' legi et ut potui emendaui conferente mihi magistro felice oratore urbis rome. Incipit carmen seculare *cet. g*. *Eadem subscriptio refertur a Bentleio ex Leidensi et Reginensi, a C. Vanderbourg ex libro Parisino, olim Menteliano* (*E*) *saeculi X et Colbertino* (*R*) *s. XIII*.

74. *inimicis:* tuis inimici mei.

75. *meaeque — insolentiae* (*der Erde Grund wird weichen dann vor meiner Uebermacht*): ut olim Medea aut Bellerophon in alta aeris enisi sunt, sic Canidia ad caelum ascensura est, quod dum facit, superbae (insolenti) equiti terra *cedere* uidebitur.

76. *mouere cereas imagines:* h. e. facere ut humano more moueantur; *animare* interpretatur Porphyrion, nos *in Bewegung setzen*.

77. *ut ipse nosti curiosus:* significat uersus satirae in Canidiam scriptae 30—33, 43—44.

77—78. *polo* (caelo) *deripere lunam:* cf. Epod. 5 46.

79. *possim—mortuos:* cf. Serm. I 8 28: *cruor in fossam confusus, ut inde manes elicerent animas responsa daturas*.

80. *desiderique temperare pocula:* hoc spectat ad Epod. 5 7—38, 73—78. Illic unum *amoris poculum* mixtum est, sed nunc uniuerse de arte sua loquitur Canidia, quae multa pocula amoris miscere callet.

81. *exitum:* Cruquii duo codices (Blandinii) *exitum*, duo *exitus* habent. Perinde ceteri uariant. Artis quae nihil agit, unus est exitus, eo quod ipsa perit et extinguitur. *Exitus* nihil est nisi praua ad proximam uocem (*agentis*) assimilatio.

SCHEMATA METRORVM HORATII.

1.

Asclepiadeum primum:

× – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓

Constat basi, cuius numerus est trochaicus, choriambo, ordine logaoedico catalectico. Diaeresin habet post finem ordinis prioris, h. e. post finem choriambi.

2.

Asclepiadeum maius:

× – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓

Constat basi, duobus choriambis, ordine logaoedico catalectico. De incisione uersus dictum est ad Carm. I 18 16.

3.

Ionicum a minore:

⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ –
⏑ ⏑ –́ – ⏑ ⏑ –́ ⏓

Deni pedes in systema coniuncti sunt; cf. ad Carm. III 12.

4.

Iambicum senarium s. trimetrum:

⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ – ⏒ –́ ⏑ ⏓
aut: ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏓

5.

Asclepiadeum secundum, h. e. uersus Glyconeus et Asclepiadeus in stropham dicolon iuncti:

× – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓
× – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓

Iunctura numerorum priore uersu inchoata altero ampliatur et absoluitur.

6.

Sapphicum maius:

–́⏑⏑–⏑–⏒
–́⏑–– –́⏑⏑– –́⏑⏑–⏑–⏒

Prioris uersus logaoedici numerus extremus in principio proximi repetitur, tum primi uersiculi modi non sine augmento redeunt. Diomedes IIII 35 8 priorem uersum Anacreonteum, alterum Alcaicum appellat. 'Hoc quoque carminis genus dicolon ab Alcaeo lyricus noster accepit'. *Victorinus* IIII 3 35.

7.

Archilochium primum:

–́⏔ –⏔ –́⏔ –⏔ –́⏑⏑–⏒
–́⏑⏑–⏑⏑⏓

Hexameter dactylicus, cui additur clausula trimeter dactylicus catalecticus in syllabam. Ad hanc normam factum est unum carmen 7 libri IIII.

8.

Alcmanicum:

–́⏔ –⏔ –́⏔ –⏔ –́⏑⏑–⏒
–́⏔ –⏔ –́⏑⏑–⏒

Archilochium nominant Marius Victorinus (IIII 3 34) et Diomedes (III 35 7). Victorinus III 8 5: 'quae dactylo pede clausa Alcmanicum, spondeo autem Archilochium metrum efficiet'.

9.

Pythiambicum primum:

–́⏔ –⏔ –́⏔ –⏔ –́⏑⏑–⏒
⏒–́⏑– ⏒–́⏑⏓

Hexameter heroicus et dimeter iambicus in ἐπῳδόν iuncti. 'Quo exemplo bis, nec amplius, in Epodon libro (14 et 15) poeta usus est'. Victorinus IIII 4 72.

10.

Pythiambicum secundum:

–́⏔ –⏔ –́⏔ –⏔ –́⏑⏑–⏒
⏑–́⏑– ⏑–́⏑– ⏑–́⏑⏓

Hexameter heroicus cum trimetro puro in ἐπῳδόν copulatus. 'Qua copulatione inter se metrorum semel usus reperitur' (in epodo 16). Victorinus IIII 4 71.

11.

–́⏑ –⏑ –⏑⏓
⏒–́⏑–⏒ –́⏑–⏑–⏒

Prior uersus est tetrapodia trochaica catalectica (non dimeter trochaicus catalecticus, cuius hi sunt numeri –́⏑–⏒ –́⏑⏓), alter copulatus est ex tripodia iambica catalectica et tripodia trochaica acatalecta, quae uocatur uersus ithyphallicus. ‘Nouum hoc metrum, de quo nondum apud Horatium tractatum est, continet’ (ode 18 libri II). ‘Est autem ab Alcaeo sumptum choriacum’ (= trochaicum) ‘heptasyllabum, subdito hendecasyllabo iambico Archilochio’. VICTORINVS IIII 3 52—53.

12.

Trimetrum subiecto dimetro iambico frequens in epodis:

⏒–́⏑– ⏒–́⏑– ⏒–́⏑⏓
⏒–́⏑– ⏒–́⏑⏓

13.

Archilochium secundum, h. e. hexameter heroicus et uersus asynartetus:

–́⏔ –⏔ –́⏔ –⏔ –́⏑⏑–⏒
⏒–́⏑– ⏒–́⏑⏓ –́⏑⏑ –⏑⏑⏓

Conf. ad Epod. 13.

14.

Archilochium tertium:

⏒–́⏑– ⏒–́⏑– ⏒–́⏑–
–́⏑⏑ –⏑⏑⏓ ⏒–́⏑– ⏒–́⏑–

Conf. ad Epod. 11.

15.

Archilochium quartum:

–́⏔ –⏔ –⏔ –⏑⏑ –́⏑–⏑––
⏒–́⏑–– –́⏑–⏑––

Conf. ad Carm. I 4.

16.

Alcaicum:

⏒–́⏑–– –́⏑⏑–⏑⏓
⏒–́⏑–– –́⏑⏑–⏑⏓
⏒–́⏑–– –́⏑–⏒
–́⏑⏑ –⏑⏑ –⏑ –⏒

Alcaei stropha hinc nata est, quod inuentor iambos ab Archilocho in carminibus iambicis, dactylos in elegis et carminibus epodicis, trochaeos in tetrametris positos iusta temperatura sic iunxit (cf. Horatii Epist. I 19 29), ut in magna numerorum uarietáte rara concinnitas partium oriretur. Numerus enim in priore parte uersus primi et secundi inchoatus in tertio ampliatur et consummatur; perinde numeri in altero ordine uersus primi et secundi decurrentes quarto uersiculo duplicato dactylo et porrecto fine logaoedico concluduntur.

Horatius Graecum auctorem sua diligentia superauit: in quinta sede uersus primi et secundi, ibidem in tertio non nisi longam syllabam ancipitem admisit, in adhibendis incisionibus et nouam curam adhibuit (conf. ad Carm. I 22 7) et temporis progressu semet ipse correxit (cf. ad I 26 11, II 13 27).

17.

Sapphicum:

–́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
–́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
–́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓
–́ ⏑ ⏑ – ⏓

Vt Alcaeus etiam Sappho narrante Horatio (Epl. I 19 28) stropham suam ita composuit, ut numeros ab Archilocho separatim usurpatos iungeret. Illa tamen intra trochaeos et dactylos se continuit, singulis uersibus clausulam quandam longiore fine logaoedico conciliauit, totam autem stropham absoluit clausula uersus Adonii in hunc usum praeter ceteros apti. Horatius in fine prioris in uersu Sapphico membri non nisi longam ancipitem tolerauit. De alia diligentia, quae Flacco communis est cum ceteris poetis Latinis, dixi ad Carm. I 22 7.

18.

Stropha Asclepiadea:

×̲ – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒
×̲ – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒
×̲ – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒
×̲ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒

Haec numerorum iunctura ab Asclepiadeis *κατὰ στίχον* compositis non longe recedit, sed quaternos uersus separat iungitque, et hactenus maiorem uarietatem asciscit. Conf. Prooem. IIII 8.

19.

Altera stropha Asclepiadea, quae duobus uersibus Asclepiadeis, tum Pherecrateo et Glyconeo composita est:

×̲ – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒
×̲ – –́ ⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ –
×̲ – –́ ⏑ ⏑ – ⏓
×̲ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏒

Lipsiae typis Breitkopfii et Haertelii.